Digitized by Google

Digitized by Google

P—11

122. 6.

ぞく
18 778

Digitized by Google

Digitized by Google

18113

ANNVÆ LITTERÆ

SOCIETATIS IESV,

ANNI CIↃ. IↃC. IX.

AD

PATRES ET FRATRES EIVSDEM SOCIETATIS.

BIBLIOTECA



DILINGÆ,

Apud Viduam Ioannis Mayer.

De la Librería del Noviciado de la Comp.ª de Jhs de Madrid

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO IN ANNVAS TRIVM ANNORVM LITTERAS,

Milleſimi ſexcenteſimi noni, decimi, vndecimi.

IN TANTA OPINIONum varietate, quæ de modo Annuas noſtras cõſcribendi paſſim multæ volant, id mihi vnicè curandum exiſtimaui, vt eorum meo voluntati, quibus meam debeo, quàm poſſim ſtudioſiſſimè accommodarem. Demandatum erat, vt ſcriberem breuiter; nec niſi ea ſolum, quæ vel à conſuetis inſolentiâ, aut nouitate aliqua variarent,

Digitized by Google

vel certè Societatis hominibus ſolatio, documento, incitamentóve eſſe poſſent, ad Maiorem Dei gloriam alacriter pro Inſtituti noſtri ratione futuris quoq; annis procurandam. Et verò ſuadere id ipſum quoque videbatur ratio. Nam cum non rudibus, ſed ſapientibus tantum viris hæ deſtinandæ forent litteræ, non videbam ego quidem, vbi proprium magis locum habere aut poſſet, aut deberet, quàm hîc, tritum illud, *Sapienti pauca.* Accedebat amuſſis ex Vrbe data, quam non ſequi religio fuit; quæ eiuſmodi: *In ſingulis Collegijs omittentur, aut breuiſſimè tangentur, quæ communia ſunt, & vbique à Noſtris fieri conſueuerunt quoad Confeſſiones, Conciones, Lectiones, Congregationes, Viſitationes &c. recenſebuntur tamen ex his, quæ aliquid ſingulare continent pro ædificatione, & quod memoria dignum ſit.* Secundum hanc igitur regulam ac normam multa neceſſariò videbantur inducenda, multa reſecanda, multa breuiori ſtylo tranſmittenda, quandoquidē pluribus in locis ſimilium rerum narrationes abundarent. Magna ea ipſa quidem ac præclara non ignoro, ſed iam

quæ

(quæ Dei gratia est) ita terrarum vbiuis vulgaria tritáque Nostris, vt ea scribere sit oleum ac operam perdere. Quid enim amabo adultâ iam quodammodo Societate necessarium adeò in singulis, vel Domicilijs, vel Prouincijs recantare per tot annos audita ista? *Aegrotos inuisos, vacillantes in fide confirmatos, lustrata vrgastula, Nosocomia, Ptochodochia: Reos ad supplicium animatos: Pauperes corrogata stipe adiutos: mœstis solatia, dubijs consilia, auxilia miseris &ærumnosis præbita: sublatas vsuras: exacta prostibula: rixas & simultates compositas: famæ pecuniæq; restitutiones procuratas: prauos ritus abolitos, probas consuetudines inductas: libros infames, obscœnos, hæreticos combustos: superstitiones magicas & aniles passim fabulas abrogatas: rudes Christiana doctrina, sceleratos bonis moribus imbutos:* vel tum etiam illa, magis quodammodo familiaria nobis: *Actiones in Theatro, Declamationes in Gymnasio, Disputationes in Academia habitas: ad varias Religiones multos ex nostra disciplina transgressos: data factáque Exercitia more Societatis, supplicationes decretas:* hæc, inquam, & id genus sexcenta singulis locis monere, atque inculcare

Digitized by Google

quid attinet, cum ea Instituti nostri ratio à nobis exigat, & fieri à Nostris quotidiè non tam nouum sit, quàm notum; nec tam admirabile fortasse, quàm necessarium? Quare tametsi nonnulla Domicilia ob euentuum singularium raritatem, vel omnino prætereantur, vel ex itinere veluti vix salutentur, erit illa profectò satis magna vniuscuiusq; laus commendatióque, tantum de quouis illorum tacuisse Scriptorem, quantum sufficeret ad Societatis nomen atque existimationem conseruandam, antiqua si narrare voluisset. Quod si nonnemo tamen esset, qui posteritati ab sua quoque parte consuli vellet, & rerum nunc quamuis notarum futuro ignoranti fortasse sæculo monumenta relinqui, meminerit ille, præter has litteras ipsa Autographa peruictura eò vsque saltem, dum historia Societatis per hos ipsos annos eat, à qua si quid memoria dignum videbitur vspiam, non credo negligetur. Cæterum de alijs nonnullis breuiter vt moneam, neminem imprimis puto offendet facilitas & candor dictionis minimè traiectæ aut fucatæ:

Digitized by Google

catæ: quem quidem eousque necessarium hac in materia existimaui, vt (ne quid dissimulem) etiam affectarem: litteræ enim consarcinandæ fuerant, non historia deducenda: in quibus litteris illud conatus sum, si non assecutus, vt sensus absque labore multo obuius esset cuiuis: quandoquidem vt bonæ memoriæ Franciscus Benzius in quadam annalium suarum præfatione loquitur: *Hæc semel tantum & super mensam leguntur.* Quod si tenebras scopulósve nihilominus passim roperiet lector, adeóque scribentis diligentiam facemque requiret, non pudebit respondere, quod disertissimum Societatis nostræ virum simili in causa argumentóque scripsisse lego: *Id me quoque perspexisse, maluisséque illa sic reddere, quàm quando planiora facere non potui, Patres Fratrésque eorum rerum quantacunque cognitionæ defraudare.* Maiorem interim semper rei habendam rationem iudicaui, quàm verborum: quanquam in neutro id mihi sumpserim, vt quod Commentarij Prouinciarum tam liberaliter benéque suggererent, id absque delectu protinus aspernarer: facilius aliquam

Digitized by Google

ſtyli inconſtantiam ſubinde ferendam, ratus, quàm vel ſenſûs, vel rei, vel operæ, quàm mea ſit, melioris iacturam. Simile quid (vt exemplum accipias) notabis in nummorum rationibus, quas alibi per aureos, florenos, philippeos; alibi per ſeſtertia, libras, denarios inſtituerant: tametſi enim vetus illa ſeſtertiorum, librarúmque ratio iniri facilè potuiſſet, & ad noſtram monetam accommodari, placuit tamen certas ob cauſas, cuiq; ſuam relinquere numerandi rationem. Sed & ea capita, quorum generalem rationem principiò cuiuſque Prouinciæ iniuimus, ita conſtituta ſunt, vt non omnia proculdubio complectantur, quæ à Collegijs facta, ſed tantum ea, quæ notata: adeóque mirari neminem velim, ſi V. G. alicubi quadraginta tantum, aut quinquaginta Confeſſiones generales inſtituiſſe; ſeptem octóve Aſcetica noſtra tractaſſe: decem aut viginti in gratiam redijſſe ſignentur à nobis, cum plures plerumque fuiſſe omninò probabile ſit. Enimuerò habuerunt vtique non minus ſuas cauſas illi, qui ſimilium rerum exactiorem ſupputationem non fece-

fecerunt, quàm ego, qui plures non collocaueram. De numero autem personarum signando hæc scripta accepi monita: *Principio annuarum cuiuslibet anni ponetur numerus omnium Nostrorum, qui eo anno in Prouincia vixerunt: quot ex illis Sacerdotes, Præceptores, Scholastici, Coadiutores temporales: quot eo anno admissi in Societatem: quot mortui: non erit necesse postea in singulis Collegijs eadem quoad personas illius Collegij repetere.*

Itaque Socij omnes in Classes quinque erant redigendi, quemadmodum in tabulis nouo quidem modo de voluntate & consilio Præsidum nostrorum feci. Si cubi verò quarundam classium foruli vacant, aut cum numero, qui vniuersim positus est, non vsquequaque consonant partes singulæ, veniam precor, siue mihi, qui cùm alijs vtique in rebus, tùm in computando errare potui: siue illis, quorum Autographa aliter ad me non peruenerunt.

Complectitur ergo annus milleſimus ſexcenteſimus Nonus Prouincias tantum octodecim: Decimus, viginti:

Digitized by Google

Vndecimus tres amplius: reliquæ, cum missæ non fuerint, nec in numerum venire, nec typum potuere.



SYL-

Digitized by Google

SYLLABUS
PROVINCIARVM
ANNI CIↃ. IↃC. IX.

Beatificatio B. P. N.
IGNATII.

PROVINCIÆ.

Lusitania.
Toletana.
Sardinia.
Francia.
Aquitania.
Lugdunensis.
Tolosana.
Belgica.

Au-

Digitized by Google

Auſtria.
Germania ſuperior.
Rhenana.
Polonia.
Lithuania.
Aragonia.
Boetica.
Peruuium.
Inſulæ Philippinæ.
Mexicum.
Vita Michaëlis Ayatumi, Adoleſcentis Indi.

CELE-


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



CELEBRITAS BEATIFICATIONIS B. P. N. IGNATI, SEV Cultus & lætitiæ signa A SOCIETATE, noſtriſq; paſſim amicis toto ferè terrarum orbe edita; quando primus Ordinis noſtri parens ac conditor à PAVLO V. Pont. Max. BEATVS eſt renunciatus.

ANTEQVAM vniuscuiuſq; prouinciæ res ordine perſequerer, operæ pretium exiſtimaui, ad faſtidium intercalaris narrationis imminuẽdum, in vnum locum &c. quaſi cumulum conijcere, quidquid vbique terrarum,

Digitized by Google

rarum, vel à socijs, vel ab alijs nostri amantibus hominibus, piè honorificéq; ad pompam fuisset institutum; quando IGNATIVM Ordinis nostri antesignanum & caput, notâ beatitatis ab eo, qui poterat, insignitum acceperunt. Feciq; hoc, si minus necessitate, exemplo certè permotus, quòd idem non malè quarundam prouinciarum scriptores aduerterim factitasse. Seruabitur itaq; ordo locorũ, qui & reliquis in Annalibus erit; Annorum perinde seruari hoc quidẽ argumento non potuit; cùm alia loca citiùs, seriùs alia, lætitiæ pietatisque suæ signa prodiderint; quandoquidem nec eodem tempore in prouincias nuncius huius rei potuit deuenire; nec ab omnibus apparatus necessarius tam citò fieri: pleræque autem Anno millesimo, sexcentesimo, decimo, diem B. IGNATII primò festum celebrârunt: pauciores nono.

I. QVAMPRIMVM igitur eo anno certis nuncijs accepêre Siculi, optimum parentem IGNATIVM à Summo Pontifice inter Beatos Cælites nominatum, conceptam animo lætitiam, & in eum virum venerationem, multis argumentis testari voluerunt. Panormi perillustris Tragœdia ad plausum data est, Almyra Saracenorum tempore Siciliæ Tyrannus: in ipsâ videlicet Collegij Aulâ; quæ, Magnificis vndique conuestita aulæis, res à B. IGNATIO gestas, vario epigrammate, emblemateque expressas, exhibebat. Sodales Parthenij in atrio nostro montem quendam ex lapidibus, ad Serrati illius formam, erexêre; in quo IGNATII statua, flexis ante B. Virginem

Digitized by Google

nem poplitibus, vota nuncupabat. E regione Manresæ vrbem oppositæ, in quâ altera eiusdem Beati statua, cæleste spectaculum admirantis, erat collocata. In vmbilico atrij tres fontes manabant, eo ingenio, vt cælestem vnus machinam, omnesque eius orbes, ad naturæ propè inuidiam moueret: alter verò stellam; tertius malum punicum: illa radijs, hoc apice, aquam emitteret. Deliciæ ista oculorum erant; aures musici concentus ad omnes atrij fenestras dispositi demulcebant; vnde & bellica pendebant insignia complura; totâ ciuitate, ipsóque adeo prorege ad spectaculum confluente. Patres Carmelitani Deiparæ imaginem, multis insignem miraculis, ad nostram adduxerunt ædem: Parochi, quorum in templis rudem ætatem Christianis præceptis imbuimus, longos instituère versus ac ordines: præcedebant nobiles adolescentes, aut exornati, equis portati, variaque Beati insignia præ se manu ferentes: sequebantur mille admodùm ex reliquo discipulorum cætu Io Ignati ingeminantes: Erant hi lauro coronati, palmasque manibus gestabant: Atque ita suum quæque curia munus, cum insignibus, Beato offerebat. Illa etiam, quæ publicis arcetur custodijs, sodalitas licet vincta, teneri tamen non potuit; quin suum quoque è carcere munus symbolumque honoris submitteret. Inde datum Drama de eodem Beato: cuius iucunda adeò dulcisque per multos dies fuit memoria, nil vt aliud ferè omnium ore ac sermone, celebraretur.

Digitized by Google

rarum, vel à socijs, vel ab alijs nostri amantibus hominibus, piè honorificéq; ad pompam fuisset institutum; quando IGNATIVM Ordinis nostri antesignanum & caput, notâ beatitatis ab eo, qui poterat, insignitum acceperunt. Feciq; hoc, si minus necessitate, exemplo certè permotus, quòd idem non malè quarundam prouinciarum scriptores aduerterim factitasse. Seruabitur itaq; ordo locorũ, qui & reliquis in Annalibus erit; Annorum perinde seruari hoc quidẽ argumento non potuit; cùm alia loca citiùs, seriùs alia, lætitiæ pietatisque suæ signa prodiderint; quandoquidem nec eodem tempore in prouincias nuncius huius rei potuit deuenire; nec ab omnibus apparatus necessarius tam citò fieri: pleræque autem Anno millesimo, sexcentesimo, decimo, diem B. IGNATII primò festum celebrârunt: pauciores nono.

I. QVAMPRIMVM igitur eo anno certis nuncijs accepêre Siculi, optimum parentem IGNATIVM à Summo Pontifice inter Beatos Cælites nominatum, conceptam animo lætitiam, & in eum virum venerationem, multis argumentis testari voluerunt. Panormi perillustris Tragœdia ad plausum data est, Almyra Saracenorum tempore Siciliæ Tyrannus: in ipsâ videlicet Collegij Aulâ; quæ, Magnificis vndique conuestita aulæis, res à B. IGNATIO gestas, vario epigrammate, emblemateque expressas, exhibebat. Sodales Parthenij in atrio nostro montem quendam ex lapidibus, ad Serrati illius formam, erexêre; in quo IGNATII statua, flexis ante B. Virginem

Digitized by Google

nem poplitibus, vota nuncupabat. E regione Manresæ vrbem oppositæ, in quâ altera eiusdem Beati statua, cæleste spectaculum admirantis, erat collocata. In vmbilico atrij tres fontes manabant, eo ingenio, vt cælestem vnus machinam, omnesque eius orbes, ad naturæ propè inuidiam moueret: alter verò stellam; tertius malum punicum: illa radijs, hoc apice, aquam emitteret. Deliciæ ista oculorum erant; aures musici concentus ad omnes atrij fenestras dispositi demulcebant; vnde & bellica pendebant insignia complura; totâ ciuitate, ipsóque adeo prorege ad spectaculum confluente. Patres Carmelitani Deiparæ imaginem, multis insignem miraculis, ad nostram adduxerunt ædem: Parochi, quorum in templis rudem ætatem Christianis præceptis imbuimus, longos instituère versus ac ordines: præcedebant nobiles adolescentes, auro exornati, equis portati, variaque Beati insignia præ se manu ferentes: sequebantur mille admodùm ex reliquo discipulorum cætu Io Ignati ingeminantes: Erant hi lauro coronati, palmasque manibus gestabant: Atque ita suum quæque curia munus, cum insignibus, Beato offerebat. Illa etiam, quæ publicis arcetur custodijs, sodalitas licet vincta, teneri tamen non potuit; quin suum quoque è carcere munus symbolumque honoris submitteret. Inde datum Drama de eodem Beato: cuius iucunda adeò dulcisque per multos dies fuit memoria, nil vt aliud ferè omnium ore ac sermone, celebraretur.

Digitized by Google

II. His gemina ferè Professa Mamertinorum domus habuit; & singularia quædam. Simul enim à P. Præposito nobilissimus Magistratus hac de re factus est certior, vt declaret, quo nostram Societatem animo complectere tur: quingentos mox aureos liberalissimè in festi diei apparatum, transmisit. In primam vespertinam precum pompam prodière cum Illustrissimo Archiepiscopo Senatores magno procerũ, optimatum, equitumque comitatu: tùm etiam PP. Cappucini, Minimi, alij ex Augustinianâ familia religiosi viri: quos omnes militum cohors insignibus suis exculta supplicabundos anteibat; atque hi fistularum puluere erumpẽte; illi accensis funibus suam publicè declarabant in Beatum venerationem. Cæteri autem ciues pinguis tædæ luminibus, ceræ oleique in propriarum ædium feneſtris incensis, & mirâ arte constructis, ita certabant: vt Messana tota IGNATII ignibus ardere videretur. Mane Saturni die, qui videlicet dies Beato festus agebatur; Illustrissimus Antistes publicè fecit, de nostro instituto ad populum dixit, apud nos prandit. Opificum Sodalitates, quæ multæ sunt, in hac domo ingentis magnitudinis obeliscum tormentario puluere instructum erexêre: cui spectaculo Senatus frequens vnâ cum Antistite interfuêre: quorum aduentum simul, machinæq; concremationem, populus gestiens festiuo plausu salutauit; atque, *Io. B. IGNATI*, conclamauit. Dominico die nobilium, optimatumque Sodalitas, perhonorifico equitatu, facibusque manu

manu prælatis, ad noſtrum templum venit; acceptoque ibidem, ſolenni ceremoniâ à P. Præpoſito, ante BEATI aram genibus prouoluta, vexillo, auro gemmisque rigente, & literis, *Ad Maiorem DEI Gloriam*, intextis, Vrbem totam inter feſtos campanarum, ſcloporum, tubarum, vocumque variarum, ſtrepitus obiuit: ac tandem ad ſacram ædem reuerſa eodem, quo acceperat, ritu vexillum P. Præpoſito cum reddidiſſet, domum lætabunda diſceſſit.

III. SYRACVSIS is hoc die apparatus fuit & pompa; qualis nec viſa antehac, nec audita id loci. Toto die incredibili ciuium frequentiâ templum repletum eſt; quæ pietas ſequentibus octo diebus tenuit: miſitque magnam cereorum copiam ad nos Magiſtratus: Vrbis optimates perſimili omnino ordine, equitatu & apparatu, quo Mamertini ad templum noſtrum deuenêre; peractisq; inibi diuinis laudibus vrbem cum facibus obequitarunt: qui mos in hoc regno iam antiquus eſt, quo eiuſmodi ceremonijs publicis inſigniores dies celebrantur. Opificum etiam Sodalitas, quæ ſat ampla hîc eſt; triginta arcuum opus, lampadibus aptè interlucẽtibus, excitauit; quod mirificè probârunt exhilarati ſpectatores. Tantum nobis in honorem BEATI collatum Eleemoſynæ eſt, vt & in templi maiorem ornatum ſumptus, & in vinctos ferroque oneratos annona potuerit conferri. Adoleſcentes diſcipuli noſtri, & milites vrbis, ſuo quique modo, diei huic applauſerunt.

IV. In Profeſsâ Neapolitanâ domo, ædes magnificis

Digitized by Google

gnificis aulæis prætexta est, quæ Sociorum imagines interstinguebant; qui pro Christiana fide fortiter fecerãt: confluxêre omnis ordinis mortales; ipséque Regni Præfectus, Hispanorum equitum turmâ, Heluetiorum peditum prætorijs cohortibus, stipatus, numeroso cætu fagatorum togatorumque optimatum prosequente. Magna fuit & vicinorum quorundam populorum religio, qui agminatim accurrentes in templo anathemata suspendebant, grandes cereo opere faces, pensile ex argento candelabrum; alia religiosi animi monumenta. Quibus sub Vesperum exactis, in reditu Prætor ante suas ædes excitatus offendit pegma, turritum illud igniq; concipiendo aptum; in quo à simulachris infernorum monstrorũ victricia collocata signa cernebantur: & paucorum interiectu passuum, incidebant draconibus duæ feræ, sagittis instructæ, spectatricem multitudinem destinantes ad ictum. Equestris inde theoriæ seu trãsuectionis mirus ludus secutus: tum alia militum exercitia: donec ignis vario artificio diuisus, applaudentibus Neapolitanis, pegma ipsum cum draconibus ferisque absumpsit. Ita inter ignium spectacula exactã nocte lux sacratioribus studijs data est; omnium ferè ordinum Præsidibus & Cœnobitis in arà Beati rem sacram facientibus, cœlestique pane benè magnam hominum turbam pascentibus. Aderat rursus eodem comitatu Prorex cum coniuge; dixeratque de BEATI laudibus Paulus è Tolosâ Bouiensis Episcopus. Occidente sole vespertinorum ignium scenas excepit

Digitized by Google

pie pietas Aglaiensium piscatorum; qui religiosum agmen in mari instruentes celocibus, Actuarijs, lintribus, igne plurimo coronatis vnà oculos detinebant, aurésque pio delectabant cantu.

V. Iam Verò Baroli, Theate, Massæ, Salerni, Nolæ, Catantarij, Beneuenti, Tropeæ, Bouinij, & præsertim Consentiæ, vbi pompa omnis & apparatus ex ærario publico curatus est; faces tormenta bellica, æra campana, ignes arte excitati lætum hunc inquilinis omnibus peræquè fecêre diem.

VI. Borii præter artificiosissimam vocum consensionem & harmoniam, illud extitit peculiare à cæteris; vt area theatralis ante nostram ædem gratissimum in sublime cogeret laticem, pusiones aliquot in orbem versantem; à cuius vmbilico non improcera sese machina erigebat: contra quam collocata Ignatij statua, dum ictu pyrobolorum sphæram diuerberat, ecce tibi Cacodæmonem erumpentem cornibus, proboscide, naribus, auribus, oculisque incendia eiaculantem. Plus gratiæ fuit in pietate ciuium: Siluit quippe ius; vt Neapoli quoque factum exciderat: venale eo die nihil expositum: ab ipso qui præest Sacris, de Beato habita oratio: ita deinque cum religione peracta omnia, vt supra votum cecidisse viderentur.

VII. Adria quoque, quod haud facilè credas; reliquarum splendorem Vrbium si minus superauit; certè æquauit; tùm quòd honorarium habuerit Octauium Aquaniuam ex Purpurato-

Digitized by Google

rum Patrum Ordine: tum quòd nouo inuento hippocentauros, gigantes & Nanos in arenam produxerit, ludicro certamine commiserit, brauia Victoribus distribuerit. Vrbe totâ melicis attemperata modis laus est IGNATII: ducta saltatio, quam indigenæ intectam vocant; *Io Loiola* identidem repetentium.

VIII. NEC AQVILA breuem requirat narrationem; nisi pro commemoratis haberi possint, omnia ferè, quæ de reliquis adscripsimus. Hæc quidem mensis dimidio quotidie concionatorem habuit è Patribus omnium pænè Religiosorum Ordinum huius Vrbis: à prandio verò proponi solitæ sunt aut quæstiones Philosophicæ ac Mathematicæ, aut aliqua certè de IGNATIO Panegyris: eidem decretus ab Vrbe vniuersâ Triumphus.

IX. SOLERTIA Lupiarum & pietas commendanda etiam occurrit. Erectæ hìc sunt ad templum Collegij aliquot ligneæ turres; ad reliquas ædes aliæ machinæ ingentes Vulcano consecrandæ. Nauis itē per aërem labi visa, ex quatuor orbis partibus huc appulsa est: ex quâ post aliquot tormentorum bombos Oratores quatuor prodierunt; & suam quisque orationem idiomate suo de IGNATII rebus gestis dixēre: Indicus, Asiaticus, Africanus, Europæus. Ignes vt alibi arserunt.

X. E VENETA Prouincia Mutinam video apparatissimè hunc diem peregisse: præsens tum fuit Cardinalis Estensis; Adolescentes Principes & nobilissimi quique pias suas in Beatum nostrum

ſtrum partes deſiderari non ſunt paſſi: nec defuit, qui ſumptu ſuo templum noſtrum facibus illuſtrauit; Sacrumque Muſica inſtruxit. Forliuij magna omnium fuit gratulatio & gaudium. Mantuæ Epigrammata & Emblemata Ignatii virtutes inſigniter commendabant.

XL. Lvsitani feſtis præcipuè ignibus beatos Ignatii honores auſpicari voluerunt. Ac poſt diuturnam quidem conſultationem; quidnam pro rei magnitudine dignum dari poſſet, ijs qui ad Profeſſorum ædes Oliſſipone ſpectant; placuit equum ſimilem illi, quem Troia olim fatalem vidit (ſi tamen vidit) excitare: ceſſitq; opus ex ſententiâ; atque ipſo Ignatii beato die, moles ea mediam complexa aream, ſtupentibus viſebatur animis. Intumeſcebat videlicet vterus pinguibus è pice ac ſulphure maſſis, canalibus nitrato refertis puluere, ſuóq; ordine vtrinque prominentibus. Illuſtris interim Prætorianorum cohors, in cuneum conglobata, Equum hunc, ſumma tectorum faſtigia altitudine ſuâ emetientem obſedione cingere, vocibúsque prohibere; donec aliorum labore inter tormentorum ſtrepitus paulatim fictæ Troiæ magno Triumpho inferebatur. Qui vbi intra Vrbem receptus eſt, velut interitum omnibus minitaretur, flammas per hiantia ſtatumina coſtásque perforatas eiectare cæpit; ipſéque omnis in fumum ire non ſine ingenti tormentorum vi & fragore. Videres eâ in nocte collucentes totius Vrbis feneſtras, crebríſque luminibus aptè diſpoſitis rectos in ſublimè radios ferri; ac multò

Digitized by Google

magis audires etiam hominum voces ad Beati IGNATII laudes mutuo sese inflammantes: festos campanarum pulsus, aliàque id genus è turribus, triremibus, nauigijsque, data communis lætitiæ signa. Postero die insolita templi Maiestas ciuitatem traxit; tùm quæ ad splendorem facere videbantur, aulæa, & peristromata, ex ipso regio thesauro, nunquam anteà prolata, singulari Proregis in nos beneuolentiâ, in eius diei vsum subministrabantur.

XII. NEC enimuerò à domo hac, seu pietate, seu industriâ, superari se passum Collegium est: cui illud quidē subijt, vti quatuor orbis partes, Asia, Africa, Europa, America, hoc etiam allecto gaudio Olyssiponē adnauigaret; vnáq; honoris atq; obsequij nomine aras Beati Venerabundæ salutarent; vt à cuius socijs veræ religionis lucē vel accepissent, vel accepturos se aliquando sperarent. Igitur longo rerum procedente apparatu nulla vllius Ordinis erat domus, quæ non gēmis & precio propemodū exhauriretur, ad quatuor illas Orbis Personas barbaro luxu instruendas. Nēpe in portu nauigia serico filóq; verticolore fulgentia cōspiciebantur, quibus illæ suo cū comitatu sūt impositæ. Inde sublatis anchoris aduerso amne leuissimè deferuntur inter mutuum maiorum nauigiorum conspectū; inter acceptas redditásq; fistularum crepitantium salutationes; inter tubas ac tympana vtrinque perstrepentia. Commeabant & lembi numero prope infiniti, cymbæque quæ errantes ac ludibundæ citharis multiplicíq; concentu iucundius iter reddebāt.

Ad

Digitized by Google

Ad quod dum spectaculum impetu quodã ruebat vniuersa ciuitas, mœnia, fenestræ, summæ tecta, spectatoribus complebãtur: omnium oculi ac sensus in peregrini orbis gente morabantur, tàm linguis, quàm habitu diuersa; quãdo & celeberrimæ Vrbes, ac Orbis Prouinciæ, suo quæq; fastu ac symbolo ad elegantiam compositæ non aberant; quibus Roma velut Domina, ac caput præcipuo quodam supercilio etiamnum imperitabat. Ad oram maritimam præstolabantur quadripartitum Orbem quatuor currus, distinctis incrustationibus, ac triumphales variè pigmentis ornati. Assidebant pro comitatu deductores pueri longo ordine, ac serie: adeóq; omnes partim pedibus, partim numeroso ac decoro equitatu Collegium nostrum rectà petebant; inspectante ac prosequente Pompà ciuitate penè vniuersà: quę ita placuit, vt iudicauerint Priores, si Lusitaniam petat (vt tum iactabatur) Hispaniarum Rex, eum non splendidius atque pro regiâ dignitate cõuenienti posse excipi ac salutari. Per hos enim dies ipsi quoque discipuli nostri, à toga ad sagum conuersi, instruxerunt ordines, & sub signis totam vrbem obeuntes, iucundâ fistularum explosione, aliisq; lætitiæ significanibus Beato Ignatio publicum quodammodo fecêre sacramentum. Nec cum die finitus applausus est. Nocte appetente prodierunt sulphureis armati romphæis Gigantes; qui in vicinis Vrbis mœnibus stantes illam cum Ioue suam pugnam, fabulamvé repræsentârunt; támque diu fatigârunt aduersarium Tonantem, donec

Digitized by Google

donec emissum ab eo tandem fulmẽ subiectam Aquilam mille locis fædâ laceratione distraxit; Ætna mõte in medio non ficto exæstuante; populoq; familiam IGNATII vocibus honestissimis identidem compellante. Sed in primis templũ splẽdebat; quod iterum Prorex accedere magnâ procerum stipante cateruâ voluit: peracta sacra à Promõtorij Viridis Pontifice: pro cõcione dixit Septensis Antistes; postera hebdomas tota fuit genialis, partitâ in singulos dies celebritate: editi ludi Equestres admirabili Olissiponensium Dynastarum liberalitate: nauale institutũ certamen: à litteratis non minus certatum eruditione; quam & parietes vario carminum grammate vestiti ostendebant, & ipsi Professores Academicis quæstionibus ad disputandum propositis insigniter demonstrabant. Atque hæc ferè Olissipone.

XIII. CONIMBRICAM verò simul bonus hic nuncius perlatus ad nostros est; communis eodem manè in triclinio, pro gratiarum actiione, flagellatio instituitur, Rectore præeunte: à meridie festus æris campani pulsus è Collegio datur, templo maximo, Academiâ, paræcijs omnibus, ac cœnobijs læto sonitu respondentibus. Rei nouitate commoti Conimbricenses ad nostram ædem turmatim conuolant. Agmen ducebat ipse Illustrissimus cum Rectore Academico, Religiosis cæteráque primariâ ciuitatis nobilitate: qui omnes domum cum tubis tibiisq; ingressi, eum diem festum nobis, & felicem esse iusserunt. Primâ nocte ad fenestras accensæ faces

ces Collegium ambierunt, quæ tribus integris horis ita noctis tenebras fregerunt, procul vt aspicientibus reiqueignaris Conimbrica videretur ipsa incendio conflagrare. Mox arundinei canales, concepto à puluere tormentario igne, caudatos cometas ad viuum exprimebant. Canaliculi interdum minores, crinitas fauillas cum fragore eiaculantes, erratico motu humi discurrebant. Pyramides insuper duæ non igne sulphureo fumidæ, sed flammis quâdam sui parte candidis, aliâ verò sanguineis conspicuæ, alibi rursus cæruleo, viridante alibi lumine resplendebant, quam colorum varietatem ardentes cerei, discoloribus lychnuchis inclusi, quos papyrus arte dispositacontexerat, faciebant. Hoc spectaculum bonam noctis partem absumpserat; à quo deinde rectà Illustrissimus Episcopus & Academiæ Rector, comitantibus Nostris domesticum sacellum petiêre; vbi ante B. Patris aram inter peritissimos musicos, alternantibus ad fides vocibus, palàm fuit iucundissima contentio. Atque primum hoc fuit amoris & honoris signum, quo quidem ad maiora & illustriora post mensem exhibenda veluti prolude-batur. In ipso igitur peruigilio eius diei, quem nos diem Candidato nostro festum celebramus, summo manè Vrbis propugnaculum, signis militaribus præcingitur, tympanis repetito ictu bellicum perstrepentibus, sclopis quasi in hostem versis; atque hanc sibi prouinciam vltrò Sodales Parthenij depoposcerũt. Templum nostrum, si vnquam aliâs, peripetasmate precioso indui-

Digitized by Google

induitur. Ara princeps Diuorum reliquiis instructa medium IGNATIVM excepit, sub eâ effigie, quâ inter mortales vixerat; Auxit ornatum lipsanotheca rari operis, trecentis supra mille aureis æstimata; quâ hoc anno præter alia, sacra huius ædis supellex accreuit. Illustriſ. Pontificem, etsi graui tunc morbo vexatum, antiqua tamen in nos beneuolentia domo euocauit; non sine magno pietatis argumento; asseuerantem, se populum eâ die solenni Pontificis precatione non defraudaturum; licet idcirco vocis iacturam esset facturus. Sed nimirum tantum abfuit, vt valetudini suæ incommodaret, vt eidem etiam, quamuis diu sub aperto cælo consisteret, multùm profuisse videretur. Peractis ita solẽni cantu vespertinis precibus, mox ante ostium templi egredienti turbæ in amplissimâ aream sese offert pulcherrimum vtique spectaculum. Ingens Elephãtus mediâ in planicie lento incedebat gradu, priscæ artis & magnificentię opus: dẽtium candor, nodosum tergum, maculosa cutis, vasta moles, omnia denique viuam bestiam loquebantur. Belli faciem præ se ferebat turrito dorso militẽ armatum gestans, qui Martẽ igneâ hastâ lacesseret. Quatuor deinde prælti mali ad totidem areę angulos præfixi surgebant; quorum primus Illustriſ. Alphonsi de Castolbranco gentilium stẽma in superiori parte ostẽtabat; arcem nimirum murorũ præcinctam pinnis, propugnaculisq; munitam; cui iubatus leo posterioribus innixus pedib⁹, & anteriores veluti ad prędam extendẽs, insidiabatur; insitam à naturâ iracundiam

condiam exerere paratus, nisi regium diadema Pontificio galero desuper impositio, blandienti similem, & in supplices clementem redderet. Secundum malum immanis Serpens, veteri illi, quem Moises erexerat, geminus, spirarum nexibus inuoluebat; quę artificis industria ita squamis loricauit, sic maculis toto corpore distinxit, patulũq; oris hiatum trisulco linguæ iaculo muniuit, tam subtiliter alas dorso innexit, vt exitiale monstrũ ipsi quoq; spectatores metuerent. E regione Delphinus visebatur prolixâ caudâ in orbem reducta, simo rostro, & repando dorso, suo colore expressus. Ac ne quid vero pisci deesset, casus mutuas operas naturæ tradidit; ventorum enim flatu malus agitatus geminos Delphino motus suggessit; cuius ea natura fertur esse, vt interquiescendi nescius, eundẽ & vitæ, & agitationis finem sortiatur. Is pinnarũ aculeis, veluti vaginâ reconditis equitantem Neptunum ferebat, conchis tectum, & tridentẽ pro imperio gestantem. Atlantis quartus erat Colossus; nimirum torosis brachijs prægrandem cælestis sphęræ machinam sustentabat gigas, quem scintillantes astrorum ignes, errantium planetarum cursus, aliorúmq; signorum discretæ figuræ viuis coloribus variabant. Sed has omnes machinas singulari modo exornabant minuscula quædam tormentorum genera nuper inuenta; in quibus maximè sese prodebat ludẽtis ingenij artificium: quãdoq; enim caudata intern odia perfectissimi Orbis imaginem exprimebãt; alibi distinctione virgatâ canales maiores implicati apparebant;

Digitized by Google

parebant; qui iam in obliquũ detorti, modò in rectum producti, nonnunquam pectinatim dẽsati; vt arcis pinnas & propugnacula, leonis iubas, linguam, vngues & diadema; serpentis volumina, maculas: Neptuni ac Delphini, tridentẽ, conches, alia insignia; Atlantis deniq; prolixam barbam, & sphæræ cælestis omnia signa graphicè expressa oculis subijcerent.

Dum horum contemplatione omnium suspensi occupãtur animi, ecce tibi sub noctis crepusculum facibus inusitatæ magnitudinis, ad ianuas & per Collegij ambitum multiplicato ordine accensis inscriptio hæc legentibus patuit; B. P. IGNATIO Societatis IESV Fundatori Optimo. Et in hac epigraphe SS. nomen præ reliquis ita luxit (vtpote maioribus expressum literis) vt de die clarissimos solis radios hebetare, de nocte vnum aliquod ex illustrissimis sideribus esse videretur. Quamprimùm ergo diuinum nomen igne humi accepto in sublime euasit; cymbalis, tubis, tympanis, magna concordià accinentibus, incredibile dictu est, quantã præsentes omnes animo conceperint voluptatem. Continuò tubi propemodum infiniti raptum ignem cum fragore per aëra trahebant Pogonias imitati, iaculi instar euibrati alij, quantùm propè oculorum acies sequi posset, acontias referebant; alij in coronam dispositi crebrò in orbem rotatu agebantur, hippeos vti crederes; minores fistulæ igne desuper in terram allisæ (pedum iocosa pestis) locum ex loco rapientes, obliquo impetu discurrebant. Inter hæc multi hastis

Digitized by Google

hastis, ensibus igneis, iaculisque instructi in arenam descenderunt; qui tam acriter nunc eminus telis, iam cominus gladijs, flammâ ad singulos ictus subsiliente decertabant, vt bellum non fingi, sed geri existimaretur. Finitâ pugnâ Atlanti primùm, deinde alijs machinis admotus ignis; qui crescentibus paulatim viribus, terribiles cælo resonante edidit fragores: discursantibus enim vltrò citróque facibus, & sæpe (quasi ex pacto fieret) vnum, omnibus facto agmine, insequentibus, rursúmque in se violento motu reuertentibus, iam nubes rumpi, iam torméta bellica explodi videbantur. Quatuor præterea arbores, & alia quædam pyramidata machina, ad Collegij tectum erecta, innumerisque funalibus præcincta, suam quoque gratiam habuerunt; ex illis enim in frondium vicem ignei Euripi, instolonum ac brachiorum, flammei veluti Nili valido cum tonitru, circumstantiúmq; applausu erupêre. Cælum ipsum mirè fauit spectaculo, nocte inprimis sudâ & serenâ.

Iam Elementa B. Ignatio gratulationis ergo in scenam quasi prodierunt; Tellus cum suo leone ac serpête; Mare emisso, cum Delphine, Nepruno: Ignis tot facibus omnia collustrantibus: ne quid igitur absoluto operi deesset, aut aliqua Mundi pars in tàm sancto triumpho à communi lætitiâ vacaret; in aëre auium quoque instruitur agmen; quod multicolor, sed vnicus, duceret Phœnix. Hunc nigricantes Aquilæ, candentes cygni, aliæ vario plumarum ornatu volucres suis se librantes viribus sequebantur, eâ volatus

Digitized by Google

dexteritate, vt à summâ arce in medium demissę theatrum, nunc alis nitrato igne animatis perstreperent, nunc vnguibus subiectam humum morderent, nunc etiam rostris admissu per æstuantes canales spiritu, quodammodo cantillarent. Sed ludus hic rerum varietate copiáque impeditus eá nocte interrumpi ac procrastinari debuit, vt die insequenti aues solæ volarent. Illud porrò huc pertinet. Ea dum ad nostrum Collegium in multam noctem agebantur, Illustriss. Episcopi domus accensis procul funalibus triũphales faculas ostendit, quas illicò tota Vrbs vnanimi cõsensu fuit imitata; vt expositę ad omnium domorũ ianuas, atq; in ipsis etiam tectis faces, iacti in aërẽ ex omnibus ferè plateis arũdinei tubi diem in mediâ nocte fecisse viderentur. Postera lux Dominica, *Beati* honores, quãta maximâ potuit, celebritate magnificentiáq; per solenne sacrificium euulgauit; eà populi frequentiâ & accursu, vti cõplures templi nõ angusti angustijs excluderẽtur. In triclinio secundùm rem diuinã, præsente Rectore Academico, Religiosisq; diuersorũ Ordinum, non paucis, vario linguarũ idiomate à tredecim è Nostris super vitá & rebus gestis Ignatij est disputatũ. Totam põpã clausêre Vespertinę preces, quib⁹ peractis Prę-sul ipse Pontificio ornatus habitu, populum Conimbricensẽ solẽni p̃catione impertitũ, dimisit.

XIV. EBORÆ diès quędã Iouis & à meridie hora secunda apparatui explicãdo selecta est. Ciues Vrbem totã per pinnas certáq; murorum interualla laternis grandioribus coronârunt; quæ vbi cereis

cereis accensis splendere cæperũt, mira diuersorum colorum varietate spectantium oculos, atq; animos in se rapuêre. Nostrũ prçcipuè templum triplicato ordine sacib⁹ disposítis erat pilluſtre: sacrosanctũ Iesv nomen notis, candicante in tabulà mediũ radiabat; summo in tecto pyramis ignea montis similitudinẽ indiscretá referens eminebat; in cui⁹ medio editissimus extabat mal⁹, varijs ad quatuor ędificij angulos funib⁹ ductis; è quib⁹ aptà proportione pendẽtes lychnuchi mõtiũ flexus & crebros vertices longo tractu excurrẽtes; pdebant: in quibus acutæ rupes, minoráq; saxa incẽdio conflagrarent. In mali fastigio Crucis surgebat signũ igneo splẽdore fulgurans, flámeo indidẽ affixum globo. Cornua templi quatuor alias deinde pyramides in sphęras desinentes sustentabant. Periucundũ etiam fuit Herculem inusitatę vastitatis ex loco peraccõmodo, cũ suâ clauâ eminentẽ spectare; Phœnicem alibi in prælto stipite impositũ suo nido alas in volantis modum extendere: qui ambo canalibus sulphureo puluere fartis ignem exspectabant iam iam admouendum. Adhæc Vrbs Prætore Senatúq; decernente ac volente, præconis voce inclamatũ, positis ad ianuã facibus, se omnes B. Ignatio obsequiosos fore. Quãuis in tanto Eborẽsium erga hostrã societatẽ amore, freno magis opus, quàm calcarib⁹ erat, aut monitore. Neq; .n. Academica iuuẽtus, vel ab ipsis Doctoribus inhiberi potuit, quin *σκιαμαχίαν* quandã prænobilẽ, scripto ad id milite, darent, dictitantes: *Ignatij Militis quondam festũ diem, non iniuriâ, militari*

Digitized by Google

exercitatione celebrandum. Vix simulatæ pugnæ signum datum, & iam igne sclopis & machinis admoto, aciem oculorum, simul armorum fulgor, & coruscantes flammarum globi perstringunt. Herculem videres vultu minaci, clauâ circum caput reductâ, astantem turbam impetere; Phœnicem ad alarum applausum canaliculos alios contorquere, & ludicrum pedibus negocium facessere, quoadusq; sæuienti incendio, càm ales, quàm nidus pabulum fieret, non sine faustâ intuentium acclamatione. Turris insuper lignea super vetus murorum propugnaculum exædificata in quatuor angulis lampades ardebat; in quibus IESV nomen cădidis literis excisum legebatur, superadditâ inscriptione hac: *Turris Fortissima Nomen Domini.* In hanc arcem militum cuneus se receperat; qui à reliquis hostilem in modum expugnati, vmbratilem dabāt; ære campano interim & tympanis tubisq; Martem accendentibus. Multa prætereo, tametsi non pauca dicta sint. Pompâ iam pœnè peractâ Vrbis Adolescentes numerosâ Equitum instructâ turmâ, ad Collegium nostrum pergunt: eò vbi deuenêre, vt ostenderent, quomodo in nos forent animati, fausta omnia consentientibus vocibus precari, & proclamare incipiunt: *Æternum viuat B. Ignatius: Io triumphet societas.* Quo autem fructu hæc fecerit Eborensis iuuentus, infra suo loco dicetur.

XV. BRACARENSES bis eodem anno suorum in Ignatium animorum sensa communibus signis declarârunt: semel ipso scilicet vere, cùm pri-

Digitized by Google

primùm de Beatificatione illius nuncium acceperunt: iterum aliàs, cùm plausum tulit turris altissima, facibus tubisque coronata. Peditum item pugna data, aliaque id genus complura visu, quàm auditu iucundiora. Deducta supplicatio, quæ cùm per se foret splendidissima, magis tamen illustres eam reddiderunt duo interiecti currus; in quorum altero turritum pegma gradatim tectorum culmina exæquabat, egregio artificio cælatum opus: ad quatuor angulos dispositæ prospiciebant fistulæ: partes aliæ vario armorum genere instructæ; non tàm ferri diritate erant formidandæ, quàm vnionibus spectandæ. Virtutum cohors, velut B. Parenti stipendiaria, scutata vniuersa sub Signifero merebat; vitiorum Antesignano lamentabiles querelas in eũdem Beatum, vtpote sibi infensissimum cientes; cuius & teterrima monstra inferiorem sibi locũ vindicabant, ferro in morem seruilem onerata; visu quidẽ non minus iucunda Balæna, ac Panthera Portuensium; quas amphiteatro inclusas subiectus ignis horrendum rugire, ac mugire cogebat. Alterum currum elegantiâ parem duo traxêre Elephantes; Collocatus in eius fronte Phœnix à sole imminente, cum reliquis iuxtà partibus mirificè illustrabatur. Omnibus altior Ecclesia augusta ac decora facie splendens, Ignatij ope auxilióque sic à vitiorum squalore vindicatam se propalàm testabatur. Nec locum habuerunt istîc inanes Cacodæmonum contra Beatum querimoniæ, quibus à quatuor mundi partibus (his Præfectos se iactabant) aduolantes

Digitized by Google

ſpectantium onerabant aures. Soluit & ficta in Indiam nauis; cuius curſum ſocietas aduerſus ſæuas Oceani hyemes, ac procellas fæliciter adiuuabat promouebátque.

XVI. AD Conimbricenſium ferè modum Brigantini erexere Herculē prodigioſà ad terrorem mole, totúmq; ex ære fulgentē, & deuicta olim à ſe duodecim monſtra denuò oppugnantē; Centaurorum manus collato ad pugnā pede eminebat: tricorpores Geryones & cæteri terræ filij ſuā Domitori proceritatē oſtentabant. Cēticeps belua exertis horrebat capitibus, reliquáq; omnia ita arte facta operēq; expreſſa probè ſunt, vt terrorē omnibus incuteret ſpectatoribº. Deniq; tū victore Hercule, eſt mōſtrorū ſubſecutus interitus; triūphauitq; vt Bracaris, duce Ignatio virtutū manus; & ſecū Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, quincias cum Luſitanię Vrbibus celeberrimis traxit; quibus Brigantina politiſſimo elata vehiculo inſigniori quadam ſpecie gratul abunda occurrit.

XVII. CERTARVNT porrò æmulà quadā pietate in Beatū cum his Villauicoſani, Turdetani, Anicienſes, Funchalenſes, alij apud quos ſedem fixit Societas; quorū in adornandis ſupplicationibus publicis præcipuè eminuit ſtudium: quas tamē ſupplicationes, etſi illuſtres, vt alijs etiam Prouincijs ſuus remaneat locus; omittendas cēſuimus: tenuit certè celebritas apud Funchalenſes quindecim ipſos dies: noctes quoq; ſua ſpectacula à dictis parum diuerſa habuerunt.

XVIII. TOLETI cōmuni decreuit conſilio Canonicorū Collegium, in huius diei celebritatem ſuppe-

Digitized by Google

suppeditare thesaurũ sacrorum cinerũ, à quibus sunt instructissimi, raro exẽplo, quod alijs quoq; huius Prouinciæ locis nostri passim amici factitârunt. Madriti, Cõpluti, Murciæ aulæa, vtpote elaboratissima mirum templis nostris conciliârunt honorẽ ac lucem. Imago B. P. Ignatij eo gẽmarũ moniliúmq; pondere obruebatur, vti pretiũ aureos centies mille cõficere diceretur. Neq; Magistratus ꝓfanęq; Nobilitatis solũ homines, sed Religiosi etiã, præcipuéq; Dominicanę familiæ Patres ita negotiũ istud curârunt, vt propriũ nõ possent magis. Noctes cõmuni decreto operéq; illustratę sunt: quanquã calcar spõte sua currentibus addere nequaquã fuerit necessum; cùm plura maioráq; fecerint, quã imperarẽtur. Fuêre qui centũ, qui ducẽta pro foribus & tectis funalia cerei operis accẽderint. Innumera profectò Toleti ab æde maxima duas integras luxêre noctes. Poëtis proposita præmia amplissima, & publico data honore. Idem Oropetæ factum.

XIX. In Sardinia, seu templorũ ornatum, seu Principum virorũ concursum, seu igneos ludos, & artificia, seu, quod potissimũ est, populi cõcurrentis frequentiã feruorẽq; spectes: fuêre omnia præclara. Sciamachiam, quam Lusitanis gemmã dedit Ecclesiense Collegiũ, describo. Erigitur in area capaci ante ędes nostras propugnaculũ: quo inclusi cõplures personati Turcæ, acriter à duplici peditũ cohorte illatis signis cæperunt oppugnari: altera Scholasticorũ, Mechanicorũ Adolescentium altera. Superuenit his subitò Equitũ turma, támq; diu certatũ vtring; est, donec scalis ad-

Digitized by Google

lis admotis non citra ſudorem, quamuis citra ſanguinem, deditio facta eſt; Turcæque omnes ferro onerati in triumphum ducti. Mox arcem ſubiêre cælites; coactóque in gyrum agmine, libero pede tripudiantes facti cauſam verſibus ad id aptis reddidêre.

XV. ALGVERII ne maleuolorum quidem impij conatus obſiſtere poterant, quò minus ſummo optimi cuiuſque ſolatio hic dies tranſigeretur. Sed & Calaritanorum ciuium aduerſus noſtram ſocietatem, tùm aliàs, tùm hac præſertim occaſione voluntas patuit. Indictæ his feriæ publicæ: Subminiſtrati Senatus liberalitate, præter ſexcenta pulueris ſulphurei pondo, neceſſarij in tantam rem ſumptus: nec ſordidiores reliquis fuêre opifices, aliíque, quibus res & fides in manibus erat; adeò vt plerique commoda ſua Beati honoribus poſtponerent. Eiuſdem effigiem ſua manu, arte, ac pretio exornauit Illuſtris D. Iſabella à Requeſenz Marchioniſſa de Vila ſor, tanta rerum operiſq; varietate, vt quadraginta aureorum millium pretium excedere iudicata ſit: cuius etiam opibus ſplendebat alterum ex ſacellis fornicato opere conſtructis. Foris viæ publicæ arcubus, parietes emblematum ſtemmatúmque varietate ſpectatorem detinebant. Secundùm preces veſpertinas; quas vt feſtus bellicorum tormentorum ſonus inceperat, ita & finierat; centum quinquaginta pueri delecti bellico habitu decorè induti cum fiſtulis ligneis ſe oſtenderunt; è quibus radij ignei in longam morem ſcintillantes cum ſonitu emicuerunt;

Digitized by Google

erunt: Porrò Dux, Signifer, Centurio, Decurionésque eiusdem erant ætatis, qua gregarij sed ita edocti vt veteranos diceres. Noctem explosiones æreorum instrumentorum iterum, ignéque ludi excepêre. Die postero, qui Dominicus erat, nobiles è sodalitate, audita in sacello, quod ipsi adornauerant, re diuinâ sacræ mensæ accubuerunt: Archiepiscopus inde, cæterique ordine primates, cum plurimis è varijs Religiosorum virorum familijs, geminóq; puerorum agmine, ad nostrum se templum contulêre: operatus sacris Pontifex communi nobis cum mensâ est vsus. A prandio octo sub signis erectis, variarum artium opifices, adiêre templum, B. Patris salutaturi Effigiem. Sed nihil æquè ad splendorem & lætitiam fuit apparatum, quàm Equitum turmæ, quæ tres erant: quarum primam Nobilium Cullarensis ducebat Comes: altera Præfectorum, & nonnullorum equestris ordinis Hispanorum componebatur numero: tertiæ Vicecomes de Selluri Saconensis Marchionis hæres præerat: Antecessêre hos famuli cum facibus tubarúmque clangore; agitatíque ante templum nostrum ter equis, inclamatum est: *Viuat B. Ignatius.* Parùm ab his diuersa, tùm sequens iterum dies, tùm octaua vidit, quæ satietatis vitandæ præterunda cẽsentur.

XXI. Et de Sassaritanis, quæ alia ferè commemorentur? templi ornatus, campanarum sonitus, Antistitum ordinúmque omnium accursus, vocum concentus, ignium artificia, militum exercitia, currus triumphales, iaculatio-

Digitized by Google

nes,& quæ alia ad festam lætæ celebritatis pompam facere potuerunt, toto octiduo hîc sunt spectata, audita.

XXII. E Gallicanis Vrbibus,quæ hoc accepto nũcio mirificè suam probarunt pietatẽ, munificentiámq.,Mussipontũ eminet. Splendebãt huius in tẽplo tres erectæ pyramides, mirando fastigiatæ artificio, quas apta dispositione collocati cerei illustres reddebant. Drama de Beato vernacula datum : sub cuius catastrophen ipsemet Ignatius in scenam progressus,facem,quam dextrâ vibrabat, in turrim ibi erectam, nitratóque puluere refectam, contorsit, plausúmque retulit.

XXIII. BELGÆ pietatis plenas duxêre pompas : plurimúmque in præclaris supplicationibus deducẽdis laborarunt : inter quas quidẽ maximè illustris ea fuit,quam Bruxellenses & viderunt, & adeò cõmendarunt, vno ore, vt dicerẽt, si qua aliquando pia,rectè instructa,magnificáq; instituenda sit supplicatio, eam ad huius formã, & exemplar componendam. Siue enim desiderares siluescentium vuarum vmbrosas porticus, siue domos pretio, & arte præclaris aulæis conuestitas spectares; siue vocum etiam varias modulationes attenderes; omnia profectò admirationem simul, & pietatem in animo tuo accenderent. Anteambulones fuêre ducenti è Gymnasio studiosi, faces è candidâ cerâ gestantes, quibus singulis affixum diuinissimum IESV nomen, in ære atque auro radiabat. Præferebant cælitum habitu induti vexilla duo,

la duo, quorum vnum B. Patris Ignatij & Xaverij, alterum D. Virginis: vtrumque splendidum, & qualia Regum inaugurationi præferri possent. Sequebantur scholasticos sodales Congregatio Nobilium, Canonicorum, ciuium eodem ordine, nomine tantum IESV, quod priores in facibus gestabant, in Mariæ commutato, vt insignibus distinguerentur, non pietate. Post hos subiêre ex omnibus Religionibus aliquot; tùm ciuitatis proceres, ac primates cereis tædis omnes instructi. Atque hinc iam locum tenuêre cùm fratres è Nostris tum Patres, qui linteati statuam Beati Patris stipabant; quæ succollantibus PP. Francisco Florentio Prouinciali, Francisco Pratano Rectore, Francisco Costero, & Eleutherio Pontano, plerisque virtutum à B. Patre gestarum testibus oculatis, circumlata est. Aliam iterum Effigiem, eámque rebus mirandis super astra iam notam Beati Virginis nimirum Aspricollis, reliqui societatis gestârunt Sacerdotes. Procedebat inde clara Antistitum manus: Sacrosanctum CHRISTI Corpus gestauit Illustris. Nuncius Apostolicus, suppetias euntibus Gandēsium & Antuerpiensium Præsulibus; quos ponè Sereniſſimi Archiduces cereis ardentibus instructi sequebantur. Peruenerat supplicatio ad plateam Gymnasij, vbi felicissima ingeniorū parturitio varijs poëtices inuentis, & mirâ picturarum varietate spectantiū oculos detinuit. Erat in mediâ areâ præsigne, & augustum altare, cui vexilla quatuor è materiâ pretiosa, & arte impendebant. Hîc aliquan-

Digitized by Google

quantula fuit mora; & festum carmen hilaris echo ex omnibus areæ angulis resonans excepit. Nec silentio inuoluendum, quod ad testandam Principum pietatem haud parùm valet. Nam ipsi, dum carmen recitaretur, assurgêtibus alijs, genibus prouoluti; diu nudâ humo, neglecto quod illis stratum erat, tapetio, perseuerauerãt; donec reliqui eorum exemplo se prosternerent. Reditum deniq; ad templum, cuius præcelsâ in arâ Beati statua est deposita; vbi toto octiduo multo luminum apparatu stetit, populo colenda. In scenam sequenti luce prodijt Ignatius Antilutherus, tanto plausu lætitiâque spectantium, vt gestientium animorum voluptatem factis etiam conuenientibus declararent: dum videlicet è quinque Crucifixi vulneribus, ceu Epistomijs quibusdam, vinum haud malæ notæ plures horas copiosè ac liberaliter manare iusserunt; suffimenta & odores præstantissimos mirâ & iucundâ admodùm fragrantiâ excitârũt, ingeniosissimis emblematis vicorum principia & angulos decorârunt.

XXIV. ILLVSTRIS fuit & Duacensium ad ædem nostram supplicatio, quæ ex meris Hybernis constabat: procedebant bini ordine: duo postremi cælesti habitu fulgebant; quorum alter cereum argenteum, cor alter affabrè factum, & in candelabri formam desinens, Beato obtulerunt. Drama de eodem datum, cuius argumentum duorum dierum spacium pro dignitate requirebat.

XXV. ENITVIT Antuerpiæ studium Domini

Digitized by Google

mini Ignatij de Borgiâ, P. Francisci Borgiæ pronepotis. Is, quod magnis alioqui Principibus & publicis triumphis seruatur, B. Ignatio, principi, vt aiebat, suo exhibere voluit: nempe omnium, quæ arcem tuentur, tormentorum æneorum festam explosionem; quam & octiduo elapso iterauit.

XXIV. Præclarvm Vallecenis erectum fuit theatrum, sumptu publico, quindecim pedes altum: suspensóque admodùm inter cætera tenuère spectatores hæ voces: Beatvs Ignativs; hinc enim tractum fuit Anagramma hoc: Tva Tvba Ignis es: cuius explicatio quadrifariam partita, orbibus quatuor, veluti smaragdis inclusa continebatur. In vno superiorum orbium hæc erat Epigraphe: Ignis Amoris Dei: in altero: Ignis Amoris Proximi: in tertio infernè Qvo Cales: in vltimo: Qvo Uris; quæ omnia artificiosè, qua luminibus, qua ignibus, quibus omne forum de nocte collucebat, magnâ populi voluptate repræsentata sunt; albi cerei quadringenti in templo arserunt.

XXVII. Neque Audomarenses aut Atrebatenses, aliáque loca suas desiderari passi sunt partes; apud posteriores pergrata fuit, & pia Carmelitanæ familiæ supplicatio; quam magno omnium sensu ad nostrum templum deduxerunt.

XXVIII. Provincias Germaniæ minus ad oculos patentia, ac splendida in hoc genere egisse reperio: quæ, quam animis conceperint incredibilem ex Beati sui parentis nouâ gloriâ voluptatem, celandam differendámq; in posterum censue-

Digitized by Google

censuerunt; quo liquidiùs tutiúsque suo aliquando tempore gaudere ac triumphare possent. Nec tamen nihil fecerunt: Austriacos solùm nomino; atque ex ijs Eberndorffenses; qui quadraginta horarum comprecatione, & pijs de Beati virtutibus, & heroicis factis commemorationibus diem hunc festo more transegerunt. A Viennensibus venerandum diuini officij sacrificium, ritu, quo potuit, celeberrimo, est peractum. Olomucenses, Crumlouienses, Cõmotouienses publico, & domestico carmine, eóque vario; Zagrabienses dramate Beati laudes ac virtutes repræsentárunt. Ita modum communibus gaudijs statuerunt ipsa tempora, iniquitásque mortalium: quando hisce in regionibus Hæreticorum importunitati cedendum sæpiùs: quibus, vel mentio sola, ac commemoratio Sanctorum grauis est, stomachum mouet, peiúsque euertit.

XXIX. VARSAVIÆ, quod oppidum in Lithuania situm est, magno etiam apparatu transacta hæc dies: concessa è thesauro regio elegantis operis peristromata, icones variæ, aliáq; id genus ornamenta. Concursus Nobilium aliorúmque præcipuæ auctoritatis hominum, crebræ fistularum contorsiones auxêre celebritatem.

XXX. EADEM exspectatissima dies Barcinonem, totúmque Cataloniæ Regnum lætitiâ impleuit haud vulgari. Magistratus ipse per Vrbis compita tubarum clangore, & Vicarij Generalis edictis in paræcias, & templa populum

Digitized by Google

pulum coëgêre. Exciuitque præcipuè illis diebus æris campani tormentorúmque bellicorum crepitus plurimos ad ædiculas illas, quas Beatus olim Ignatius in hac vrbe, dum Grammaticæ rudimenta addisceret, fertur incoluisse: vbi & in altari cultissimo Christi Cruci affixi imago spectabatur, quam sibi religiosissimus vir supplice debitóque ritu colendam proponere consueuerat. Tarraconenses, reliquíque in Aragonia socij, & cum his Indigenæ pari iucunditate, studio, ac sumptu hæc noua acceperunt.

XXXI. In Bætica tantus animorum motus, & consensio voluntatum est excitata (nam quæ communi Hispanorum more instituta fuêre, præteribo) etiam eorum, qui parùm aliàs in nos benigni putabantur, vt nihil omninò omitterent, quod ad celeberrimi diei splendorem promouendum vllo spectare modo videretur. Hinc Eleemosynarũ ab omni ordine effusæ largitiones: hinc in vrbibus ferè omnibus personatorum amictu versicolore & pretioso, funalibus accensis, discursiones: hinc Dramata Hispali, & Granatæ data spectatissima: certamen ludicrum Cordubæ rarum & iucundum: triumphales currus sumptu magnifico, quibus Beatus induceretur, & inter quos Granatenses Principem locum tenuêre: hinc denique illustrium Oratorũ in exornandis Optimi Patris virtutibus memorabilis opera: quorum haud infimo nominãdus loco est Ioannes de Mascoso Malacitanensis, & Sanctius de Abila Antistes Giennen-

sis; cu-

fis; cuius etiam concio, ſicut & aliorum complurium, quæ in hanc rem auditæ ſunt; typis expreſſa lucem diu iam aſpexit.

XXXII. EX EVROPA porrò in Peruuium atque adeò ad ipſos etiam Indos tanti gaudij peruenit pars non exigua. Limam enim ſextò Calendas Maias Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, decimi, delatum diploma eſt; quod lætas admodùm Proregi æquè ac Archiepiſcopo reliquiſque indigenis fecit Anaſtaſios ferias: Sed maiora nihilominus in mēſem Auguſtum reſeruata ſunt; quando veſpertinis officijs Pontificio ritu peractis Prorex & Archiepiſcopus ipſe interfuerunt. Ducta per vrbem ſupplicatio, ferculúmque, quo Beati imago geſtabatur, ſtipabant Cantabri. Diui Martini Alumni B. Virginis Lauretanæ effigiem eodem circumtulêre ritu. Quibus non parum addidit celebritatis D. Ioſephus in ſcenam integro biduo, magno ſpectantium plauſu productus.

XXXIII. CVCTHENSES poſtquàm viginti duos dies vario apparatu, & ſupplicationibus in Beati honorem traduxerunt, ſtudio præcipuè Domini Petri de Condouâ Vrbis Prætoris; omnium conſenſu B. Ignatius totius Vrbis Patronus adſciſcitur; feſtúſque annuus dies ſacramento illi decernitur. Exhibitus inibi à litterariâ cohorte Beatus Stanislaus, ſuam quoque gratiam habuit.

XXXIV. POTOSINORVM animus ac ſtudia inde æſtimari poſſunt; quòd in veſtes, quibus recenſionem copiarum, quæ ſolet in exercitu fieri, repræ-

Digitized by Google

repræsentârunt; centum & ter mille aureos; in pulueremq; verò tormentarium, aliaq; id genus, octo millia pondo expenderint.

XXXV. Qvi ti præstitêre reliquis Dominicani Patres, in quorum templo integræ noctis spacio B. Ignatij imago, impositâ vehiculo inter Sanctos Dominici, & Thomæ Aquinatis simulachra collocata permansit, magnâ Religiosorũ illorum Patrum voluntate & veneratione; quibus accessit de Beati præclaris gestis Elogium. Domini Saluatoris de Niuerâ Episcopi Quitensis, ex eâdem familiâ ad eos honores assumpti.

XXXVI. Fvit autem, & in insulis, quas Philippinas indigetant, huius præsertim ordinis, Dominicani, inquam, in celebrãdo Ignatio studium omnino singulare: cuius imaginem, cùm pretio, tùm artificio paucis secundam, in templum supplicabundi venêre salutatum. Perstrepebant hîc omnia diu noctúque bellico fragore; ardebant ignibus turres, feneſtræ; templa personabant instrumentis musicis. Ipse Magistratus donarijs incendit studia eorum, qui res ab Ignatio præclarè gestas versu cecinêre; victoribúsque argenti pondo centum quinquaginta liberaliter assignauit. D. Ferdinandus à Siluâ (Generalem vocant) totius Magister exercitus, & in Molucis insulis Gubernator, D. Hieronymus à Siluâ Diui Ioannis miles inclitus, & primarij Duces alij, Nauarchi, & ciuitatis Moderatores: cæterique sui quisque animi lætitiam magnis argumentis declarârunt. Cùm Vespertinis precibus, quæ celeberrimos habuêre cantores, ab

res, absoluta dies, non hilaritas; quam tunc primùm auxerunt mirificè solertia Sinarum ingenia in ignibus artificiosè struendis præcipuè admiranda. Comparuêre in medio ignis globo nõ exiguâ temporis morâ homines in equis bellum inter se gerentes; turres atque in ijs stricto ferro dimicantes milites, & sagittas igneas eiaculantes; triremes cum remigibus & classiarijs, tauri, leones, aquilæ, balænæ, arbores pomæ rosæ, cælum ipsum astris suis distinctum: quia & incolæ ipsius paradisi Christus Dominus, B. Virgo, B. Ignatius aliíque: sola verba & vox deerant: tandémq; ignis mutatâ specie edit sulphureo fumo tonitrua, cometas & fulgura emittit, non sine spectantium stupore ingenti. Ipse autem beatus dies Oratorem habuit Archiepiscopum de Ignatij laudibus, breuiter quidem, sed eruditè differentem: quas prolixiores fecerant pueri Cantabros induti, carmine, ex Hispanico, & vernaculo idiomate, mixto. Reliquos deinceps per octiduum dies diuersarum Religionum familiæ sibi sumpsêre; pietate, ingenio, labore, sumptibus denique ostendentes, quo amore Societatẽ prosequerentur; quanti facerent eius Authorem Ignatium. Supplicationẽ porrò splendidam sanè vidit dies Veneris: quâ finitâ Vesperas exornárunt Thagali pueri vario carmine, quas & secuta præmiorum distributio est, ipso præsente Archiepiscopo. Dies B. Stanislao natalis omnem absoluit apparatum, cui quidem B. Aloysij initium dederat: in hunc enim diem reseruati sunt ignes, quos sodalitas non exiguo

sumptu

sumptu confecerat: impeditos tamen à turbinum pluuiarúmque vi importunâ. Sed ne tuba æris campani tubarúmque sono conuocata frustra esset, quæ iam tecta, fenestras, vias, obsederat, repente currus tumultuario quidem, at ingenioso Sinarum opere constructus triplex est: in eis Sinicum causarum forum, & apud Proregem, siue iussores (Mandarinos vocant) iudicandi & edicendi modus ad stuporem repræsentatus.

XXXVII. In Zervana Vrbe præter insignia multa, quæ cum Manilana aliisque fuêre communia: peculiariter spectatores rapuit actus pro foribus nostris triumphus; in quo vastæ magnitudinis Aquila Primos Societatis Patres expassis fouebat alis: Ignatiúmque plurimis decorum insignibus gestabat: Circùm erat Prouinciæ & tutelaris Societatis spiritus, qui idololatriam hæresinque compesceret; explicata singula decoris Personis. Reliquarum in hisce insulis sedium ac locorum, par fuit in colendo Ignatio contentio. Verùm quia molesta omnis rerum similitudo, ne in Mexicanis quidem finibus, qui inter transmarinos restant vltimi, diutius immorabimur, de Professorum domo hæc solùm breuiter perstringentes.

XXXVIII. Nuncius qui potestatem publicè colendi Ignatium attulit, pridie DD. Petri, & Pauli Anno Millesimo Sexcentesimo decimo in vrbe fuit, eáque tùm vna in communi omnium gratulatione cura Magistratum coquebat, quòd temporum angustijs prohiberi se cer-

Digitized by Google

neret, quò minus templum à fundamentis iam excitatum ad Calendas Sextiles in apicem educeretur; in quo celeberrimos Beato decreuerant honores. Hanc ergo curam prorex, quo est in societatem amore ac animo, in se suscipiens auctâ operarum manu tãtum intra vnius spacium mensis effecit, quantum aliàs semestri integro fieri non potuisset; sic templi structura ad fastigium finemque optatum opportunè perducta est: vt quo die Beatus in cælum abijt, quique ipsi sacer est, sanciri eidem, dicarique potuerit. Templum sanè cum pulcherrimo quolibet amplitudine, ac maiestate meritò componendum: eo autem dignitatis, ac felicitatis multò reliquis, quæ Societas habet, vtiq; fortunatius; quòd primum fortasse fuerit eorum, quod huic Diuo est dedicatum. Ad aram eius maximam magnificum omninò sacrarium aureorum mille quingentorum pretio est constitutum. Totus verò circùm paries aulæis è telâ argenteo aureóque filo graui instratus, prægrandi quadam ornatur effigie Patris æterni Ignatium, & Socios commendantis filio: cuius imagines alij è Societate, qui pro fide Christi fortiter egerunt, coronant. Pridie itaque illius diei, qui Beato sacer erat agẽdus, propter immensam populi Mexicani frequentiam, ipse adfuit Archiepiscopus: adfuit Magistratus omnis Ecclesiasticus: atque inter hos quidem Prorex, quem Senatus Regius, Prætoriúsque ordo, ordo item equestris circumstabat: qui omnes vix per confertam plebem, satellitum etiam opera eluctati, erectam ad æræ

dextram

Digitized by Google

dextram Ignatij imaginem cum voluptate admirati sunt; quam imaginem boni rerum similium æstimatores atque artifices, quadringenta aureorum millia facilè æquare censuerunt. Argentea vtrinque candelabra, ponderis maximi non pauca, Auiculæ suis inclusæ caueis dulciter cantillantes; flores, seu quos natura, seu quos ars suggessit, ita omnia ordine, ac pretio distinguebant, nihil vt ad opus perfectum, & admirabile desiderari posse videretur. A Vespertinis precibus, quas Archiepiscopus musicè persoluebat, egredientibus illicò conspecti sunt currus quinque triumphales; in quibus puerorum cunei totidē celebriores Vrbis vias cum insignibus obiere. Nox inter festos, vt alibi, ignes transacta. Matutina verò supplicatio è templo principe magnificâ sanè pompâ, per vias, artis & industriæ sumptuosâ operâ exornatas, ad nos processit: in quâ nec veneranda Diuorũ simulachra, nec pretiosa sodalitiorum vexilla atque insignia, nec alia deerant, quæ splendebant. Ibat Regum Rex sub eleganti pariter, ac diuite textilis auri conopæo; cuius perticas Senatores totidem sustinebant: Sequebatur ciuitas vniuersa: egredientē è templo Christum opportune à mœnibus, ac turribus bellici fragores salutarunt. Erat inde castellum è sulphureo cõfectum puluere, quod à quatuor supra viginti hominibus ferinas inductis pellea mirabili mouebatur artificio: egressi duodecim chorum choreámque gratam instituêre: nec procul deformi vultu immaniq; structurâ elephas ignes cum ingenti strepitu toto

Digitized by Google

aëre ſpargebat: horribiliſque paulò poſt gigas capitū quatuor, qui hæreſin deſignabat, ab ipſo Ignatio combuſtus eſt. Quà autem ſupplicatio agebatur, ibi certis interuallis diſpoſita theatra erant: in his quas Dramatum actiones, triumphales Adoleſcentum currus pridie exhibuerant; ſuà cum gratiâ repetierunt. In quibus quidem ſcenis, reliquorum parietum apparatu, octingentorum aureorum ſumma facilè inſumpta, nec pretij pœnituit, quod tãti fructus ac pietatis cauſam dedit. Diui Auguſtini Patres ſuum quoque vicum inſigniter exornarunt: ſtatuerunt ibi Fidei ſimulachrum Pontificiâ tiarâ coronatum, & à fronte eiuſdem auguſtiſſimum ſuum, Eccleſiæque Doctorem; in medio Ignatium. Ad caput viæ erecta viſebatur arx; ſupra quam moles quædam lignea, globi inſtar, clauſa, cum repente diduceretur, pueros duos oſtendit; quorum alter S. Nicolaum, alter Ignatium referret, mutuis ſeſe amplexibus identidem conſalutantes. Vt verò ad eam ventum eſt viam, quæ noſtram ducit in domum, Ignatius ipſe ad ſummum in Euchariſtiâ Dominum hoſpitémque ſuum excipiendum venerabundus proceſſit: terque ipſum ſuppliciter in genua prouolutus, magno cum omnium animorum ſenſu, Sociorum præcipuè lacrymis ſalutauit. Is autem fuit Cantabrorum, qui compoſito militari agmine cohoneſtabant pompam, ornatus, vt in veſtes & apparatum bellicum ad octoginta millia aureûm numùm expendiſſe credantur. Ex quibus, cùm facilè

Digitized by Google

facilè appareat gentium harum solertia, magnificentia, pietas non est, puto, cur reliqua quæ intra rem diuinam, supra mensam toto octiduo à nostris Religiosis familijs, alijsque ciuibus omnibus Mexicanis, in honorem B. Parentis nostri susceptа gestáque sunt, fusiori narratione persequar: illud iam magis necessarium, & ad propositum illustre erit, ostendere exemplis Deo Optimo Maximo, qui insignes virtute viros suos in terris ornare vult, ingratum minimè fuisse, hanc mortalium in Ignativm operam ac voluntatem: quin id sibi, vel maximè placuisse non obscuris rerum mirandarum significationibus declarasse. Quare per singulas iterum prouincias, & loca redibo; & in quibus aliquid memorabile hoc in genere accidisse deprehenderim, ordine breuiter enarrabo.

XXXIX. E Sicilia rursus egredior. Panormitanus adolescens, cùm magna animi contentione, tàm celebris diei apparatum promoueret, supremis prælta scalæ gradibus, nescio quid scholarum tecto affixurus, delabitur: sed cùm in ipso casu Beati auxilium exposceret, citiùs accepit, quàm terram attigisset: ità incolumis surrexit.

Fabrum quendam ibidem casus in subiecta tigna cum magnâ ossium collisione detulit: ibi cùm peius quid timeret, Beatum ocius implorauit, illæsúsque à reliquo casu, & lecticâ sublatus breui conualuit.

XL. Manserit in eâdem Prouinciâ nondum ab-

Digitized by Google

ſolutâ eius diei celebritate puella ex alto etiam præcipitat: quæ inuocato Beati auxilio à parentibus recepta paucis diebus vires recuperauit.

Infans item impunè omninò per feneſtras, Beato manum ſupponente, prolapſus eſt.

XLI. Nec infirmiores eaſdem manus expertus eſt Platijs Baro quidã. Hic denſis cælũ nubibus atríſque obduci conſpicatus, graue tritico in areâ aceruato incommodum timebat: fecit arcẽdæ tempeſtatis votum Ignatio: & cùm pluuijs omnia natarent, Baronis aream, ne gutta quidem tetigit.

XLII. Neapoli, dum Ignatio Prætextatus Eques artificioſos ignes parat, (Ioannem Vincentium Paganum nuncupant, qui & poſtea Societati dedit nomen) per imprudentiam manum fædè adurit: accurritur à feminis agnatis, & vſtulatæ dextræ chirographum Beati viri ſupponitur; ad cuius attactum illicò remiſit dolor; &, qui non niſi ſtatâ die deſæuire ſolet ambuſtæ partis ardor, nihilo ſecius extemplò refrixit.

Portia de Amabili acerbis compuncta laterum doloribus à filio monetur, Ignatij vt nomẽ imploret: implorauit, & moleſtiâ liberata lectulo deſilijt, perque domicilij pinnas accendi iuſſit liberatori ſuo faces.

Nauiculator, cui Hippolito nomen, magnâ pelagi tempeſtate iactatus, fluctibus iamiam abſorbebatur: & appellato Loyola continuò deferbuit agitati maris æſtus.

Antonij Baleſtrerij quoque deſperata valetudo, quòd ei genu tabidè ſuppuraueras, admirãte vulne-

vulnerario, post octo dies in integrum eiusdem ope restituta est; quem ab humana ad cælestem deinde militiam transisse ferunt.

Alteri (Marcum Antonium à S. Nicolao indigetant) cùm filius æstuosâ febri periculosè tractaretur, venit in mentem Ignatij: ad templum nostrum contendit, próque illius imagine Sacrosanctæ Eucharistiæ particeps, etiam atque etiam rogat, vt puer, si quidem in maius Dei obsequium cedat; à morbo conualescat. A precibus domum redit, filium quem animam agentem reliquerat, sanitati propè restitutum offendit: sciscitatus ab vxore, quonam ille tempore melius habere cæperit; cognoscit valetudinem cum precibus ad Ignatium fusis cæpisse.

Dominici de Cutillio par, in causa non absimili, fides: eundem etiam est consecuta fructū. Ab Apostemate, quod eruperat in vena, hic filio brachij timebat perniciem: & quoniam in extremo iam versari videbatur, agit cum eo de periculo propulsando diuinitus, monétque vt in preces effusus ea verba ter vsurpet coram Ignatio: *Beate Pater Ignati, si maiori gloriæ DEO fuerit, sana meum brachium*: Obsequitur filius, & vesperi, dum remedia consueta parantur, vnâ tuber, & morbum abscessisse deprehendunt.

Coniux Leonhardi ab Angelo, fœtum, quem mortuum obstetrix putauit, eniti non poterat: maritus ad Ignatium pro salute infantis se conuertit, eique semisopitus ex lassitudine supplicat: quod, dum egit, visus est sibi præsens

Digitized by Google

esse in æde Professorum Patrum, ibique Beatum IGNATIVM DEO supplicantem intueri, & à puero æternæ felicitatis iacturam auertentem. Quas rerum imagines animo dum voluit, aurem eiulatu puerili perculsus excutit stuporem; infanti ea gratia facta, vt matre superstite sacro lauacro tingeretur, & vnum inter mortales diem videret.

Alius, à deploratis apud Sacerdotem ipso Ignatij peruigilio culpis in Deū admissis, abit domum; & cognoscit bimulum ex fratre nepotem totâ vrbe vagari incertum; properat igitur, & erronem sollicitis inquirit vestigijs. Cùm diu frustra esset, de nundinario deniq; foro lustrãdo cogitat, neq; multùm procedit, cùm animo succurrit, implorandam Beati nostri opem. Eo consilio diuertit ad ædes nostras, & diei insequentis ieiunium Ignatio vouet, si puerum reperiat. Mirum dictu; confestim à suscepto voto illapsam cordi vocem haurit: puero magnum impendere periculum, atqui sine detrimento perfunctum. Sequitur quò vox vocat, videtq; infantem, cui carri rota, pectus, & equi solea caput brachiumque proterebat: verùm, quod Beati præsidio attribuit, nihil admodùm incommodè actum offendit: leue tantùm in fronte vulnus equi vestigium impressérat, perstricto nõnihil brachio.

Franciſca quædam, quæ inter domesticos lares cælibem agebat vitã, cùm nullo pietatis sensu in ipsâ Beati celebritate moueri posse sibi videretur, eam animo spem concepit tamen, futurum vt aliquando opis indiga ab Ignatio non

dese-

Digitized by Google

desereretur. Mense vix transacto ex læuo vbere, ac totis deinde artubus grauissimo doloris sensu coepit affici. Medicus suppurationem sub alio pestilẽtem intuitus, affecto præsertim toto reliquo corpore, tantùm non desperatâ ope & consilio abscedit, dolore in horas magis magísq; augescente. Quid faciat misera? tempus illud adesse censet, quo tempore, quod ab Ignatio exspectaret, acciperet. Promittit curaturam se, vt in eius laudẽ die Dominico (tum Veneris erat) sacrificaretur, si cõualesceret. Ab hoc voto indormit, & post duas deinde horas experrecta animaduertit, dolore se leuatã: hæret primùm ancipiti fide: tẽtat num mouere brachiũ possit: potest: ilicet exundit ignem: omne luis malũ euanuisse videt: surgit primo diluculo, beneficium vulgat & voti rea litandum Ignatio curat: admirante Medico, qui morbo prorsus imparem humanam opem fuisse testabatur. Hæc Neapoli.

XLIII. Lupijs Maremontio Viro Nobili visus Ignatius extremũ denunciauit instare diem. Alteri contrà Ludouici Baliuj filię, claro item loco natæ fœminæ, dum ægrotaret, prædixit, breui futurum, vt incolumitati restitueretur.

Eiusdem ordinis alia morbi vi vsq; eò vexata, vix vt peccata aperire sæpe interrumpendà confessione posset; Beati reliquijs ádhibitis, mox quieti, post aliquot horarum spacium pristinæ integritati restituta, argenteam effigiem voti reo de Loyolæ tabulâ suspendit.

Eâdẽ reliquiarũ vi peruulgatâ nobilis matrona, cũ diu quartanâ laborasset, aliquã do petijt, vt ex

ad se

ad se afferrētur; casúque accidit, vt commodùm correpta esset frigore, cùm eæ sunt allatæ. Miranda res; vix illas attigit, cùm subitò, & in posterum liberata est.

Fidicen ex ordine Patricio, cognomento Cicala, quanquam aduersâ vteretur valetudine, in honorem Ignatij canere rogatus, non recusauit. Cùm autem ex defatigatione febris ingraueſceret, ad eum confugiendum sibi censuit, cuius ob studium ægriùs haberet. Salubris fuit ea cogitatio: nam è vestigio leni somno correptus, experrectúsque paulò post magnâ voce prædicauit, eo in sopore vidisse se Ignatium, qui vires suggesserit ad instaurandam denuò symphoniam.

XLIV. Adriæ Iosephus Valerianus, altero captus oculo, quem bulla carnea contegebat, ab eodem impetrauit, vt videret.

Alius ibidem, cui Dominico Ceruetto nomen, in febrim inciderat; cui veternus adeò grauis accesserat, vt septies admoto rubēte calculo nequaquam excitaretur. Hic adminiculum ab Ignatio popoſcit, & cùm omnium admiratione factum est, vt ex morbo planè conualescoret.

XLV. Illud Catanzarij lepidè simul, ac mirificè factum. Honesta femina filium è Gaspare Mariscano coniuge susceperat; cui, ductâ B. Patris obseruantiâ, nomen Ignatio indi cupiebat, malente viro (quòd in Vrbe sacra D. Irenæi ossa asseruarentur) Irenæum dici; qui demùm post diuturnam altercationem conuenerunt inter se, vt puer Ignatius Irenæus esset. Verùm ea consensio fuit iuge litium seminarium; vxor enim

Digitized by Google

him Ignatium, & nuncupabat, & nuncupari à vernaculis seueriter exigebat. Contrà Gaspar omnes vrgere; dicerent Irenæum ex suo quidem imperio. Erat ferè mensis à cæpto iurgio tertius; & vterque mane quodam in asserendo nonnihil incaluerat; cùm ioco pater, apage, sis, inquit, controuersias; omnis arbitrio pueri contentio, decernatur, arridet mater, & conditionem accipit. Atqui ludibundus ille (quinam appellabere pupe?) festiuè percontatur à trimestri filio, cùm ecce tibi diuinitus infanti fandi vis impertitur; & identidem excipit, Ignatius. Commouit vox illa genitorem, nouitatemque prodigij admiratus, Ignatium exinde nominari filium iussum, Ignatio quoque parenti nostro mancipio dedit.

XLVI. Non minus illud admirationis habet, quod eodem ferè tempore Conseruia vidit. Pridiè B. Ignatij Angelus Lopesius ad animi sui significationem aliquot in fenestris laternas papyraceas collocauerat, adiunctâ B. Parentis effigie singulis; & vsurpabat identidem magno sensu gratulationis, *Io Loyola, Beate Pater Io.* Cùm ergo maximè gestiret; accidit, vt ignem, flante vento, laterna conciperet; quam deflagrare animaduertentes, nihili quidam de plebe homines, irridere viri pietatem, exprobrare superstitionem, alliterationibus etiam amariusculis inuertere festam acclamationem: *At, at, Beatus vritur, At, at, Loyola crematur.* Excanduit hîc immodicè Angelus, & actus intemperantiâ religionis in Ignatium: *Ego verò sic existimo*, inquit, *eam esse Beati*

Digitized by Google

Beati Viri sanctitatem, ambustam vt imaginem ab incendio vindicare posit. Neque fefellit opinio; quippe flamma, depasta cartham adiacentem, abstinuit ab imagine, vel attestata viri sanctimoniá, vel obsecuta religioni optantis. Theate quidam è nostris accitus, vt animam agenti præsto foret, simul attigit limen accersentis, agnouit hominem nullo planè morbo detineri, nisi morbum appelles anginam, quá viam spiritui captiosè præcludebat infernus hostis. Astu deprehẽso pater, opportunas adornat bello machinas; & principio cõceptis execrationibus obsessoré fugæ deuouet; deinde prolixioré instituit precationẽ, vnà cum socio transigit diẽ ieiunus, & alios huiusmodi cuniculos aduersario struit. Sed frustra: neq; .n. infracta peruicacia veteratoris; quin à tonsillis extremã protraxit linguam, nigram eam & tumidã; sub idémq; tempus impulsum cõciuit imbré, sereno ferè cælo, in ædes obsessi proximámq; viam, irruentem, quo attẽtum Patrem à precibus auerteret. Ergo quoniam Ignatio tantæ pugnæ victoria debebatur, imago Beati producitur; ad cuius attactum, nihil est factum citiùs, quàm vt omni molestiá solutus æger in pristinum rediret statum.

Ibidem Domina Allegra de Biuero, filia Præfecti Samnitum, adeò ex capite laborabat, vt præ doloris impotentiá destituta pænè mente videretur, & capillo manus inferret. Cùm ita acerrimè cruciaretur, fiduciá in Ignatium coniectâ reliquias illius affecto membro corporis admouet: Mirũ dictu; repente dolor illapsus finitimo collo,

Digitized by Google

collo, veluti fugitaret antitheton, è statione discedit; occupatam verò sedē nihilo mitius vrere pergit: instat puella rursus ijsdē artibus, vt è ceruice luem abigat; illa secundā cōgressione paululū obtusa in pectus sese recepit. Quò loci delata, re, Deo & B. Ignatio cōmendatā censuit abstinendum, ne sua tolerandi studio deesset cos.

XLVIII. Salerni quoque sospitem Loyolæ manum, quā se complures à deploratā valetudine reuocatos testantur, haudquaquam desiderauimus. Extant votiuæ tabulæ beneficiorum, iudices acceptorum; quæ reticeo, ne longum efficiam. Illud autem silentio præteriri non debet, quod ad Ignatij cultū, & obseruantiā à Deo procuratā spectare dixeris. Eā siquidem nocte, quæ festā B. Parētis antecedebat diem, viro cùm splendore natalium, tùm Ecclesiasticā dignitate præcipuo, Matthæo Granitio brachium repente sideratū: is insolito morbi genere correptus, & immemor, & impos opis humanæ fugit ad cælitē, enixéq; rogat, vt conualescat, ne saltem Indigeti nouo facere prohiberetur; & voto citius euanuit inimica vis mali.

XLIX. Sed Hinc in Lusitaniam traijcio, vbi hæc visa mira. Olyssipone Iuuenis frustra Medicorum sæpius tentatis artibus, oculorū vsum pænè iam desperauerat: ad Beati autem simulachrum per eos dies, qui festi primùm anno millesimo sexcentesimo decimo agebantur, adductus suam oculis lucem redijsse testatus est.

Femina secundùm faciē diro vlcere ægra, interque cruciatus trahebat animū: quæ simul ad Ignatij opem

Digitized by Google

opem confugit, pristinum ori decorem integritatémque restitutam sensit.

Ferebat alia, eademque nobilis vterum: quem subitâ ruinâ grauiter offenderat, adeò, vt immatura proles eo casu afflicta contabesceret: quam cum magnis nixibus expellere conaretur, frustra fuit; quin de suâ quoque vitâ actum crediderat: chirographum interim B. Patris admoueri sibi curauit; quo facto mox expeditum fœtum ancipiti exempta periculo eiecit.

L. Conimbricenses feminæ duæ totis itidem viribus conceptum fœtum egerere in lucem non poterant: quarum vna ita arctabatur, vt fandi vsu iam destitutam vires deficerent. Beati Patris reliquijs vni, eiusdem alteri effigie applicatis, feliciter breui puellos effundunt; quibus vtraque voti rea Ignatij nomen imposuit. Alia, quæ Herculeo morbo tribus iam annis fatigata, syntexes crebras patiebatur; simul stolam, quâ Ignatius sacris operari consueuerat, fuit exosculata, conualuit.

Inæquabili quidam ac formicante venarum pulsu pænè depositus, à medicis certè desertus, intestina extra proprium locum eiecerat, quæ in multis iam consuetum ordinem naturæ inuertissent. Subijt animum ad B. Ignatium confugere, stolam eius pio osculo delibare. Fit voti compos, domesticis morem potius ægroto gerentibus, quàm opem inde aliquam sperãtibus. Vt verò sacram illam Beati stolam fuit dissuauiatus, æger iam iam extremùm chrismate iungendus, repente ex morbo recreatus, postridiè ad tem-

Digitized by Google

templum noſtrum adijt; Deo D uóq; grates debitas ob recuperatam valetudinem religiosè perſoluit.

LI. Eboræ tres pueri diuerſis in caſibus interuentu eiuſdem Beati creduntur ſeruati: vnus à ſtricturâ glandis ferreæ; alius à graui lapſu, & membrorum colliſione; tertius ab equi, cuius vngulis interceptus erat, horribili proculcatione.

LII. Bracaris, infante in lucem progreſſo, mater multos dies continuo ſanguinis fluxu debilitata, vix ipſam, ne ſanguinem ſequeretur, continebat animam; epotâ aquâ, quâ filum de Beati veſtibus extractum immaduerat, & ſanguinis ſtitit profluuium, & priſtinas corpori vires redijſſe perſenſit.

Duæ aliæ diu iam parturierant, moleſtóq; labore fractæ ad mortem proximè acceſſerant: At reliquiæ B. Ignatij piè contrectatæ, & matres, & infantes ab interitu reuocârunt.

LIII. In Oppido Guimaraenſi (primi Luſitaniæ Regis olim incunabula, & vetuſtum hoſpitium fuit) honeſta femina amiſſis oculorum auriumque ſenſibus, cæleſti iam præmunita viatico, ſacróque oleo delibuta, mentis expers iacebat; cúmque ei poſtremæ voces piè acclamarentur; aſſidenti pro amicitiâ feminæ occurrit, nuper ſibi à filio, in Societate degente, miſſam eſſe particulam cinguli, quo in viuis B. Pater corpus aſtringere ſolitâſſet: magnâ ergo fiduciâ, & in Beatum reuerentiâ eam applicat ægrotæ: quo facto illâ paulatim ſenſus recipere, reſpirare, manus

Digitized by Google

nus explicare, ingeri cibum sibi postulare, Medicis ob repentinam salutem obstupentibus: quæ omnia iuratis postmodùm testimonijs publicè sunt confirmata.

LIV. Turdeti quidam exhausto iam aperti is venis sanguine, animæ exitum præstolatus, cùm Diui imploraſſet opem, retinuit vitam.

LV. Funchali duæ feminæ partus difficultate periclitantes, chirographo B. Patris adhibito, feliciter pepererunt. Tres item aliæ adiutæ. Prima, quæ dolores potiùs, quàm vitam prorogabat, chirographo B. Patris, persanata est. Secundę diuturnus morbus omnem viuendi spem præcluserat; in extremis ergo sic constituta matre orbitatē suam deplorantes filiæ ad B. Patrem animum, ac vota aduertunt, symbolum postulāt cum fiduciâ matri applicandum: applicitum est; paucisque post diebus mulier sana surrexit. Tertia Deo sacrata erat; quam morbi angores sensim ad certum interitum vrgebant; desperatis iam omnium Medicorum consilijs; hæc tamen vbi commotam insueto plausu Vrbem, & perstrepentia festo pulsu templorum æra animaduertit, admirabunda ex familiaribus percōtatur, quorsum illa tenderent. Recognitâ, multisque alijs, quæ præter naturæ cursum à B. Patre forent patrata, intellectis, enixè se illi suámq; salutem deuouit; nouum ab eo beneficium, cui noui tum haberentur honores, se accepturam sperans: nec fruſtra: nam derepentè voti damnata, valens & vigens contra spem, & exspectationem mortalium prodijt in publicum.

Ibi-

Digitized by Google

Ibidem viri primarij filius cessante iam cùm vocis, tùm oculorum vsu, anima agebat: cuius quidè iacturam, cùm doleret ferret parès, vt qui illũ vnicè diligeret, magnà fiducià & fide Beati syngrapham gnato admouit. Mira res: reuertente protinus spiritu, & linguæ robur additur, & palpebris sublatis oculi officio suo fungi incipiunt: ipséq; sequenti die in templum nostrum B. Ignatio sistendus à parente deducitur.

LVI. Alguarij Iurisperitus quidã, cùm animaduerteret, sodales Marianos ad indictam Ignatianam celebritatem armis instrui; *Vos enimuerò*, inquit, *videmini mihi hoc apparatu aliquod à Parente nostro miraculum extorquere velle*: quod quidem viri prudentis dictum nonnullum habuisse momentum videbatur: postea enim, quàm armati vniuersam circumissent vrbem, templũ deniq; nostrũ sclopetis crepitantibus adeunt: intráq; illud recepti, seu leuitate, seu Beato potius cõgratulandi studio aliquoties explodũt. Territi insolito & vehementi sonitu infantes, nõnullæq; amiculæ, trepidatione imodicâ, & clamore tumultui rem proximã faciunt. Cõuenerat quippe iam antea nonnullos inter ciues, eósq; primarios diu occultata odia hac demùm occasione, ciuibus in angustias redactis detegere, armísq; potentioribus inuenes in templo nefariè opprimere, iámq; ducenti admodum nudi conspiciebantur enses: cùm ecce tibi Nostri, omnis alterius expertes cõsilij, ad preces & vota, quæ Beati meritis rata à Deo haberi cupiant, confugere, Deo ac Beato rem totam committere. Inde mox, alij in

Digitized by Google

Collegium se subducere, per templi valuas alij dilabi: tum denique omnis etiam iniuriæ obliti secundùm vesperas, Senatus etiam decreto intercedente, dexteras, dare iussi, suam quisque domum securi repetière.

Repertus interea calumniator est, qui hanc nos celebritatem, in feminarum ad nos sacramẽtorum causâ ventitantium gratiam, agere criminabatur. Sed is palinodiam canere hac occasione coactus est. Quippe graui interceptus febris æstu, cùm se pœnas maledicentiæ suæ dare, non absque argumento suspicaretur, sacram Ignatij effigiem postulauit: in quam cùm oculos intenderet, eáque toruo contrà, & imminentis è vitâ abitûs prænuncio vultu, terribilem animaduerteret; sibi minimè defuit: sed, spretis medicorũ consilijs morbi vim extenuantibus, præteritæ vitæ errata omnia eluit; paucisque post diebus feliciter emigrauit.

LVII. Calari filius cuiusdam natu maior inter prandendum arrepto cultro minoris fratris ferit oculum. Nobilis item puella simili modo dum accumbentibus cibos diuidit, grauiter in altero oculorum læditur; ambo Beati imploratâ ope præter aliorũ spem omni periculo fuêre liberati.

Aliam quatuor mensium languores continui, adeò debilitârant, omni vt pedum officio eam priuârint: aduentante sacro die, cùm frui, & ipsa communi in templo nostro lætitiâ percuperet, suo minimè frustrata desiderio fuit: depulso enim malo, pedibus pristinæ firmitati restitutis læta sacris astitit.

Con-

Digitized by Google

Concrepantibus Sabbatho illo, qui festum Beati diem præcesserat, vndique tormentis bellicis, infans bimula inaudito more: *Cras D. Ignatij dies est*; inclamat. Audierant hæc duæ honestæ fœminæ ædium illarum incolæ, & rei meliùs experiundæ denuò, quidnam sequenti die futurum sit, ab infante exquirunt; eadem respõderi audiunt; auxit admirationem, quòd, Ignatij nomen ad puellæ aures nunquam peruenisse, certò sciuerint: Beatum enim antonomasticẽ, cùm de eo sermo incideret, solùm appellitare consueuerant.

Eodem die confertâ templi areâ confluente vndique hominum turbâ innumerâ, repentè vnum è tribus vexillis; quæ in lætitiæ significationem, è culmine templi prominebant, decidit; & duorum quidem capite, ac tergo leuiter perstricto, trium aliorum pallia cuspis vexillo præfixa lacerauerit, nec vllius tamen sanguine hausto (quod admirabantur) terræ altè infixa hæsit.

Adolescens quidam, flammis Beato excitatis pabulum subministrans, citato cursu equum in se ferri aduertit; expers consilij pronus terram operiebat: videt discrimen nati è fenestra prospiciens mater, dúmque Beato votum nuncupat, equum volucri saltu, inoffensóque iuuene præterijsse animaduertit.

Quatuor alij equis certo ferebantur in discrimine, qui omnes præsens Beati auxilium accepisse creduntur.

Decideratnon nemini ignis in crumenam, sulphureis repletam radijs; hic nihil præter le-

Digitized by Google

uem vestium adustionem detrimenti accepit, intactis etiam schedulis quibusdam, quarum interitus sui ratione officij, non parùm illi incommodâsset.

Diuerterat ab Equitum turmâ quidam, eum in locum, vbi periculum sceleris adire solitabat: versat equum, fatigat, decidit, alteróque confracto crure animæ periculum vitare doctus est.

Alij item duo de diei sanctitate maleuolâ voce detrahentes, graues quoq; dedêre pœnas.

Contrà alius crebris corporis stimulis exagitatus literis Beati manu exaratis omnem illam depulit molestiam.

Infelici partu quædam periclitans, admotâ B. Effigie, angustijs illis liberata exanimem partum incolumis effudit.

LVIII. Sassari, omnia quamuis arderent inteſtinis odijs, diúque occasio commoda exspectaretur, nulli tamen tantùm, vel audaciæ, vel temeritatis erat (animos Beato mitigante) vt aduersarium illà nocte etiam frequenter obuium aggrederetur.

Raptatus equo vir Nobilis, aliquamdiu, Beato patrocinante, ab eodem recipitur; sensit hoc eiusdem vxor, quæ nũcio quidem tàm tristi primò perculsa est; sed pulso statim timore; nihil, inquit, fas est mali his diebus coniugi contingere; cernénsque tantum suæ fidei momentum, sequenti pòst die sacræ mensæ accubuit.

Atque vt probata in Ignatium pietas saluti multis, sic non paucis impietas sua exitio fuit, aut damno. Eo tempore, quo Ignatio hîc tota ferè

Digitized by Google

ferè vrbs studebat, duo ex infimâ pænè fæce homunciones augendę rei domesticæ curam ei studio præferebant. Ita egressi in agrum ad radicem montis, argillam effossum; sed alter terræ improuiso aggere oppressus est; alter luxato brachio vix se exitio subtraxit.

Inuitatus vir Primarius, vt Equitum ductaret manum, quam primi ordinis homines cõstituerant, annuit: sed vbi iam præstanda fides, opúsq; aggrediendum: se subtraxit, nec vllis, vel rationibus, vel precibus à conceptâ animi pertinaciâ dimoueri se passus est; atque vt omnem vrgentibus spem præcideret, equum ipsum rus misit, pœnitendo sanè inuento: nam crure fracto biduo pòst iumẽtum, quod commodum ob vsum magno illi in precio erat habitum, exanime concidit. Emit alium deinde equũ æquè generosum, qui ad præsepe religatus, occultâ atq; ignotâ lue etiam contabuit. Ita Phryx malo suo sapuit, vouítque, si viuus eum diem videret, quo die inter sanctos coleretur Beatus iam renunciatus Ignatius, eius se cultum honorémque communibus studijs promoturum. Comparauit inde equum alium, quem ab eo voto hodiéque possidet incolumem.

LIX. Mussiponti apud Francos Virgo ex earum numero, quæ in religiosum coactæ cœtum institutum nostrum, vt possunt, æmulari conantur; acribus & diutinis febrium doloribus agitata, Beatum voto emisso sanitatem rogauit: impetrauit.

LX. Flexiæ alterius cuiusdam albuginem ex

Digitized by Google

oculo, quæ sinistrum iam perdiderat, Medici frustra sæpe tollere sunt conati. Non perinde frustra Beati Ignatij fuit opera: cui, cùm quindecim diebus continuis semel quotidie Dominicæ precationis Angelicæq; salutationis pensum Virgo statuisset: ante promissi absolutam fidem malo liberata est.

Oppressa graui doloris curarúmque vi pagana mulier, è bonorum omnium iactura vocem amiserat: ad Nostros adducitur, tanquam ad peritos eiusce modi ægritudinum Æsculapios: iubetur benè sperare; ab Ignatio auxilium malique leuamen poscere; Annuit illa, & vocalis mox esse cæpit.

Petrochorius Proregis Aquitanici filius, cùm inualidum Medicorum auxilium intelligeret, per matrem Ignatio votum fieri curauit: quæ si incolumem videret filium, se ad Beati festam lucem in templum nostrum venturam, filiúmque debiti honoris ergo staturam: vidit, venit, stitit.

Tres alij eiusdem adhibito chirographo sanati. Ac, ne minus esset beneficus in suos Ignatius, quàm alienos: è Magistris etiam vnum grauiter febrientem viribus restituit suis.

LXI. In Lugdunensi Prouincia ab eodem beneficium sanitatis accepêre aliquot. Inter cæteros femina parturiens ad mortem iam spectabat: commiseratus dolentis vicem vir, hæc secum tacitus volutat: *Beate Ignati, si verum est, vt fertur, te tanti apud Deum esse meriti, languentem solitâ charitate tuâ dignare.* Vix ita cogitauit, cùm mulier, Ignatij fauore obstetricante, infantem edit enixa.

LXII. Bel-

Digitized by Google

LXII. Belgæ tria memoratu digna narrant. Antuerpiæ vxor Ignatij de Boria, difficiles semper, nec vitales experta partus, cùm sub Beati vulgatos honores vterum ferret, ei votum hac ferè formula concepit: *B. Pater Ignati, si masculum tuis precibus eniti dederis, voueo tuo eum nomine insigniturum.* masculum enixa facili partu est, eique Ignatium dixit nomen, vt recepit se facturam.

LXIII. Contigêre Brugis duo, quæ supra naturam videbantur facta. Vnum in spectatæ virtutis femina. Ea cùm grauissimo capitis dolore dies multos laborasset, ad Ignatij opem postulandam se denique conuertit; votum nuncupauit, & conualuit. Alterum in Virgine quadam Brugensi, honestæ familiæ; quæ tàm graui renum exulceratione, perpetuo triennio afflicta fuerat, vti non nisi pauculos passus promouere, & cum difficultate posset; adeóque cum experiundi gratia bis terue, hoc triennij spacio, ad contiguam domui suæ sacram ædem adire tentaret, in mortis pænè discrimen inciderat. Quare & ei Medicus sæpius affirmãdo dixerat, nõ esse, quod speraret, domo vnquam egressuram; certius haberet illud, aliorum manibus propediem efferẽdam. Sed Virgo, posthabitis minis istis, cohiberi nihilominus nõ potuit, quin ipso Ignatij die sacræ rei interesset. Gestata est ad templum, eâ difficultate, vt deficientibus viribus propius nihil fuerit, quàm vt à baiulis domum reportaretur. Supra vires tamen atque periculum fuit animus, quotidiéque per octo dies illos è domo

Digitized by Google

suâ, modò alienis nixa viribus, modò suis fisa, ad ædem nostram adrepsit. Quid multis? Tantùm pietas Virginis huius apud Ignatium, votúmq; nuncupatum effecit, vt iam non templum modò nostrum, sed alia etiam pia quędam loca inuisere per valetudinem posset: (neq; enim plus impetrare desiderabat) Atq; huic cùm obuius aliquando factus esset Medicus, cui perspecta eius erat valetudo; *Supra naturam*, inquit, *non ambulas modò, sed etiam viuis.*

LXIV. Paris potentiæ & admirationis est, de quo Lithuani testantur. Filiolus Consulis Varsauiensis à Medicis depositus, animam agebat: detulit eum, pij cuiusdam Sacerdotis impulsu, mater ipsius ad templum nostrum; Beatóque, cuius effigies principem exornabat aram, inter tremenda mysteria, voto concepto commendauit. Factum est hoc: & mox puer cibum, sine quo septem iam dies traduxerat, nisi quantum renitenti pia matris sollicitudo instillabat, postulat, integrè conualescit, exiguis quibusdam morbi vestigijs relictis: parentibus, aliísque beneficium ab Ignatio acceptum, quod iurati facere se testabantur, deprædicantibus.

Eodem die deploratam, simili prorsus modo, mater alia prolis suæ sanitatem impetrauit.

LXV. Maioricæ in Aragoniâ Ignatio, non terra modò hominésque, cùm publicâ ceremoniâ coli cæpit; fauere visi, sed ipsum adeò cælum; quandoquidem & imbres, & venti bonorum votis, ac precibus obsecundarunt.

Femina luxatione neruorum claudicabat, ita; vt ni-

Digitized by Google

vt nisi fulcris innixa non incederet. Itaq; cùm tota iam ciuitas tympanorum, vocũ, tibiarúmque concentu perstreperet, illi Deus nostrum templum adeundi iniecit mentem. Ire parat: dissuadet soror, ne multitudine hominum compressa intereat. Nihil audit hæc, iter aggreditur: &, ecce tibi, inopinata sanitas firmitásque pedum: grallas ponit, & nullo adminiculo vsa in templum venit, vbi sacrum Eucharisticum fieri gaudens postulauit.

Aliam, quæ præteritis annis eiusdem Parentis optimi beneficio lumen receperat, iam desperatâ salute Physici quatuor reliquerant: illa verò non nescia, per quem lucem aspexisset, omnes iterum spes, cogitationésque in eundem Medicum conijcit. Vocat itaque nocte quàdam puellam, ex ijs vnam, quæ assidere illi solebant, atque *Propera*, inquit, *curriculo contende, emicantem splendorem intuere.* Adolescentulam tum somnus, vt fit, remorabatur; deniq; tamen adit; Cui illa: *O si præsto fuisses ocyus, vidisses vtiq; meum Sanctum hîc Ignatium, me inuisentem; incolumis enim ego iam sum, & salua.* Crediderant initio delirare eam omnes: verùm vbi exitus probauit acta, ipsi etiam Medici affirmare coacti sunt, occultâ vi fuisse sanatam.

LXVI. Barcinone cùm non nemo tapetibus parietes, pro augustiori tàm exspectati diei facie, conuestiret; scalis mensæ suppositis innixus, propè omninò abfuit, quin cum suppedaneis machinis collabantibus, & ipse corruisset, certus vtique exitij, nisi apprehenso, quod

Digitized by Google

quod è muro prominebat, tigno, in aëre pendulus B. Ignatium, cuius honori laborabat, in auxilium vocâsset.

Comes quædam, pia femina graui capitis dolore vexata, dum templum Ignatij imaginem veneratura accedit, conualescit.

Alia ancipiti omninò exempta morbo est; vt Medicorum quidem fuit sententia.

Vir impium consiliũ animo volutans, ad preces vespertinas, in peruigilio celebratas, adfuit: vix sacrarum ædium attigerat limen, cùm illustratus diuinâ luce, ab improbis cogitationibus cæpit abhorrere: totam nihilominus tamẽ, quæ subsecuta est, noctẽ inter fluctus illos duxit insomnem: donec cum die animo quoq; sua adfuit lux; illéq; ad Collegium contendit, vulnera mẽtis aperit, obligatúsq; à sacro medico cum lacrymis testatur est, quàm serò medicinã desideraſſet.

LXVII. Ad Indos nonnulla etiã Ignatius virtutũ suarum statuit trophæe. Atque in agro Peruano primùm Ibi Christophorus Martinus de Peredes Potosinus quadriẽnio integro, vno primùm, post gemino scipione pedum imbecillitatem sustinere cogebatur: is perceptâ, in Beati celebritate, lætitiâ populi gestientis: *Egone*, inquit, *hoc die cũctis triumphantibus aſymbolos quaſi abeam? ſolus mœrear?* Vix loquendi fecit finem, cùm pedibus vires adduntur, firmantur adeò, vt, ipsa sine alio adminiculo, alterâ statim luce in Collegium iret, Rectorem felicitatis sanitatísque suæ certiorem faceret.

Benedictum Lopezium Argentifodinæ Præfectum,

fectum, dum Æthiopem fugitiuum insequitur, quinque ex aduerso homines aggrediuntur, pũctim cæsimq; petunt, ex equo deturbant, inhumaniter tractant. Fugit his in Angustijs ille ad Beati opem: accipit: Pater enim, & videndum se obtulit laboranti, & ambabus manibus apprehenso epitogio hostium ictus auertit. Ille demũ his in fugam, Beato in cælum euntibus, incolumem se, & integrum, (vulneratis licet vestibus & galero) reperit.

Ioannes Perecius cùm in Beati festo die sclopetum, ad vmbilicũ vsq; puluere refertũ tormẽtario, exonerâsset, magnum illud, in quo erat, vitæ periculum Ignatij ope se vitâsse credidit.

LXVIII. Cuiquisaci puellam febri; Potosis Sanctimonialem periculosâ animi ægritudine; Guamangi statuarium vulnere, quod in eius formandâ imagine accepit, idem Beatus creditur liberâsse. Sed & eiusdem auxiliũ sensêre Inda in*filio* persanato; Nobilis alia femina circa partus difficultatem, & prolis iam susceptæ graue discrimen; alij alijs in periculis.

LXIX. In Philippinis Insulis mirabilis non minus fuit Ignatius. Quinque mulieres eius auxilijs feliciùs pepererunt. Alia, quæ scelera tumulo secum inferre pertinaciter proposuerat, eiusdem ope ab circumstantibus imploratâ, mentem malam mutauit, & non nisi expiata discessit.

Ludouicus de Siluâ Ordinis Minorum Religiosus, lacum traijciens ventorum impetu scapham vndis iam absorbendam existimabat.

Subijt

Subijt B. Ignati memoria: quo ſuppetias rogato tutum ſe in arenâ locatum, non minore admiratione, quàm gaudio deprehendit.

Aſthmate periculoſo duo per eundem liberati: tertius tibiæ equi calce labefactatæ dolores grauiter tolerabat; & cùm ferre dolores vix poſſet amplius, recurrit animo Ignatiũ ſimili, dum viueret, morbo laboráſſe; claudus igitur claudo ſupplicat, eo fructu, vti mane ab omni malo liber & expers in pedes ſurrexerit.

LXX. Finem narrationi huic imponet tandem Mexicum. Matrona Nobilis, cùm è templo noſtro domum repeteret, è curru euerſa ſub rotâ tranſeunte iacuit, & tamen illæſa (quod B. Ignatij tutelæ tribuebat) incolumíſq; ſurrexit. Huius eiuſdem coniux, dum ſe ad equeſtres ludos exercendo parat, equo impotentiùs ferociente, & in obiectum parietem cæco impetu arietante, periclitabatur de vitâ: inuocat Ignatium, & tu ex iumento facto vitam ſeruat.

Audierat fortè Auguſtinianæ familiæ Sacerdos, graui morbo à Medicis depoſitus, æs campanum, quo Ignatium Beatum dictum nunciabatur: votum nuncupat; eâdémque nocte, præter omnium exſpectationem conualeſcit.

Atque iſthæc fuêre potiſſima, quæ tàm vniuerſim, quàm ſigillatim, de piâ B. Patris Noſtri celebritate, eiúſque in mortales fauore cenſui præmittenda. Quæ alia de alijs ipſius in varios mortales collatis beneficijs perſcribuntur; ſuo loco, ac ordine inſerentur.

PRO-

Digitized by Google

Censi sunt in Lusitania socij nonaginta supra sexcentos, domicilijs decem distributi.
In societatem admissi vndequadraginta; in cœlum dimissi quindecim.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholastici.	Adiutores.
In domo Professâ Olysiponensi.	LX.				
In Collegio ibidem.	LX.				
In Conimbricensi.	CCLVII.	LII.		CXLI.	XXXVII.
In Eborensi.	CLV.	XXXII.		XCVI.	XXVII.
In Bracarensi.	XXXVII.	XIV.			
In Portuensi.	XVIII.	VIII.			
In Brigantino.	XVIII.	X.			
In Pharensi.	X.				
In domo Professâ Villauicosanâ.	XII.	VII.			
In sede Angolana.	XIV.	VII.			

Digitized by Google

Ex hæresi varijsque sectis in hac Prouinciâ Nostrorum operâ erepti, & Catholicæ fidei veritate imbuti vniuersim septuaginta sex.

Super omni vitâ confessi ter mille.

Dissidia, odia seu inimicitiæ grauioris momenti extinctæ trecentæ octoginta septem.

A cæde aut desperatione liberati sedecim.

A turpi quæstu aut concubinatu abducti quinquaginta septem.

Pauperibus Eleemosynæ loco impetrati, datique aurei ter mille sexcenti.

Per iniuriam ablati ad Dominos redière, agentibus Nostris, bis mille.

B. P. N. Ignatij precibus, reliquijs, imaginibus, adiutivariè laborantes quindecim.

DO-

DOMVS PROFESSA ET COLLEGIVM OLYSSIPONENSE.

QVatuor omninò Noſtratium Olyſſipone hoc anno in cæleſtem Prouinciâ (quod ſperamus) abierũt. Ex domo Profeſsâ duo: par Fratrum vitâ ſanè ac virtute nobile; Emmanuel Conſaluus, ad noſtræ ſocietatis amuſſim probè factus; & Sebaſtianus Ferdinandus, vtilis ſenex; cuius etiam poſt obitum vultus neſcio quam inſolitã ſpectantibus oſtendebat pulchritudinẽ; vt parta animæ illius felicitas in ipſum etiam corpus redundâſſe quodammodo videretur. Ex Collegio deceſsêre item duo; P. Hieronymus Moralis, vir ſingulari modeſtiâ, & pietatis laude non vulgari; Matheſeos doctor. Alter Ioannes Crucius, operarius domeſticus, qui hilari adeò ſerenóque vultu mortis ſpiculum excepit, ſatis vt liqueret, eum non ad pœnas, ſed pœnarum terminum proficiſci. Reliqui ad labores Inſtituti valuerunt vtrobique. Et Domus quidem tam Concionibus intra atque extra mœnia habitis,

Digitized by Google

quàm priuatis familiaribúsq; congressibus plus quàm consuetum operæ suæ fecit pretium.

II. DVO primates mutuis inter sese ardebant odijs, quæ non nisi cũ alterutriùs cæde extingui posse videbantur. Qui cùm fortè Patris cuiusdã ex Nostris orationi interessent, ita derepẽtè animis imutati sunt, vt eâ finitâ ad templi ostium vltro sese operientes, atq; in amicos mutuò amplexus ruentes, sacrũ amicitiæ fœdus publicè exemplo vtilissimo renouarent. Alius contrà non tam leni rationũ, ac verborũ pondere, quàm extremâ vltricium flamarum denũciatione potuit ad saniora persuaderi. Adolescens is erat hæreticus, inter alios eiusdẽ farinæ socios ex Holandiâ naui in littus hoc cũ morbo delatus. Eum ita in mortis limine iã constitutũ, Noster vnus rationibus & argumẽtis ab ęterno interitu aggreditur vindicare. Ille, quo erat ingenij acumine, in morem hęreticorũ, aranearum textum ex scripturis facere, eúmq; aduersario pro camelis & funibus nauticis obiectare. Sed facilè fuerat retiario nostro in eâ arenâ experto illas telas, vel retexere, vel perfringere, nisi æger deficiẽtibus paulatim viribus pugnam aliò vertisset, & iam cum morte contenderet. Intermissâ ergo longiore disputatione, Noster in fidei causâ apud summum Iudicem infirmo vadimonium promittit: *Si*, inquit, *Catholicus mori volueris, pro animâ tuâ meam ego vicariam do, deuoueoque: sin verò in hæresi tuâ malum animum obstinaueris, pro eo scelere pœnas tibi prædico, & iam antè denuncio sempiternas.* Ad hoc terribile vaticinium attonitus moribundi animus

mus cæpit flecti, omnésq; subitò prioris vitæ culpas auscultanti fassus, biduo pòst feliciter expirauit; vt non casu, sed diuino prorsus consilio factum censeam, quod accidit prius. Soluerat iam cum suis ex portu Olyssiponensi hic adolescens, atque in Santonicũ, vbi natus erat, ad matrem hæreseos tenacissimam fœminam plenis velis abibat, ad quam si peruenisset de fide, animæq; salute actum erat. DEO igitur proculdubio adspirante, intumescentibus fluctibus pertinax à prorâ insurgit Africus, qui obuersam, ad ostium, ex quo ierat, magnâ vi redire compellit, vt ita in hoc portu expositum ab æterno naufragio conseruaret, quod etiam euadere cæperunt alij sex supra viginti, qui cum hoc ex Hollandiâ fuere aduecti, & eiuratâ hæresi Romanæ fidei restituti. Eiusdem ætatis alius quidam periculum animæ, quamuis cum corporis iacturâ euasit. Hic iuuenili licentiâ eò demum audaciæ peruenit vt solus publicas vias latrociniijs infestaret, nec sine ingenio quidem: etenim quò faciliùs exanimaret, exarmarétq; Viatorem, aut plures etiam vnus aggredi cum victoriâ posset, subsidiarios sibi socios in insidijs collocatos latere, hoc stragemate simulauit. Paribus interuallis galeros aliquot eâ specie per fruteta deponebat, vt hominũ similitudinem (occultato nimirũ infernè trunco, & solo supra virgulta eminente vertice) ad viuum referrent. Ità sclopo obarmatus homo audacissimus, passim latrocinari, & si quos in tradendis reculis, aut sarcinis restitãtes offenderet, auxilia

Digitized by Google

ſua laruata, ſeu homines veros, ad cædem excitando minitabundus compellare. Non diu tamen, vt eiuſmodi ſolent, hiſce ſtrophis impunè vtebatur ſycophanta; deprehēſus enim carcereque mancipatus, capitis accepit ſententiam; eā quidem animi ſui per Noſtrum Sacerdotem facta præparatione, vt non iam ob inſtantem mortem, ſed mortis cauſam vbertim lacrymas funderet; & qui antea in alios fuerat crudelis, iam in ſe quoque verſus, flagris, ac verberibus adeò deſæuiret, vt nō niſi per vim extorto flagello laniēnæ finem poneret; *æquum eſſe*, dictitans, *talem vitam tali Cataſtrophe terminare*. Infelici demum ſuſpenſus arbore, cùm multa magnáque pij doloris ſigna dediſſet, meliùs eſt mortuus, quàm vixit.

III. DOCTRINA Chriſtiana ſingulis hebdomadis quater diuerſis in locis expoſita mirificè adiuuit concione; vt non puerilis ea videri debeat inſtitutio, cùm omnibus ætatibus Olyſſippone factus ſit hic labor communis: & Dominicis quidem diebus ſolemnior; tum enim ex noſtro templo procedit pompa puerorum eo ordine, eā frequentiā, vt ciuilis videri poſſit apparatus. Vbi ſiſtitur, duo aliquando aut tria hominum millia circumfunduntur, qui omnes capitulatim fidei arcana recitantem iuuentutem magno fructu attendunt. Quadraginta horarum comprecatio per Bacchanalia, & venerabilis Euchariſtiæ, tam in templo, quàm extrà facta propoſitio, ita compeſcuit bacchantes, atque in officio continuit effrænatos, ipſi vt etiam Chirurgi

Digitized by Google

urgi de nobis conqueſti dicantur, ſibi hoc anno eſuriales illas ferias, nimis quàm fuiſſe eſuriales, quòd ex vulneribus per inſanos hoſce dies aliàs infligi ſoliris, iam nihil omninò lucri reportârint. Alia Diuûm quoque reliquias, in noſtrâ æde, vt aliàs perſcriptum mirè afficiuntur ciues, præcipuéque S. Gregorij Thaumaturgi propenſum fauorem experiuntur. Viri nobiliſſimi filia morti proxima, anginâ laborabat; intercluſus tumore ſpiritus arctè meabat, nec vox emitti faucibus, nec cibus admitti poterat: at vbi Gregorij tiaræ pia oſcula impreſſit, repentè tumore rupto, eiectáque ſanie priſtinum recepit vigorem. Hæc domi.

IV. PRÆTER Sacerdotes duos, qui in circumiacentibus pagis vtiliter laborârunt, duo quoq; alij ex domo Profeſsâ ad Mazaganũ propugnaculum in Africæ orâ celeberrimum, Rege decernente, ſunt ablegati, ad quorum ſtatim aduentum inueterata diu inter ſummos, infimos diſſidia ad cõcordiam redîêre. Quantum hîc à puplica cura Patribus datum otij, id omne in Maſumetanorum vtilitatem conuerterunt, minimè irrito labore: ad triginta enim ſuæ ſectæ erroribus nuncium remittentes, eum diem, qui aſcendentis Chriſti in cælum triumpho apud nos celebris eſt, celebriorem fecerunt. Tunc quippe nouem illorum pompâ inſigni à clero, palmas manibus, & milite, arma præferentibus ad ſacrum fontem deducti, & in Chriſtianos ablati ſunt. Baptiſmum ſequebatur feſta tormentorum exploſio, & gratulationis ergò ludi equeſtres

Digitized by Google

ſtres apparatiſſimi. Vtq; palàm fieret, quo animo Neophyti fidem ſuſcepiſſent, ad oppidum parentes quoq; filios ſuos redemptum, venerũt, eóſq; præſente pecuniâ ad libertatem poſtulandam ſolicitauerunt. Sed illi *Mahumetanos parentes ſe iam non agnoſcere: Chriſtum ſibi Patrem, Deiparam Virginem eſſe Matrem aiebant: quodſi tamen & ipſi perfidiæ renunciare vellent, priori loco futuros, ſin diſcederent, ſibi nunquam ſeruitutem Chriſtianorum libertate Maurorum non multò fore potiorem.*

V. COLLEGII denique induſtria tam in iuuentute ad omnis generis literas ac virtutes eruditendà, quàm in adultis ex variorum ſcelerum lacuna educẽdis multùm quoq; deſudauit. Eius duo hæc, quæ porrò commemorabo, ſingularia ſunt. Quidam dum grauiter peccat, nefario exemplo, multos in perniciem trahente, in flagitio infamiáque perſeuerare decreuerat. Aduertit ea res Noſtrum quendam, qui ex improuiſo hominem pallio apprehendit, eúmq; ex publico ſecum in templum rectà non intempeſtiuo ioco abducit: vt ſequeretur, modeſtia ductoris & humanitas perſuaſerat. Ibi ergo coram SS. Chriſti Corpore multis rogat atque obteſtatur hominem, ſerius iam caſtigator, ab eâ peccandi licentiâ, tam auctori, quàm alijs noxiâ in poſterum vt abſtineat. Quid faceret eo in loco homo Chriſtianus? Emollitum DEO propitio repentè cor, lacrymas dederunt oculi; ipſe, fidem in pignus; ab eâ ſe horâ ſanctioris vitæ exordium facturũ. Quibus promiſſis egregiè reſponderũt opera; eodẽ enim die omnes totius vitæ ſuæ noxias

Digitized by Google

xas apud Sacerdotem confitendo relegit. Alterũ quod huc etiam pertinet, est. Contra omne ius fasq; litem intendebat quidã probatæ vitę sacerdoti. Captauerat humani generis fraudulentus hostis decipiẽdi tẽpus, bonóq; viro in viã fit obuius: cuius rei agendæ natali solo exiret, familiariter percontatur. Intellecto, quod res erat, mœrentem vultu, ac voce aggreditur fauorabili: Ius Cæsareum pariter, ac Pontificium pro eo stare: neq; immò difficilem semet aut imperitum eo in negotio, sicubi vellet, Causidicũ fore. Quare ab incepto ne desistat; non posse caussam tam bonam transigi malè. Nec multò tamen pòst cum abdicatâ causâ Sacerdos ædem Deiparæ sacri audiendi gratiâ adiret, priori iterum, populari, inquam, formâ se offert illi Veterator, déque litis transactione scisciatus, hominem ab templi foribus ad oliueta pro arcano pandendo seducit. In itinere de iniquâ Iudicis sententiâ vehementer conqueritur, affirmátque indignabundus; si res sua ageretur, non eâ se cessurum prius, quàm inter domesticos parietes litigatorẽ obtruncásset. Sub hoc, sacculũ producit numis apprimè fartum, spondétq; si prouocare vellet, litémq; extendere, eam se illi pecuniam impendendâ libenter crediturum. Nutanté vbi doli artifex animum sensit, iámq; mali consilij capaciorem, tum etiam remediũ illi persuadet, quò & ocyssimè patriam reuisere, & dexterrimè clam omnibus, hostẽ vulneribus cõficere possit. Id verò laqueus erat, collo, vel semel circumducẽdus, quo pẽderet nimirũ. Et succubuisset profectò

Digitized by Google

fectò his fraudibus miser, nisi collum in laqueum iamiam inferere paranti, adolescens quidam litterati habitu, decorâ & liberali facie succurreret, artes fallaciásque Tartarei Causidici proderet, ab eâ insaniâ, ac pernicioso obsequio enixissimè dehortaretur. Ad huius vocem, quasi ad fulminis ictum fugato Cacodæmone, ille corruit exanimis; quem mox ægrè quidem animam trahentem humo tollit adolescens, & ad nostrũ templum manu deducens monet, Virgini Matri coronam, prout singulis diebus consuêsset, orãdo percurrat; addito insuper mandato, rem omnem Sacerdoti ordine cum peccatis exponat. Fecit ille actutum, quod iussus erat, vultu planè attonito ac perturbato; neque eam postea animi perturbationem ac metum, quamuis ritè diuinis expiatus mysterijs penitus ab se poterat segregare, donec traditis Diuorum aliquot reliquijs, fortiùs contra fanaticum furorem se armàsset.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

VI. Hic obiêre sex Sacerdotes duo, reliqui Fratres. E Patribus erat primus Sebastianus Oliuerius ætatis anno trigesimo, quorum sedecim in societate transegit, illustre domesticis iuxtà atque externis exemplar virtutum; & illo potissimùm quinquennio, quod humaniorum literarum Magister in puluere scholastici expleuerat. Maturitatem animi singularem mirâ quadam

Digitized by Google

dam morum ſuauitate temperabat; donec lentâ tandem tenacíque confectus febri, poſt multa patientiæ exempla pati Mortalia omninò deſijt. Secutus hunc eſt P. Paulus Pintus ſtudio Paupertatis impensè deditus, & ſimplicitate quadam prudenti excellens. Quadraginta ſex annos inter nos verſatus, varia munia religiosè laudabilitérque exercuit. E Fratribus deceſſit primus Franciſcus Gouueà, quem moleſta phtiſis abſumpſit anno ætatis tertio ſupravigeſimum. Adolescens erat ad omne pietatis litterarúmque ſtudium Naturâ factus. Multæ eum iam inde à puero virttutes, atque inprimis comitas, modeſtia, prudentia, commendabat. Pudicitiam ſic amabat, vti cùm nec dum religioſus ab amicis ſubinde rogaretur, aliquid caneret, (erat enim canendi peritiſſimus) quod videbatur pudori nonnihil aduerſari, adduci nunquam potuerit, amicitiam honeſto vt anteponeret. Idem morbus Hieronymum Continentiam abſtulit, domeſticorum operum adiutorem, natione Italũ. Quamdiu per morbum licuit, manus labori impigrè admouit. Poſthunc ad metam properauit, Petrus Almeida, annos natus duo deuiginti, è tyrocinio vix egreſſus. Maturâ erat virtute in ætate nondum maturâ, Deiparæ Virginis cultor magnus. Tam integram, & ab omni labe alienam ducebat vitam, vt neque ob leuem maculam, vel in publicis, vel in priuatis reprehenſionibus iure poſſet obiurgari. Vltimus deniq. occubuit Dominicus Silua, familiaris adminiſter, ſeptennio de ſocietate bene meritus, in prolixâ

Digitized by Google

moleſtáque ſuâ ægritudine nulli moleſtus; imò ſi vel per ſomnium ſubibat mentem, vnum aliquem à ſe alienato eſſe animo, mirè angebatur, neque prius acquieſcebat, quàm intelligeret offenſionis reciſum caput. Iam quid ſuperſtites ad maiorem DEI gloriam præſtiterint, calamo perſequamur.

VII. ATQVE eorum quidem domi iam perſpecta notáq; ad omnes ſolertia eſt, foris ea quàuis rarior fuerit, non tamen fortaſſe obſcurior. Itum eſt ad ædem Virginis Deiparæ, quæ à ſpeluncâ, in quâ primùm apparuit, nomẽclaturam habet. Quam magna ibi fructuoſa duobus è Noſtris metendi extiterit occaſio, vel inde conijcias, quod IIX. Cal. April. ampliùs triginta hominũ milia hoc templum celebrauerint. Adfuit inter alios femina honeſto loco nata, quæ multos iam annos Cacodæmonũ præſtigijs ludus erat. Frequens illi cum veneficis ſermo, quorũ conſilio bullas, aliáq; portentoſa ſymbola è collo ſuſpenſa circumferebat, partim ſpe recuperandæ ſanitatis, partim etiam ſtudio abdita inueſtigãdi. Ingraueſcente tamen in dies malo & morbo qui brachium miſerè habebat, monita eſt, vt à communi hominum patronâ ſuppetias poſtularet. Obſecuta eſt, præmiſsâ apud Noſtrum ſui accuſatione; detractiſque è collo veneficijs, & in ignẽ coniectis, latiore multò valentioréque quàm venerat, tum animo, tum corpore diſceſſit. Bimeſtris fuit hæc expeditio; trimeſtris illa, quæ in Igitanenſem Diœceſin duos alios eduxit, hoc etiam gratior, quod nemo Noſtrorum multis annis

nis illuc penetrauerat. Hic non vni tantùm oppido, aut populo inseruitum. Iubilæum enim per eos dies à sumo Pontifice cõcessum maxima hominum agmina ad conciones, quarum octuaginta habitæ, ex locis etiam remotissimis coëgerat. Qui vniuersam vitam ad sacra tribunalia cum dolore recensuerunt (reliquarum enim computatio fieri non poterat) numerati sunt ad tria millia: Natura gentis illius quamuis vt plurimùm sit indocta, non tamen indocilis, aut falsi pertinax. Vnde infinitæ propemodum superstitiones, atq; errores qui per imprudentiã inoleuerant, cum pijs quibusdam ac Christianis institutis sunt commutati. Integrum oppidũ in duas diuisum factiones primoribus in mutuam cædem conspirantibus ad perniciem ruebat. Vulnus deforme quod vni ex ijs fuerat inflictũ eam Tragœdiam excitarat. Iam caussa ad regios Magistratus fuerat delata; nihilominus ferro, ac flammis iniuriam vindicare altè animis infixum hærebat. Vbi Nostri eò peruenêre, pacis negotium statim sunt aggressi; adeò tamen multæ grauésque occurrebant difficultates, vti re etiam infectà recedere decreuerint. At vnà demum concione effectum, quod multis antea nõ poterat: in illa enim ita DEVS quorundã ex dissidentibus corda inflexit, vt, cùm eá finitâ Sacerdos in Sacrificio spectandam plebi exhiberet diuinam hostiam, in genua procumbentes veniã ab aduersariâ parte demissè orarent, CHRISTI præsentiam auctoritatémque ad inimicorum pectora emolliẽda intetponentes. Eo tam generoso

Digitized by Google

roso facto sedati animi ad pristinam cõcordiam redière, vniuerso populo applaudente, communémque lætitiam erumpentibus præ gaudio lacrymis, ingeminatísque acclamationibus attestante.

VIII. DOMI aliquot sacræ per annum pompæ, in Bacchanalibus maximè, & Corporis CHRISTI festo die magno Conimbricensium bonò fuêre institutæ; omnes maiestate sumptúque facile superauit ea, quæ B. P. Beatificatione illius nuncio Ignatium accepto gratulabunda salutauit, de qua supra fusè satis narrauimus.

EBORENSE.

IX. MISSIONVM duo genera ex hoc Collegio fuerunt. Primum eorum, qui in superam regionem non laborandi, sed quiescendi, inière viam. Secundum illorum, qui vicina oppida ieiunii maximi tempore adiuuerunt. In prioribus recensetur P. Antonius Velles, animi tranquillitate laborúmque tolerantiâ, omnibus gratus: eius industria insigniter profuit Institutionibus grammaticis, in quibus locupletandis corrigendísque cum fructu, ad vltimam vsque vitæ periodum elaborauit. Secundus est Antonius Mendes, Coadiutor ætate maturus, ac virtute; Villarum aliorúmque prædiorum triginta ferè annos religiosâ, & solerti peritiâ curam gessit; pane tantùm & aquâ diebus multis sæpe sub dio contentus. Neque interea tamen vllum pietatis dispendium fecerat; imo hanc ipsam ad solidas

Digitized by Google

solidas virtutes duxit esse viam; *Multa agere & magna pati.* Dies festos integrè pijs exercitijs consecrauit; statis Ecclesiæ ieiunijs duos semper dies ex quauis hebdomade adiecit; omnibus persuadens, nihil affectæ ætati valetudinique, tam esse leuamento, quàm sobrietatem. Vsque adeò sibi durus & asper erat, vt cilicij verborumque alterna maceratione, diebus singulis, corpus attereret. Et cùm triennio ante mortem ob hebetatam oculorum aciem, à laboribus externis fuisset remouendus, ita se internis dedit, vti ab eo, quem à Confessionibus habuit, admonitus, valetudini ea in re, sibique parceret, responderit: *Cum Domino DEO agere laborem non esse.* Tertius, qui cum his obierat, fuit Vincentius Martinus, item Coadiutor, diuturna phthisi absumptus, quinquennio in societate egregium patientiæ exemplum.

X. AD ALTERVM Missionum genus sedecim è Patribus selecti, bini egredientes, oppida circumiacentia, tum verbis, tum factis, excoluerunt. Instituta per eos vtiliter quibusdam in locis noua quædam sodalitas, cui præcipuæ curæ est Christi passi dolores cum dolore reminisci. Hinc laudabilis sodalium eorum consuetudo obtinuit, vti omnes, tam qui supra, quàm qui intra plebem, quot diebus Veneris per quadragesimam sub noctem nudi pedes, aperti caput Christi Domini tormenta, certis in locis recolant, quæ dum supplicabundi adeunt, nullæ in via voces, nihil præter suspiria, & gemitus exauditur. In templo deinde conueniunt, lectionis sa-

Digitized by Google

ni sacræ & adhortationi, multo cum pietatis sensu interſunt. Secundùm quæ, oſtensâ publicè Seruatoris noſtri è Cruce pendentis effigie, oculis vbertim manantibus, à ſe inuicem diuelluntur. Extat in hoc genere Nobilis cuiuſdã viri ardor: qui dum diu alioqui ſingultibus atque eiulantibus, ne erũperent, quamuis cum difficultate imperaſſet, tandẽ impos ſui palàm exclamauit. *Sibi impoſterum famam, honores, rem familiarem, omnia chara neglectui futura, quò animæ ſaluti ſtudioſiùs vacaret:* Qui aderant, delirare primò hominẽ rati, ſed vitæ morũq; paulò pòſt mutatione ſubſecutâ, neminẽ eo homine ſapientiorẽ crediderunt. Cæterùm Noſtrorũ labores eâ in expeditione nõ obſcurè adiuuiſſe videtur diuina man⁹.

XI. Concionatorem audierat lapis quidam, vitiiſque indurata femina, quæ nihilo mollior domũ, quàm venerat reuertebatur. Iam in limine pedem alterũ poſuerat; & ecce improuiſò palmâ excuſſiiſsimâ percellitur, incerto auctore. Rotat illa cum indignatione caput, & percuſſorẽ & cauſam quęrit. Illo nuſquam cõparente, hanc agnoſcit, relatóque ex limine pede, ad noſtrũ accurrit ſacerdotẽ, ac ſalubri confeſſione aptiorẽ Verbo DEI ſe reddidit. Huic duritiæ mentis pertinaciáque non multùm ceſſit alia quædã, cui per ſummam quidem iniuriam interfectus fuerat cõiux. Eunti iam ad Prætorẽ, ac de vi, & cæde reum deferre volenti, obuius fit Noſter, qui caſſis principio admonitionibus, operam cum luderet, colloquio denique longiùs producto, ferocientem animum nonnihil mitigauit. Quod vbi aduer-

Digitized by Google

aduertit Pater CHRISTI effigiem è Cruce pendulam (quam in similem vsum ferebat secum) repentè oculis subijcit, affirmátque humani generis generis Vindicem eádem specie ab illa deposcere huius criminis cõdonationem; quà ille suis hostibus à Patre quondam postulárit veniam. Videat proinde talis ac tãtus ne repulsam patiatur. Mulier insoléti hac orandi ratione deuicta, subitò labascit, cõiugísq; necem publica syngrapha libens, volens, remittit. Viri aliquot vt consanguinei vulnus vlciscerétur, armati multa iam nocte occurrũt hosti, illum fustibus turpiter signant, & inde mox alienam mentiti vocé, domesticos eius admonét, domino suppetiatum irent digna conditione tractato. Fustuarium qui abstulerat pudore magis, quàm dolore stimulante, simulare decreuerat, maius accepisse damnum quam reipsa erat, vt inde fustigatores grauius argueret apud Iudicem. Aperiri ergo sibi venam iubet, sanguine purpurat vestes, secundùm os leui se vulnere perstringit. Sed vt nullum facinus diu latere potest, ita hic quoque dolus vulgo innotuit, qui adeò oppidanorum animos exacerbauit, in duas vt distracti partes iam non simulata vulnera facturi viderentur. Commodùm incidit magnus ille Veneris dies, quo CHRISTI passi historiam Ecclesia proponit. Eo igitur die ducti pœnitudine ciues sponte sua nostro Sacerdoti id negotij totum committũt, cuius statim ductu ex consilio causa feliciter composita, cum gaudio se amicis vocibus resalutauerunt.

XII. EIVS-

Digitized by Google

XII. EIVSCEMODI multa foris dum aguntur, dæmone fluctus excitante, vrbana in Nostros procella insurgit, Henricus æternæ memoriæ Rex, Collegium vnum sub nomine, ac tutela B. MARIÆ Virginis Purificatæ, amplissimis reditibus ædificauerat, viginti quinque alumnis S. Theologiæ operam nauantibus sustentandis. Huius curam societati nostræ tradens decreuit, vti cùm opus foret, è Nostris quidam Prorector creatus, iuuenilem audaciam suâ præsentia frænaret. Cum verò nunc Legum obseruantiâ intermissâ, iners otium docto negotio præferretur, mores per socordiam diffluerent, visum erat R. P. Generali nostro necessarium consilium, aliquem Nostrum illis præficere, qui collapsam disciplinam suâ industriâ atque auctoritate restauraret. Septendecim cæcâ temeritate abrepti, Superiorem non admittendum censent, vim vi obfirmatè repellendam. Armis ergo Collegium muniũt, nocturnas agunt excubias, Nostros maledictis onerant, conuicijs lacessunt. Sine appellatione cõfecissent Nostri negotium, nisi eos constans iuuenum pertinacia ad regios Senatores compulisset. Illi interea vulgi bonam partem in suam sententiam trahere, turbas concitare, petulantiori linguâ Nostros, & nostra in inuidiam vocare; contra verò plurimi ex nobilioribus pro nobis stabant, asseuerantes iustissimè societatem facere, quæ legum, ac disciplinæ negligentes pro iure suo ad officium cogeret. Postquam autem Numine propitio secundùm nos est iudicata causa, seditiosi illi, qui à nostro impe-

Digitized by Google

imperio defecerunt, sub nouo statim Præside è Collegio discessère; in quorum locum suffecti alij indole & ingenio longè excellentiores, qui viuendi modum obseruant pænè religiosum. Vnde factum vti tota vrbs, redintegrato amore, nullam de nobis benemerendi occasionem prætermittat: id quod in alijs multis, tamen maximè in colendo P. Ignatio, quem hoc anno BEATVM publicè nominari audierant, egregiè (vt supra vidimus) præstitêre.

BRACARENSE, PORTVENSE, BRIGANTINVM ET Pharense.

XIII. VIVERE desijt in Collegio Bracarensi Dominicus Oliuerius in domesticis officijs multos annos cum laude versatus, Pharensi domui precariò victum quæritans, æstiui solis ardores, & hyemis algores patientissimè sustinuit: quo in labore morbum contrahens, tandem etiam extinctus est. Charitatem suam æternam fecit Eboræ, vbi cùm pestilitas contagiosa passim incolas inficeret, exitiali tabe laborantes humeris succollantibus domum ille deferebat; & quos propinqui ipsi non viuos attingere, nõ mortuos efferre auderent, Oliuerius nõster vlnis amplexus, omni genere officiorum Christianorum sedulò prosequebatur. Socij reliqui viâ non vnâ ciuitati huic, & circumuicinis pagis consuluerunt, vnde Bracarensium animos arctissimè sibi copulârunt. Enituit ea beneuolentia non mi-

Digitized by Google

nùs hîc quàm alibi in cultu ac veneratione B. Ignatij, sumptuosis nimirum ludis honorati, quos quia satis iam supra spectauimus, illud ad declarandam ciuium in nos propensionem ac liberalitatem sufficerit, quòd vna quædam pia femina Collegium nostrum ex asse hæredem scripserit, quinque millia aureorum exæquante. Instituendo Christianis moribus pueritiam, Bracaram non parum sibi demeruerant, Bacchanalium maximè insanis diebus, quibus celebriori pompâ vrbis plateas lustrando, insanientium furori vtiliter occurrum. E Sodalibus quidam à pietate notissimus, sacratiori hebdomadâ graui cum morbo luctabatur. Hic vt vel CHRISTI in Eucharistico pane videndi sibi copia fieret, à domesticis impetrare non potuit: ad sui ergo Domini imaginem in Cruce fixam conuersus, delictorum veniam exposcit; quod æger dum facit, Seruatoris iconem vultu auersam aut videt, aut non sine pauore credit. Ita à se per Deiparam abductus, totis artubus contremiscens CHRISTO Prætori iudicandus sistitur; sub pedibus (vt ipse posteà enarrauit) via erat in orbem ducta mirè splendicans, quâ beatas mentes incedere accepit. De criminibus ibi accusatus, torum primò habuit & seueræ frontis Iudicem; sed eo tamen per Patronam suam ponè stantem serenato, non sine criminum modò, sed & ægritudinis molestiâ ad se est reuersus. Ad hos etiam sodales ea laus pertinet, quod non suæ solùm, sed & alienæ saluti studere didicerint felicique

cique successu vnum ex hæreseos laqueis exoluerint; quibus tamen nostri non cessere, huic enim duos ipsi adiecerunt.

XIV. AD COLLEGIVM Portuense hæc tria spectant. Feminæ cuiusdam pudicitia vehementer oppugnabatur; quæ sæpiuscule quamuis ad pudorem cõculcandum incitata, Confessarij tamen sui monitis altè animo infixis non socordem neque indocilem salutaris doctrinæ se præbuit discipulam. Spretus ergo procus, percontatur tandem sedulò à puellà, apud quemnam animi sui vulnera & arcana detegeret? Cùm illa Iesuitam nominàsset; & hoc mihi, respondet ille, antea exploratum si fuisset, certissimus repulsæ, te nunquam sollicitàssem. Homo Gallus, qui latrocinijs Oceanum passim infestans piraticam diu exercebat, in continentem fortè aquatum exierat: vbi cùm à socijs interea abeuntibus desertum se ac solum vidit, fortunâ vsus & consilio, arma protinus, ne Dominum proderent, abijcit, nostrúmq; Collegium terrâ inermis petit, in quo nostris adiuuantibus Hæreticũ repentè exuit, miraculo dudũ ad hoc eum impellente, si fides habenda narrãti: id tale erat. Patrẽ olim in Belgio stipendia merentẽ adolescẽs secutus, in tẽplum aliquod cũ alijs prærium sacrũ direpturus vi irrumpebat. Tenebrionum socia turba, vtpote hæretica, diuinam hostiam, rabido furore, per summum contemptum, cani deuorandam obijcit: at simul ac cælestem panẽ tetigit brutũ animal, ruptis illico visceribus, expirauit. Ea mors adolescenti huic initiũ vitæ & sa-

Digitized by Google

lutis fuit. Huius vestigia alij sex secuti fuere, quos inter duo Anabaptistæ publicâ cæremoniâ sacro fonte tincti fuerunt. Priore anno contigit, quod isto iam narrabimus. Nostro cuidam supra mensam os quoddam ingens per imprudentiam in gutture hæserat, ita vt spiritûs viam pariter ac vitam intercluderet, Chirurgum è vestigio conuenit, ille cum omnibus instrumentis, ac remedijs suis frustra est. Inter hæc deficiente animo æger vultu deliquia pati, frigido sudore manare, vitali denique calore destitui. Deficientibus ergo humanis auxilijs, ad diuinum ardentiùs confugit, B. IGNATIVM Parentem nostrum supplice gemitu opem rogat; quam & inter ipsum statim gemitum, ac excreationem, præsentem habuit, quando os sine vllo dolore incolumis eructauit.

XV. COLLEGIVM Brigantinum P. Emmanuelem Pererium ætatis anno XXXIII. Societatis initæ XVI. ægrè perdidit: Bene concionabatur, meliùs viuebat, optimè mortuus est; triduo ante fatalem horam cùm audiret sibi migrandum, eam abitionem plenam solatij esse & voce simul, & vultûs explicatione affirmauit. Brigantini Ciues, animorum diuisione partes fecerant, in quibus componendis Nostrorum opera multùm valuit. In his factionibus duo viri nobiles erant, qui præsente quamuis prætore vrbano, ita iracundiâ in se inuicem excanduêre, vt eorum alter in alterum stricto pugione impetum fecerit. Impetitus declinato ictu, cùm arma alia deessent, atramentario (quod furor fortè mi-

Digitized by Google

tè ministrarat) pro telo vsus, in aduersarium irruit, cuius impactu, & sanguine & sacramento os illius fœdè deformauit. multo sanè cruore non sedata fuisset ea rixa, nec ex carcere, in quē mox abstrusi erāt tumultuarij isti, tam citò redijssent nisi preces nostrorum interueniissent. Templa tam Brigantini, quàm Pharensis Collegij supellectilem suam auxerunt: & quod deniq; omittere non debeo, ea est Pharensium de nobis opinio, vt pro omnibus totius vrbis Parœcijs ad cōcionandum expetiti sint Nostri; quod tamē munus non tam curæ, quàm inuidiæ declinandæ in alios reiectum est.

DOMVS PROFESSA VILLAVICOSANA CVM SEDE ANGOLANA.

XVI. VILLAVICOSÆ Domūs nostræ templiq; angustiæ, quas Patrū industria Concionatorūmque alacritas facit, paratis iam omnibus ad ædificij substructionem necessarijs, primo vere extendentur; Vtrisque enim officijs egregiè certatur, & à Nostris, vt nihil in se desiderari patiantur, quòd è re animarū sit; & ab inquilinis, vt omnia liberaliter suppeditent, quæ Christi causà, necessitati rogantur. Argenteus lychnuchus dono datus centum & quinquaginta aureis æstimatus.

XVII. ANGOLANA sedes, Fidei nostræ capita circum hospitales domos, & alia loca duabus linguis, tam Lusitana, quàm vernacula docet

Digitized by Google

Æthiopum puerulos, quas tibiæ festiuus sonitus, nec non pia munuscula turmatim trahunt, quibus id genus hominum mirificè capitur. Milites septuaginta ferè, in rostratâ quadam ventis ac fluctibus in hunc Loandæ portum vela cursumque vertere coacti, mense tandem Septembri eum tenuerunt; in quos fœdâ lue crudeliter desquiente, lecto ad vnũ omnes affixos duo è Nostris omne genus Charitatis, curando quà corpora, quà animos diu noctúq; exercuerunt. Vnum deniq; in hoc terræ tractu accidit, quod triſti initio lætum Christianis finem dedit: Lusitanorum enim imperium in hac orâ inter malleum, quod dicitur, & incudem stetit, à quatuordecim Regulis (Indigenæ Sobas vocant) simul oppugnatum. Ex compacto & insidijs res agebatur. Aduersarij namque cognito per exploratores, propugnacula nostra militum præsidio & bellico apparatu destituta, occasionem, quà capillata erat, arripiunt, & quinquaginta armatorum millibus in Cambani arcem facto impetu incurrunt. Lusitani pauci quidem, sed Deiparâ vires suppeditante (quod vno omnes ore profitebãtur) diebus non paucis barbarorũ vim inuicti sustinuerunt. Tandẽ verò cùm hostibus per rumorem innotuisset, subsidia plura cũ oppugnatis se coniunxisse, desperatâ victoriâ turpẽ fugã meditari cæperunt; nihilominus tñ in decẽ postea menses extractũ bellum nostros quidem fatigauit, sed Æthiopes ferrũ ac flãma miserè adeò confecit, vti multis millibus suorũ captis, & isti denique se Lusitano imperio tradiderint.

XLIX. Ex

XIIX. Ex Iis, quos supra diximus Regulis, duo, Prætoris decreto in huius vrbis foro pœnã admissæ temeritatis, ac perfidiæ, capitis supplicio, persoluerunt: alteri Bambantungi, Chilongæ nomẽ alteri. Primus & Apostata & Proditor, neq; si Deus esset, nouerat; cuius calliditatẽ cum perspectã haberet Prætor, ne aut fugã elaberetur, aut in fidijs aliũde iuuaretur, cõtinuò voluisset iugulari, nisi Nostrorum rogatu in animæ bonum fuisset in aliquot dies reseruatus. Chilõga Regulorum omniũ, qui cum Lusitanis in his Regnis dimicarunt, & rei bellicæ peritiã et nominis gloria facilè princeps, tres secũ alios, quos ã consilijs habebat (hos Macotas linguã patriã appellant) in idem capitis discrimẽ traxit. Cum his ommib⁹ molestũ Patribus certamẽ erat, dum se Christo dederent: & quoniam ad Regis nutũ mirè facta est ea gens, difficilè fuit, illo pertinaciter in errore perdurãte, hos persuaderi: vnde corporũ disiunctio in primis videbatur procurãda. Quã factã, ipsimet vltro sacri fontis lauacro abluì expetebant: sed deinde Reguli præsentiæ restituti, cum lupo, quod dici solet, iterum vlulabant, & quam suscepissent religionem, iam detestabantur. Sacerdos Noster hic non cunctandũ ratus, (quatuor enim tantũ horulis aberat. suppliciũ) ad sacram anchoram cõfugit, Matrẽque Virginem, cui Æthiopum salutem vbiq; gẽtium curæ, ac cordi esse nouerat, suppliciter orat, horum vti animos solitã pietate mansuefactos, in viã ex quã impiè deflexerant, reuocaret. Absolutã oratione, vnum aliquẽ ex captiuis se-

Digitized by Google

orsim in partem auocat, eique mox Rosarium B. Virginis in collum inijcere totis viribus laborat; restitare ille contrario nisu, caputque, more gentis, pedibus insertare, sacram catenulam simul, & colloquium auersari: sed vi tandem collo appensa, ferreum hominis pectus ita inflexit, vti in hæc subitò verba prorumperet: *Christianam fidem libenter amplector, diuinis verbis aures vacuas iam accommodo; & vt simulatè non ago, ita hunc aquæ haustum delibo.* Dixit, delibauit, & à sacro fonte statim ad Regulum deductus, eum sic allocutus est: *Nosti ô Rex, quo te animo, quâ fide clientes tui colant, ita vt quamcunq; in partem te inclinaueris, Dominum obfirmatè sequantur: tu seruare eos, tu perdere æternum potes. Stulto proinde consilio huic modum fac, et sape.* Ad hanc Petri vocem (ita enim in baptismo appellatus erat) manibus applaudens, & barbarum nescio quid infrendens Chilonga, numero Christianorum aggregari, & Petrus item indigetari postulauit. Caput secuti reliqui, ante supplicium abluti Christianè omnes sunt; sicque breuem hanc vitam, cum felici ac æterna (quod meritò credimus) commutarunt.

XIX AD ALIOS dein Ethnicos quod attinet, de spe omnino decidimus, qua annis præteritis tenebamur, Gacongi enim & Coangi Reges, qui Christianorum fidem instanter petebant, interueniente Legati morte, studium remisêre, tot ac tantis difficultatibus ad eas regiones penetrandi obiectis, vt superari non posse videantur. Hunc dolorem diuina Bonitas modò pen-

tuit,

fuit, noua quadam alia legatione Angolani Regis, optatos aditus Euangelio patefacientis: de quo plura sequenti anno. De Portalegrensi domo nihil ad me omnino literis perlatum, vt nec de transmarinis collegijs, quorum Epistolas (vt conijcio) vel intercepit, vel, distulit maris incerta nauigatio, &c.

Digitized by Google

Excreuit numerus Sociorum hoc anno in Prouinciâ Toletanâ ad quingentos vndetriginta. Ad alteram vitam nouem; ad Indos abiere decem: duo & quinquaginta ad Nostros acceſſerunt.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſtici.*	*Aduutores.*
Madridij in { Collegio / Domo Probat.	LXXXII. L.	XXXXII.			XLIV.
Compluti.	LXVII.	XIIX.		XXVI.	XXIII.
Murciæ.	LXIV.	XX.			
Belmontis.	XIIX.	IIX.			
Carauacæ.	XIIX.				
Placentiæ.	XVII.				
Talabricæ.	XI.				
Hueti.					
Seguræ.	X.				

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholastici.	Adiutores.
Toleti in Collegio.	XI.				
Villaregij in Dom. Probat.	LVII.				
Conchæ.	IX.	IV.			
Almagri.	IIX.	V.			III.
Oropesæ.	XXXIV.				
Toleti in Domo Professa.	XL.				

Lucem veritatis ex hæreticis aspexerunt, agnouerúntq; centũ octoginta octo.
Præter integram Remp. pacem renouárunt triginta tres.
Confessiones Generales numeratæ quadringentæ.
Impudicos mores exuerunt quinque.
Necis impium propositum persuasi à Nostris deseruerunt tres.

DOMVS PROFESSA ET RELIQVA TOLETANÆ Prouinciæ domicilia.

I.

VITÆ CVRSVM IMpleuêre in Toletanâ Prouinciâ socij omnino nouem, *Toleti* in ipsâ Professorum domo duo, P. Antonius Ramirus, tam externis, quàm domesticis longo solidarum virtutum variorúmque ministeriorum vsu valde probatus: Et P. Michaël Fernandez apud omnes tum alijs egregiè factis notissimus, tum etiam B. Leocadiæ Virginis & Martyris corpore, quod à Belgis in hanc vrbem summis difficultatibus laboribúsque perfunctus transtulit. Dederat ei Philippus II. Rex bene magnam è sacro Virginis corpore reliquiarum partem; quam ille dum exornat, & pro meritis illustrat, morbo occupatus meredem recepit priùs, quàm laborem finiret. *Madridij* obiêre tres P. Antonius Sanchez vir in quo nescires, quid

quid ad religiosam perfectionē desiderares. Ex quadraginta annis, quos in societate exegit, triginta nouem in manuetioribus litteris perlegēdis solidè posuit, tanto audientium cum fructu, vt & nostram societatem, & alias religiosas familias discipulis lectissimis impleuerit. Alter verò P. Gaspar Sanchez, & quinquaginta quatuor annis in religioso habitu transactis, litteras humaniores docuit annis admodum quinquaginta. E Prouincia Castellana Madridium venerat iste, quòd esset à Confessionibus Præsidi Senatûs regij. Omnium iudicio nullis optimorum Religiosorum ornamentis non illustris. Tertius P. Alphonsus Roca conscientiæ quæstiones professus, mœstos omnes reliquit, quòd cùm tātis doctrinæ virtutisque laudibus doceret, in medio ætatis flore carptus esset. Tres item alij *Complut*i decessêre. Ludouicus Luxan duodecim horarum spatio de medio sublatus, cùm virtutes suas annis quatuor societati probāsset. Et Ioannes Garcia de Vera, Theologiæ studiosus, decimo postquam nobis adiunctus erat anno. Atque hic est, quem ad explorandam constantiam parentes eius à nobis in cœnobium auelli curārunt: sed cum frustra Tironis animus eo facto sollicitaretur, ad nos redire permissus est, numerosis scholasticorum cœtu cum funalibus comitante, victorémq; conclamante. Sub anni finem tertius abijt Alphonsus Matthæus Coadiutor formatus annis quinquaginta in societate, DEO planè, & hominibus carus. *Caraua*ce etiam vnus Ambrosius Rodriquez: præter

multas

multas virtutes, quibus erat ornatus, orationi sicse dedidit, vt ferè nunquam à diuinis actionibus cessare deprehenderetur. Hæc de illis, qui decurso vitæ stadio iam ex victoriâ, credo, coronas habent; Toletum reuertamur.

II. GEMINA apud Professos Congregatio (de quib⁹ iam superioribus annis narratū) suum seruauit solēne: illud addidêre vtraq;: vt dū alij taurorū agitationi intenti, periculosos ludos celebrant, sodales in templo nostro palàm expositâ sacrâ Eucharistiâ diem agant multo ornatu illustrē, concentūq; musico iucundū. Et quia in periculosâ illâ arenâ magno sūptu parantur bellaria, cupediæ, aliáq; id genus esculenta, placuit ex hac quoq; occasione aliquid pium cōminisci, & eiusmodi delicias in ergastula ad captiuos, in Nosocomia ad ęgros reficiēdos deportare, valde probato à spectātibus exēplo. Effectū porrò in Collegio est, quod multis ab hinc annis optatū. Nam tandem à cōductitiâ domo migratū est in ædes coemptas aureorū millibus quinq;: altero tāto plùs ex testamento Cardinalis Quiroguæ olim fundatoris nostri Collegio attributum. Mille præterea aureorum vectigal annuum firmatum est, quod antea nutabat: vt cùm è vitâ excesserint vsufructuarij, totum Collegio cedat.

III. CONFITENTIVM numerus Madritij tantus est, vt plerunq; vel quadraginta Confessariorum assiduus labor sufficere non possit: atq; adeò necesse subinde fuerit hospites intermissis tātisper negotijs suis, in partem vocare laboris. Et ingens sanè opera sit, vel solis DEIPARÆ sodalibus satis-

Digitized by Google

satisfacere, cùm numerentur supra mille, cõfessionémq; obeant hebdomadis singulis, Eucharistiá bis in mẽse. Feminarũ autem & compluriũ quidẽ nobilium summum sæpe votũ est, vt mariti sui sodalibus adscribãtur; pro certo existimãtium, id quod est, fore vt multa inde cõsequatur morũ emẽdatio. E Scholasticis quadraginta vno hoc anno ad varia Religionũ castra se cõtulerũt. Industria deinde nõ minima hic Nostrorũ est in erudiendis ad fidem Saracenis. Itaque partim ex mancipijs, partim ex ijs, qui vltrò huc ex Africa ventitant, supra centũ & quinquaginta, vnius sacerdotis indefessa curâ Romana dogmata amplexi sunt. Cuius quidẽ Sacerdotis sano cõsilio cùm vnus fortè non assentiretur, nec eius de fide rationes admitteret, à vi quadã maiore visus est ad cognoscendam veritatẽ compelli. Fugitiuus à Dño suo reditũ parabat ad Turcas, iamq; triginta leucas emensus Matronam quandã (sic ille narrabat) splendidissimã vidit primâ statim nocte, quæ illum erroris periculiq; admonuit, reditum ex fugâ, fidémq; in CHRISTVM suasit. Eadem ipsa (DEIPARA fuisse creditur,) se ducem itineris præbuit, quod ille tantâ alacritate suscepit, vt ipsâ illâ nocte leucas duodecim relegerit, nec priùs quidquam habuerit, quàm vt ad Sacerdotis pedes pronus Catechismum, baptismúmque expeteret. Visi veritatem confirmauit vitæ sanctitas baptismũ secuta, quá ceteris, cõstanter præluxit. Non absimili ratione femina quoque perfidiæ sue tenacior secundùm quietem corrigi visa est à quodam Franciscani Ordinis viro pulcherri-

Digitized by Google

cherrimo: qui gratissimum factum DEI parenti facturam illam asserebat, si Patri Societatis, aures, fidem verbis eius daret. Non distulit obsequium diutiùs femina, quàm dum illucesceret, adijt catechistem, sacrum fontem suscepit, vitæque integritate, non vana se vidisse & audiuisse declarauit. B. P. N. IGNATII imago in templo, omnium ordinum frequentiâ, & religione colitur; ante illam acceptorum beneficiorum monumenta appenduntur, cerei accenduntur; estq; nunc argenteâ quoque lampade à primariâ quadam feminâ donata, quæ ipsam perpetuò illustret. Complutensi ædi calix accessit octoginta aureorum impensâ.

IV. VNVS E MVRCIANIS Socijs suggessit Episcopo operæ pretium fore, si diebus Domini sub vesperum diceretur ad seruitia Saracena, cuius sectæ plurima Murciæ copia versatur. Placuit consilium, moxque sacri, ciuilisque Magistratûs auctoritate in vnum coactus grex ille audire cœpit. Initium sicut res habuit à DEO, ita progressum quoq;. Duobus mensibus triginta duo baptismum suscepêre, Episcopo, Prætore, totáq; ferè ciuitate præsentibus, conclamãtibúsque *Domino factum esse istud, quod tam mirabile foret.* Alius è nostris tẽtauit aliud, quod non minorem ipsi laudem, quàm vrbi fructum peperit. Decreuit operam suam ponere in re, quorundã fortasse iudicio, vili, sed planè cõmendabili. vnusque se obtulit ad audiendas confessiones omniũ puerorum, qui in scholis primas literas formare condiscũt. Ita successit conatus, vt nonnemo parentum

rentum Sacerdoti huic gratias actum venerit, quòd filios suos, quos priùs habuisset liberiores contumacioréſque mutatis nunc ſtudijs videret domi Rosarium B. Virginis ſummà cum pietate percurrere.

V. CARAVACENSIS ciuis ab vxore defunctà in ſomnis monitus, vt cum inimico in gratiam rediret, venit ad Nostros: constitutà pace, iterum ac ſæpius eandem vidit, donec tribus pro eâ expiandà ſacrificijs factis, læta tandem, & alacris ad cælum migrare conſpecta eſt. Nobili feminæ, quæ multos annos diuina myſteria apud nos ſumere conſueuerat, filius erat nouendecim annorum adoleſcens. Is iam moribundus matrem à fletu abſtinere voluit, dictitans; *non flendum, ſed DEVM potius laudandum eſſe, cuius beneficio acceptam in baptiſmate innocentiam ad id vſq; temporis pũctum ſeruâſſet.* Adiecit deinde, ſequenti die, eâ, quam nominârat, horâ, quatuor efferendos, vnúmq; locum, duorum fore capacem. His dictis ſitijt; quam ſitim cùm DEO obtuliſſet; *ecce vobis*, inquit, *quàm pulchro me malo punico ſitientẽ DEVS reficit.* Tum neſcio quid horribile intuens, Cruce ſignari ſe & aquâ piacularj luſtrari petijt. Poſterâ luce, vt prædixerat, cum quatuor infantibus ex vicinià defunctis elatus, cum vno eorum in eodem ſepulchro conditus eſt. Minùs ex miſericordiâ cum alio adoleſcente actum erat. Is liberiore vita, & intractabili præſertim morum licentia, matrem in ſe prouocauerat, quæ temerario voto, vt ne decimũ quinsum diem viuens attingeret, ei fuerat imprecata,

Digitized by Google

Habuit momentum ea vox: siue DEVS matris impietati hoc concesserit, siue immorigerum adolescentem ipse voluerit punire, quem ante decimum diem ex hac vitâ exturbauit.

VI. PLACENTIÆ multa omnium est erga nos beneuolentia, Episcopi præsertim, qui mille aureos contulit ad partem ædificij cœptam, perficiendam.

VII. SEGVRÆ quædam vicinæ domunculæ coëmptæ angustias habitationis nostræ laxârunt, & horto construendo locum dederunt.

IIX. CONCHÆ doctrina Christiana magno ciuitatis applausu per vias publicas concinitur lõgissimo choro, quingentorum omnino puerorum. Finem pompæ facere solet catechesis ad rudes; ad confertissimum gregem reliquum, concio.

IX. AB ALMAGRENSIBVS Sodalitas Sacerdotum instituta: octingenti ferè aurei ad rem familiarem adiecti; frumenti quantum ferè satis est in annum, piorum liberalitate suppeditatum.

X. TIRONES Nostri in domo Villaregiensi tum in ceteris virtutibus promouent, tũ vel maximè paupertatẽ aliqui ita amant, vt vel lacrymis deprecati sint, si qua noua alicui vestis daretur; decentiùs rati, nouum atque integrum hominem amiculo veteri laceróq; contegi, quàm veterem vitioſámque nouo atque splendenti.

XI. PERILLVSTRIS quidam vir è Madritano tirocinio obuios fortè habuit in itine e peregrinos nostros, eísq; vltro pretiosum nũmum obtulit,

Digitized by Google

erilit, quæ si accepissent, toti peregrinationi sufficisset. Deprecari igitur eam fortuna gratias egêre peregrini, dictitantes, neq; se commisisse adhuc neq; cõmissuros, vt vel obulũ ab vno oppido in aliud referuent, ne & fructũ susceptũ itineris perdant, & diuinæ prouidentiæ diffidere videantur. Id responsũ admiratus Viator, non dubitauit publicè in regia curia multis principibus viris audientibus pro cõmendatione societatis referre. Est & aliud nouitij cuiusdam Madritani non silendum factum: quod antequam Tirocinium ingressus erat, designauit. Animam agebat eius soror, atque in extremis iam constituta vocem amiserat: Affert ille B. P. N. effigiem, vouet se Societatem Iesv ingressurum, si à Deo salutẽ sorori impetret. Redijt illico ad se moribunda, & cum voce vires pristinas recepit. Itaq; voti reus adolescens magnâ animi lætitiâ Societatẽ ingressus est. Ad eandem Tirocinij domum pertinent Saraceni quinq; ad fidem & baptismũ vocati. Vir honestus seruũ habebat passim iurandi consuetudine temerariũ, atq; insolentem. Admonuit herus pro officio, vt abstineret à tam pernicioso scelere: quòd Deus sæpe expetere soleret ab eiusmodi improbis, & periuris hominibus grauissimas pœnas: atq; earundẽ aliqua illi exempla in terrorẽ proposuit. Alter in impietate suâ nihilominus pergere, monita heri salutaria cũsque déque habere. Abijt interim cõtumax in molendinum frumenti terendi gratiâ: ibi fistulam æneam inter saccos farinarios plumbeis pilulis sulphure cóq; puluere armatam

Digitized by Google

fortè conſpexit: quam dum ludibundus extrahere nititur, ſilice ad chalybem illiſo ſecundùm caput ictus, repentè mortuus eſt. Herus vir pius cognito hoc miſerabili caſu, religione tactus, ad Noſtros ſtatim curriculo venit, ſeque, quaſi minùs ſeruo conſuluiſſet admonendo, accuſauit.

XII. IAM Miſſiones, pro more ſocietatis, ex hac Prouincia multæ fuêre & fructuoſæ. Tres ex Toletana Profeſſorum domo. Vnica oratione de pace habita auditores vniuerſi in gratiam rediêre, vtroque factionum auctore, medio foro coram SS. Euchariſtia (quæ tum fortè ad ægrotũ deferebatur) ſe mutuò conſalutantibus. Ad doctrinæ Chriſtianæ concẽtum & explicationem maior quandoque populi concurſus fuit, quàm ad ipſas conciones: & cogere turbam præcipuè videbatur hiſtoria pia ad finem catecheſeos enarrata. Nec parùm vtilis fuit Sacerdotum externorum induſtria, quorum multos grauiſſimos viros non puduit per compita cum pueris modulari, arundines agmini gubernando geſtare, cymbalo, quod pompam duceret, cõcrepare, vt fuerit etiam qui totos quinq; dies cymbalum illud domi ſuæ abſtruſerit, ne ab alio ſibi præriperetur, adeóq; ductoris munere fungi amplius non poſſet. A Murcianis excurſum eſt ad pagos decem, in quibus omnes omnino incolæ, quaſi Paſchatis eſſent feriæ, confeſſione expiati ad ſacram menſam acceſsêre. Par aliud Sacerdotum in duo oppida profecti tãtam morum mutationem fecerunt, vti quidam è clero vectigal

annu-

Digitized by Google

annuum assignarit, quo inchoatæ semel à Nostris, eiusmodi expeditiones continuari possent. Talabricenses, Seguritani, & Villaregienses socij eodem fructu foris versati sunt. A posterioribus id relatum: quendam peregrini habitu ingressum mulieris cuiusdã domũ eleemosynæ petendæ obtentu: eã acceptã interrogasse, cur illud atq; aliud peccatum (quę speciatim nominabat) in Confessione Sacerdotem celasset. Obstupescente muliere, cordis sui arcana à quoquam sciri, ad Confessionem inde se recepisse, omnéque peccatorum virus tam diu celatum, integrè euomuisse. Duæ ab ijsdem sodalitates institutæ sunt; vna nominis IESV aduersùs pranam iurandi consuetudinem; altera sacræ Eucharistiæ. E Tirocinio Madritano vnus Sacerdos triginta pagos percurrit, atque in ijs generales Confessiones audiuit supra trecentas. Almagrenses vix domum redire permissi; adeò oppidanorum animos passim occuparunt.

Digitized by Google

Numerati sunt in huius Prouinciæ locis Socij centum quinquaginta vnus. Extincti sunt tres: duodecim in Societatem adscripti.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholastici.	Adiutores.
In Collegio Sassaritano.	L.				
In Calaritano.	L.				
In Ecclesiensi.	X.				
In Alguerensi.	XIV.				
In Domo Probationis.	XXVII.				

Ad vitæ honestatem adducti octodecim.
In mutuam concordiam reuocati viginti septem.
A necis consilio absterriti duo.

COLLEGIVM SASSARITANVM CVM reliquis.

I.

TRES SOCIETAS Nostra in Sardinia ex Patrum nummero amisit, Sassari duos P. Gauinum Casagiam, quatuor & quadraginta annos religiosum, & P. Antonium Mazonium. Prior ille probitate sua atque candore facilè omnium voluntates sibi deuinctas habuerat. Quo factum, vt funus ipsius non tantùm promiscua ciuium multitudo longo agmine deduceret, sed Cœnobiorum quoque religiosæ familiæ plura pro eodem sacrificia diuino Numini offerrent. In eo genere Franciscana præcipuè familia suum declarauit in Patrem hunc amorẽ, & Archiepiscopus arborensis Pontificijs ornatus insignibus, tristi defunctorum officio ipsemet voluit perfungi. Posterior vnum & viginti annos cum magna significatione virtutum inter nos vixit. Tres præcipuè sectatus fuisse memoratur: Patientiam, Modestiam & Charitatem.

Digitized by Google

tatem. Litteras, quæ ad humanitatem & eloquentiam informant, quatuordecim annos cum fructu professus est; cum ipse trium principum linguarum eruditione, Hebraica, Græca & Latina esset instructissimus. CALARI defunctus est P. Ioannes Rogerius, triginta annorum vir, cùm mediam ætatem in Societate transegisset: Laborauit diuturno satis molestóque morbo, quem *Diabeten* Medici nuncupant. In ipsis ferè crepundijs DEIPARAM amare cœpit; in cuius obsequium antequam religionem ingrederetur, castimoniæ voto se obstrinxit. Cúmque iam ex Ecclesiensi Collegio in Sassaritanum ad Theologiæ studia missus esset; reperta est ibi à quodam è Nostris membranula, in qua vouerat Rogerius, suáque ipse manu subscripserat, *nihil se eorum vnquam denegaturum, quæ à se B. VIRGINI interposito nomine efflagitarētur, si posset.* indicauítq; multoties, suo se stylo scriptisq; tantę matris encomia, tum ex vulgaribus, tũ ex litterarũ monumentis consignata relicturũ. Et habuerat variorum manuscriptorum apparatum iam non exiguum. Fuit enim laborum amicus constans, suique Contemptor tantus, vt à Præsidibus suis ex scholasticorum societatis albo expungi, & in Coadiutorum domesticorum referri non semel postularit. Quanquam autem temporis alioqui perparcus esset; eius tamen quod rebus diuinis dabatur, semper fuit liberalissimus; ministerióq; altaris, dum inter Philosophiam adolesceret, ita deditus, vt à Maioribus admonẽdus foret, ne sacrificio alij, præterquam sibi assignato, minis-

stet

ster assisteret. Atque hanc in diuinum hoc opus pietatem non antè deseruit, quàm à viribus, & ipsa denique vita desereretur.

II. TRIVM IGITVR istorum funera si excipias, reliqua lætiorem pleraque in Sardinia habuêre faciem, partésque societatis omnes rectè, atque ex instituto sunt gestæ. Externorum verò in Sassaritanos nostros beneuolentiam, non verba modò & vultus, sed res ipsa, crebróque missitata eleemosyna declarauerunt. Vir Primarius Socios ex asse hæredes suis absque prole deficientibus filijs scripsit. Dynastarum alius bene magnam argenti summam, alius perelegantem supellectilem attribuit. Ex ciuibus alij Epomidas & mappas, alij pallas & vestes, tam Sacerdotibus, quàm aris, calicibúsque vestiendis, atq; ornandis dono miserunt. Grati fuere Patres, quátùm licuit per negotia & vires; omnésque nerues in vtramque ciuium salutem, animi nimirum, & corporis intenderunt. Viri tres in extremo vitæ discrimine constituti, nec sine leuiore animarum suarum periculo, linguæ vsu priuati, animi vlcera verbis explicare non poterãt. Ad hos accessêre Patres, tantúmq; apud DEVM visi sunt precibus suis potuisse, vt tribus istis linguæ enodationem impetrauerint, & Confessione expiatos in cœlestem portum deduxerint. Crediderunt certè istud præsentes tunc consanguinei, qui magna cum admiratione grátias DEO Nostrísque ingentes egerunt.

III. CALARITANI Nostri alijs quoque studijs demereri sibi conati ciuitatem, commentatio-

Digitized by Google

nibus sacris ex omnibus ordinibus varios instituerunt. Ex illis tantùm Cœnobiarcha quidam non incelebris profecit, vt & concordiam, tranquillitatémq; clientibus suis impetrauerit, eóque exemplo alios quoq; ad sui imitationem in eodem genere pietatis accenderit. Literarum studiosi bis singulis per Quadragesimam hebdomadis in templo conuocati sunt, ad pium aliquod exemplum audiendum, ex quo discerent, quæ illa ætati vitia declinanda forent, quæ Virtutes sectandæ potissimùm. Ad Sanctimoniales etiam Calaritanorũ opera se extendit Archiepiscopi inuitatu, vt eas à laxà, quam agebant, ad arctiorem disciplinam reuocarent. Res successit ex sententiâ. In sagas earúmque veneficia, & Cacodæmonas, qui corporibus hominum sese insinuauerunt, non cassa fuit vis, nec irritus conatus. Exière isti; illæ (quod aliàs in hoc genere hominum rarum) suis artibus valedixêre. Adolescentula pudicitiæ fines egressa paternam domum reliquerat, quò suam inprimis libidinem explere posset. Doluerunt, vt par erat, filiæ vicem Parentes, insecutique eandem apprehenderunt, atque in carcerem, fræni loco compegerunt. Sed tantùm abfuit, vt ab effrenâ suâ consuetudine abstineret puella, vt procaciùs etiam turpitudini indulgeret, nouisque se sceleribus ex occasione fœdaret. Interpositi sunt Nostri, Parentibúsque auctores fuerunt, vt filiam è carcere peccandique occasionibus domum reducerent, eiúsque pudor, si consultam vellent, matrimonio copularent. Persuaserunt.

suaserunt. Hoc magis mirabile, quod in missionibus contigit. Femina turpi scelere se obstrinxerat. domóque egressa Rosarium B. VIRGINI è clauo pendulum reliquerat. Paulò pòst reuersa domum reperit dissolutum, sphærulasque precatorias humi passim dissipatas. Id fortuitò accidisse arbitrata collectos globulos in funiculum denuò innectit, locóque priori restituit. Compellitur deinde iterum domo exire, quà repetità, offendit eodem modo ruptum funem, globulósque disiectos. Quod cùm & tertiò contigisset portendere sibi aliquid res ista visa est, séque admoneri patrati sceleris. Ad DEIPARAM igitur orationem conuertit, eámque veniam poscit. Crimen deinde confessa pœnam de se sumpsit. Huic ferè consonat, quod de viro retulêre Patres. Hic cùm se amoris obscœni pedicis irretijsset, sæpe vidit effigiem B. VIRGINIS Conceptæ, quæ ad lecturi sui caput hærebat, refigi, atque per inane cubiculi spatium leni agitatam aurâ volitare. Affigebat eandem iterum cerâ, glutine, clauis: idque sæpius: sed sua pte sponte reuellebatur imago eo maiore hominis cum stupore, quo hoc fiebant crebriùs. Eodem siquidem die septies in pariete fixa, septies humi abiecta reperiebatur. Ac tametsi causam tanti prodigij facilè videret, non ideò tamen pernicioſi amoris flammas in animo suo excitatas restinxit, siue contemnebat obstinatè prodigiosam admonitionem, siue impotentem nefarij incendij ardorem nequi-

bat

bat frangere. Fuit, cùm clausis & foribus & fenestris effigies nusquam comparuit; quod non potuit non ingentem homini incutere metum; per noctes præcipuè quietem suam interturbari sensit, séque à malo Dœmone hostiliter inuadi. Tympanorum strepitus, & lituorum clangor à somno identidem excitabant: quibus quidē pauoribus, terroribúsque tamdiu crudeliter habitus est, donec illata sibi vi, libidinis impetū fregit; ad Nostrum accessit, vulnus aperuit, & medicinam bene consulentis admisit.

IV. IN DOMO Probationis non tantùm Tironum nostrorum, (quamuis ea præcipuè) sed mācipiorum quoq; habetur cura: quæ nostræ religionis mysteria cupidè ediscunt: Eorum nonnullis magnifico apparatu sacer fons est infusus. Quidam cùm ad ædes nostras curationis causa esset deductus, ibíq; animo iuxtà corporíq; medicinam reperisset, in grati animi significationē, omnes suas facultates domui huic assignauit. Exeunt de more Nouitij peregrinatum, & quæ plurimi mortalium domi quoque fugiunt, foris incommoda quærunt. Tres excepti fuerant hospitio à Curione quodam ab virtutibus tenuiter satis instructo; Is hospitum viuendi morem curiosa indagine perquirens, arbitrabatur omnes eorum actiones, & noctu præsertim intentus erat, num quid reprehensione censuráue dignum in ijs deprehenderet; vel quod saltem ab eâ externâ corporis compositione, quam præ se ferebant, dissentiret. Cùm omnia dispiceret, nihil in cibo, potúue, nihil in verbis erat, quod temerariam

Digitized by Google

tàriam illius ſuſpicionem confirmaret. Contraria potiùs omnia licuit obſeruare: ſummam in loquelâ cautionem: in moribus modeſtiam; tẽperantiam in victu. Ante Nocturnam quietem animaduertit prouolutos in genua, totius diei actiones in iudicium vocare: matutino crepuſculo fuſos in preces iterum ad diurnos labores ſe præmunire. Quod ſpectaculum, incredibile dictu eſt, quantum homini, eiuſmodi rerum inſueto, admirationis iniecerit: vt iam nullos magis ob veram pietatem ſuſpiceret, quàm quos de falsâ habuerat ſuſpectos.

V. ECCLESIENSE Collegium vſitata fecit. In Alguerenſi apertus eſt hoc anno Philoſophiæ ludus, quem iam pridem tacitis votis Magiſtratus, vniuerſíque ciues exoptauerant. Hac occaſione ſòcijs reliquis adiũcti ſcholaſtici tres, quorum ad ſuſtentationem, quia annui reditus Collegij non ſufficiebant, ducenti aurei elemoſyna collecti ſunt, ſperátque Magiſtratus fore, vt hæc ciuitas ab interitu aliquando, ad quem vergere videbatur, reſpiret, ſuáque priſtina nobilitatis pulchritudine condecoretur. Cùm enim litterarum ſint perpetui comites & aſſeclæ, honores, opes, dignitates, ex quibus velut ex radice vera nobilitas ac virtus pullulat, perſuadent ſibi facilè plerique omnes, his refloreſcentibus reliqua in vigorem ſuum ſponte ſuapte reditura. Adnituntur igitur totis animis Noſtri, vt vrbem non litteris tantùm profanis, ſed & multò magis ſacrâ diuini Verbi inſtitutione adiuuent. Quæ cauſa fuit, vt intermiſſas hortationes, quæ quot domi-

Digitized by Google

dominicis diebus primâ luce ad famulos plebeiámque turbam fieri consueuerant, repeterent, ardentioríque conatu innouarent. Illa quoque multis pro vsu futura consuetudo auctoribus Nostris obtinuit, vt festis diebus sub vesperam facinus aliquod præclarum sancti alicuius Viri feminæué audituri conuenirent ciues: quorum sodalitium cum in dies minueretur, his actibus vires recepit, séque ab illá raritate non mediocriter collegit. Denique, quod supereſt, vrbem istam extremè afflixit infesta locustarum pestis, quæ per agros passim grassata ingentem ciuibus omnibus creauit mœrorem. Ad amoliendum hoc malũ indicta est supplicatio publica, itúmq; præsertim ad vnius agrum, cuius omnis seges ita corrosa corruptáque erat, vt præter culmos radicésque vix vspiam aliquid appareret, quod vineret; haud secus quàm cùm à grandine percussæ spicæ flaccescunt. Adhibitæ sunt ritè agro sacræ Ecclesiæ ceremoniæ ac preces: secundùm quas tempestiui secuti imbres ita intermortuam segetem animárunt, iacentémque erexerunt, vt suo tempore messem agri possessor fecerit sanè quàm copiosam.

PRO-

Habuit Prouincia Franciæ domicilia quindecim; ſocios in ijs quadringentos quinquaginta vnum; morte abrepti ſunt ſeptem, in eorum locum ſuffecti vnus & quinquaginta.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſtici.*	*Adiutores.*
In Do. Profeſ. Pariſienſi. fuerũt.	LX.				
In Collegio ibidem.	XII.				
In Muſipontano.	LXXIII				
In Flexienſi.	LV.				
In Bituricenſi.	XXX.				

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholastici.	Adiutores.
In Virdunensi.	XX.				
In Niuernensi.	XIIX.				
In Augensi.	XIV.				
In Rothomagensi.	XXIV.				
In Domo Probationis ibid.	XL.				
In Collegio Rhedonensi.	XXVI.				
In Mollinensi.	XX.				
In Ambianensi.	XIV.				
In Rhemensi.	XIV.				
In Domo Probat. Nanceiana..	L.				

Digitized by Google

Virus hæreſeon, Noſtris medicinam propinantibus, exſpuêre vniuerſim in Prouinciâ ſexaginta ſeptem.

A fide Catholicâ, ne deficerent, cùm alij ſeruati multi; tùm ſex præſertim Apoſtaſiæ proximi.

Inter ſe animis atrociter diſſidentes mutuò, ſequeſtribus Noſtris, conſensêre nonaginta.

Impúdicè viuere deſiêre duodecim.

Omnem vitam (qui quidem numerati ſunt) rite expiârunt mille ducenti quadraginta duo.

Agni cerei vis, & menſtruæ communionis, duobus profuit ſingulari modo.

A B. quoque Ignatio quatuor implorata opem accepiſſe ſe teſtati ſunt.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA PARISIENSIS.

I.

SOCIORVM NVMERum morte ablatus imminuit Philipertus Iuuenius, Formatus temporalis Coadiutor, vt nos loqui solemus, actis in societate annis quatuor & viginti, notus omnibus ab obsequendo & gratificando Religiosus; quem tametsi vis morbi, laborum semper appetentissimum, lecto affigere, atque adeò etiam occidere potuerit; de patientis tamen officio deijcere potuit nunquam, cuius vltima illa & verba & facta fuêre; *Dissolui & esse cum* CHRISTO. Cæteri quibus datum est supereſſe, vitam simul ac virtutem factis extendere communiter laborant. Sacra Diuo Ludouico ædes nostra, à Christianissimo Rege Henrico IV. ipsis Calendis Ianuarij magna, & Præsulum, & Principum coronâ stipato, pietatis ergò inuisa est. Ibi cum fortè inter Illustrissimum Cardinalem Peronium, & Reuerendissimum Episcopum Parisiensem sermo ortus esset, de Christianâ Catecheſi nostrum ad mo-

Digitized by Google

ad morem publicè inducendâ, multis Rex ipse sermonem illorum confirmare instituit, cùm diceret *esse è re Ecclesiæ publicâ, doctrinam Christianam, vel hoc nomine per parœcias explicari, ne Catholici hâc in re segniores Hæreticis videantur.* Pergit omnino optimus Monarcha in societatem Nostram animo esse propensissimo, nósque non rarò ab obtrectatorum calumnijs, suo iudicio & commendatione defendere. Regis exemplo incitatus Vrbis Magistratus, maledicorum in nos libellorum inuidiam comprimit. Clam prodierat in lucem vnus parente incerto; Typographus in ius ambulare coactus, pecuniâ maleficium luit; libellus verò in ipsius oculis, frequente Iudicum consessu, præsente huius Domus Præposito, conscissus discerptúsque est.

II. QVÆ Nobilium Academia hîc appellatur, ea domus ampla est, in quâ nobiles Adolescentes, facilè numero quadraginta, tanquam in gymnasio à Parentibus habentur, formatúrque cõmunibus exemplis & institutis ad ea studia, quæ Nobilitati vulgò honesta putantur. Qualia sunt; saltitare numerosè, librare se in equum habili corpore, scitè in eo sedere, & eleganter tractare arma, tum ad vtilitatem, tum ad venustatem. Hæc ergò ne corporis exercitamenta sola sine animarum cultu condiscerent, inductum est in eorum mores nutu Regis, ipsorúmque Moderatoris studio ac voluntate, vtè Nostro numero quispiam eos festis diebus ad officia Christiano homine digna

Digitized by Google

pro Concione adhortetur. Concionibus nostris, maximè sacro Aduentûs Dominici tempore, frequentes non Patricij tantùm & Palatini, sed ipse aliquoties Rex perhumanè interfuit, non sine dicentis approbatione & audientium fructu. Mulier, quæ magnam ætatis partem DEO, ac precibus sic insuescere visa erat, vt absorpta in res cœlestes persæpe Contemplationis luce diuinitus perfundi crederetur; multa, quæ, aut prope impendentia, aut longè absentia, certo euentu prædiceret, nescio quo pacto ita de pristino illo veræ an fictæ dignitatis gradu præceps corruerit, vti iam non in animi angores tãtùm, ac tœdia deliciæ illæ verterentur, sed exitiali insuper furore (ô mutabile semper femina!) ipsa in hæresin inclinaret: reducta tamẽ est Nostrorum prudentiá ad mentem, quantóque maiore animi submissione, tanto certiorem respexit salutis viam; quam etiam ijsdem indicibus tres alij, & triginta fallaci hæreticorum calle relicto inire cœperunt. Hæreticorum itaq; res, Nostris agentibus, non tantùm non surgit, sed & sensim fatiscit, eámque hîc ad interitum spectare, persuadent multa; & quod paulò illustriores duces vix habeat, & quod rari de eâ in certamen descendere audeant, & quod scripturarum venditationem, quam tanquam arcem occupârant, paulatim deserant, séque, cùm paulò premuntur arctiùs, reijcere ad nescio quas è scripturâ Consecutiones turpiter incipiunt. Diuinæ manûs erit agrum hunc lolijs istis, & lappis integrè demum expurgare.

III. Oc-

Digitized by Google

III. OCCVPABANTVR Noſtri in aliquot Cœnobiorum ad veterem diſciplinam reuocandorum perutili labore; ac duo iam eorum magno Virginum bono fuerant clauſa. In tertio anus quædam vno alteroue anno centenaria minor reperiebatur: Hæc dum ſacrum flammeolum, vſitato modeſtiùs de Antiſtitæ manu recipit (& reſtiterat illa quidem melioribus hiſce inſtitutis aliquanto pugnaciùs, non vitioſæ licentiæ ſtudio, vt quæ etiamnum id ætatis omnia ieiunia ſanctè colat, ſed inoliti iam & corroborati moris tenacior) mutatâ mente, atque magno pietatis ſenſu, fluentibus vbertim lacrymis: *Et verò*, inquit, *hâc iterum ætate, quæ DEI in me atq; in nos omnes beneficētia eſt, quam ante annos octoginta duos, quos in Religione exegi, florere hîc religioſæ vitæ ſpeciem aſpexi, eam periucundè hodie reflorescere video, ac lætor, ſuſcipióque animo perlubenti ſacrum hoc velum, primo illi, quo à principio CHRISTO meo deſponſata ſum, formâ ac Religione conſimile.*

IV. ALIO quoque ſe labor uoſter extendit. Aurelia oppidum eſt celebre ac frequens, Galliæ vmbilicus. Eò, id agente loci Antiſtite, profectus Concionator noſter, magnam fecit animorum mutationem. Erant illius vrbis ciues, nec ſatis ſcientes rerum noſtrarum, neque optimè in nos animati. Fecit in ipſorum ſimul oculis Noſtrorum vita, vt noſſe eos cœperint & probare. Fuit ille imprimis ibi fructuoſus ſermo, qui de Confeſſione ſuper totâ vitâ inſtituēdâ ad populum eſt habitus, quo inter alios eam à puero inſtituendam permotus eſt inſignis quidam Me-

Digitized by Google

dictus, qui id serio iam vrgere pergit, sui vt ægri mortis discrimen adeuntes, idem præstent; quæ res & molienti iam successit, & spem facit, fore vt ad beatam immortalitatem multis præsenti sit adiumento.

V. IAM ne ab hac domo, nisi per Titocinium (partem eius vnam tantisper, dum in ciuitate sua illi sedes quæritur) exeamus, inchoatum illud anno huic proximo, nunc domus istius habitatione commodiùs constituta, suâ proprie in statione discerni, & commodiùs habitari cœpit. Eleemosynis cum domo interim sustentabatur, quas cùm ab alijs ad paupertatem nostram subleuandam Margareta Valesia, de superiore Valesiorum stirpe Regis filia, quinquennio iam, numeratis quoquo trimestri aureis ducentis, libenter submini strauit: quamuis vt eius stabiliendi spes sit certior, nonnullos iam proprios reditus habere cœpit. Ad Collegium ipsum quod attinet, est illud quidem longo Vrbis situ discretum à domo Professâ, sed quòd ei nondum à communi rerum nostrarum Naufragio in Gallijs facto, suas scholas repetere licuit, dum id quod proprie agere debuit, agere non potest (licet interea nullum de societatis muneribus intermittat) silendum putaui. Itaque salua in posterum spe pristinæ fortunæ recuperandæ, aliorum res ac litteras ordine ponemus.

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM ET FLEXIENSE.

VI. Di-

Digitized by Google

1.V. DYSENTERIÆ perniciosō morbo, & aliquantum in vrbe, & fœdissimè in Collegio Mussipontano laboratum. Quatuordecim terra ista lues dirè habuit, & densâsse funera, nisi Medicorum assidua cura, nisi pro ægrorum salute ad DEVM fusæ preces valuissent. Duorum morte, Sacerdotis vnius, Coadiutoris alterius nobilitata morbi inclementia est. Horum iste Ioannes Manginus formatus Coadiutor temporalis, strenuus laborum Marthæ imitator, annos egerat in societate, ampliùs triginta. Alter P. Ioannes Gatterius, etsi florente ætate quartum vix annum inter Nostros explêsset, virtute tamen erat senili. Vir ingenio, tam comi, támque modesto, vt omnium in se oculos cum beneuolentiâ detineret; tam elegante, támque reconditâ varietate doctrinæ, vt cerni ac cognosci ea sine admiratione non posset. Triste omnibus Nostris tanti viri desiderium, fuit & externis, ijs maximè, quos in poëtica, pietatis simul, & doctrinæ præceptis informabat, qui in scholâ (quòd ad templi postes id per nos non liceret) scriptis fixísque funebribus Magistro optimo non sine lachrymis parentauerunt: Et quia iam in scholas, ac scholasticas incidimus, de his statim loquemur, vbi nonnullam ædificorum nostrorum mentionem priùs fecerimus. Templum quâ suppellectilis nouæ augmento, quâ alterius redintegatione illustrius factum. Domus nouis ixata habitaculis in separatos Nostrorum sus, qui biennio probationis

Digitized by Google

confecto, ad Collegium ſtudiorum causâ admittuntur. Ineunte æſtate magna Iuuentutis litterariæ pars, ex anguſtis veterum ſcholarum ſudatorijs in nouas liberiore cœlo nobiles eſt traducta. Florent vnà omnes ſcholaſticis mille quingentis, in quibus Parthenij ſuo more claſſem ducunt.

VII. EX HIS Adoleſcens cùm integrâ valetudine Chriſtianæ probitatis pulcherrimum ſe exemplum ſtatuiſſet, in eo morbo, qui vltimus ipſi fuit, expreſſiora etiam reliquit eius monumenta. Tulit vim morbi tantâ animi conſtantiâ, tantâ oris, ac vocis æquabilitate, vt, cùm ſe mori ipſe ſentiret, (diſſenteriâ autem, & vehementi viſcerum dolore torquebatur) aſtantibus vix paulò grauiùs dolere videretur. Id vnum denique ægerrimum fuit, in ſocietate noſtrâ, quod non moreretur, cuius ingreſſum tam ſtudioſè antea expetierat. Durum viſum eſt tam digno beneficium hoc denegare; àmiſſus ergo ad ſocietatis vota, nuncupanda, incredibile eſt, quantâ perfuſus lætitiâ, quantâ, & quàm amœnâ voluptate perfuſus, illa emiſerit. Aderant tunc fortè nonnulli de ſodalitio B. Virginis iam pridem Inſtitutum noſtrum ambientes; hos ille benignis, vt ſolebat, oculis intuens vehementer ad cœptum virtutis iter cohortari, dextráque amplexúque teſtari amorem in illos ſuum, polliceri ſi quem, vt ſperabat, ſibi inter ſuperos locum diuina Bonitas largiretur, ipſis nec precibus nec ope defuturum: colli crymantibus ad hæc qui aderant, & tam beatam mortem tantùm

tùm non inuidentibus, olim certè optantibus. Sacramenta extrema Catholico ritu susceptit; & cum rogarent ij, qui litteras ei à parente, ægritudinis huius nescio, de reuocando eo in patriam attulerant, nunquid denique per ipsas ad eam veilet? Christianissimè respondit: *Verum in Patriam se, longéque optabiliorem à DEO inuitari, habere autem quod illis daret melius nihil, quàm vt ne vnquàm se immoderatâ honorum, ac diuitiarum cupiditate irretiri patiantur, despectâ terrâ cœlum cogitarent; quæ hîc cernuntur, fragiles esse, beatas illic, ac æternas opes.* Mediâ nocte cum de IESV nomine etiamnum audiret, repentè, vt se in eius sinu mori testaretur, collectâ omni atque effusâ vi Naturæ, idem sanctissimum IESV nomen inclamans extremum cum eo spiritum edidit, tantóq; exemplo, vti de eo cõmemorando laudandóq; multò pòst tempore sibi homines non temperarent. Adolescentem alterum, paterno amori indulgentior pater à complectendâ Capucinorum religiosâ familia prohibebat, eumq; dum is remitteret feruor, studiorũ causâ Mussipontum ablegâret. Vix trium hebdomadarum interposito spatio, ecce ad eum tristis, sed verus nuncius, filium lethali vulnere confossum, certam mortẽ expectare; si quid solatij, id habet, nullà hoc filij culpâ contigisse. Perculsus nuntio pater, celeriter aduolat, filij conspectu tres ante mortem horas fruitur. Filius omni id ratione agere, vt ægrum dolore patris animum inflecteret ad iniuriam Christi causâ condonandam. Expugnauit ea filij pietas parentem à Christiana pietate

Digitized by Google

(si vnam illam voluntatem excipias) alioquin abhorrentem. Secesserat is à filij lecturlo paululùm, cùm intermortuâ volentis aliquid atque appellantis voce reuocatur; esse, in aurem ei quod diceret. Auscultanti, *Vides*, ait, *mi Pater, quem dulcem gnatum nuper non es passus in Capucinorum Patrum sacro conuentu CHRISTI cruce insignitum, tutam ad astra viam insistere, vt eum nunc non CHRISTI causâ, sed alieni facinoris importunitate morientem videre cogaris?* Quo admonitionis telo sic altè parentis confixus est animus, vt neque lachrymas tenere, neque hunc mordacem animi sensum vix vnquam sermone sibi leniri pateretur. His duobus alium quendam nobilem adolescentem adiungere placet, cui quamuis extra disciplinam nostram periclitanti, Sacerdotis nostri prudentia portus fuit. Desperatissimâ insaniâ abreptus miser, siue studio amouendi cuiusdam è corpore næui, siue dementi rerum magicarum curiositate veneficas consulit, quos solertissimos varijs in locis ac regionibus potuit indagare. Harum ille artibus ac libris confisus, sagarum insuper vnguentis delibutus, cupidissimè malè dæmonis familiaritatem ac consortium ambiebat, sed cùm diu rebus tentatis omnibus, atque vno sæpiùs die euocatus dæmon nihil auderet, diuina haud dubiè id nolente prouidentia, tandem Adolescens, inita apud Sacerdotem nostrum totius vitæ ratione, à susceptæ consilij prauitate ad Christianam modestiam animum seriò applicauit.

VIII. Pro-

Digitized by Google

VIII. PROFICISCEBATVR de Nostris Pater quidam cum Adiutore socio in suburbanum agrum doctrinæ Christianæ causâ, hominem reperit vultu indice, atque ipsa totius corporis habitudine miserè animo perturbatum: erat ei gradus incertus suspensúsque, omnia circumpauitans sollicitis oculis respectabat, intus carnifex timor, foris conspicua lanienæ mordacis argumenta multa, & metuebat alicundè vim externam; sed quod posteà est intellectum, perturgebant eum efferatissimo morsu admissorum totâ vitâ scelerum furiæ. Defixerat Nostrorum oculos id hominis, cùm intuitus ille; *Verè-ne*, inquit, *isti, DEVS immortalis, quales suspicor?* Propinquánsque; *Nunquid nam etim Iesuitæ vos estis?* inquit. Cum annuissent. *Me verò*, exclamat, *beatum isto occursu!* simul lacrymæ vocem & spiritum intercludunt. Audentior iam Sacerdos, rogat amicè, qui sensus sit iste animi, quæ illius causâ, quid eum ita sollicitum ac commotum habeat? si quo modo posset, se ei operam suam perlibenter daturum: Ille mali totius caussam vno verbo apperit; nunquam scilicet se ad eum vsque diem ritè de peccatis apud Sacerdotem esse confessum; inde exortam, inde se pati intimis sensibus carnificinam illam, huic se malo tanto, præsentem qualem ab eo sperer, medicinam postulare. Et adijsse quidem iam antea ad Nostros loco, quem dicebat; verùm à sui proditione deterritum, verentem ne à circumstantiũ multitudine, quæ Sacerdotes velut obsederat, sua pecca-

peccata exaudirentur; ita impugnatum abijsse. Solatus perturbatum Noster, infert se cum eo in templum, quod sub vrbe proximum erat, auditúmque hominem non cum DEO solùm, sed & cum semetipso sic reconciliauit, vt qui antea lacrymando tristitiam ac mœrorem, nunc gaudiũ & lætitiam testaretur. Septem octóue homines eodem die rixando eò deuenerunt, vti iam gladijs sclopísque inuicem se appeterent, adeò vt iacente vno eorum pœne exanimi, paria cæteri alijs, atque alijs pararent. Interuenit his ipse ille Sacerdos noster domum reuertens, cõsiliúmque alieno in periculo, suo explicare nihil veritus, medium se inter gladios inijcit. Illi victi viri verecundiâ, pugnam inhibent; quos tamen Pater à se inuicem discedere priùs non est passus, quàm in gratiam condonatâ iniuriâ redijssent.

IX. EXCVRSVM denique hinc est in Vogesos à duobus è Nostris lustrati pagi quindecim; habitæ ternæ quot diebus Conciones. Sed ex Collegio Flexiensi quoque sæpiùs per annum excurrendo, Nannetas, Turones, aliò, religiosæ operæ pretium factum. Fuit hîc ex discipulis nostris, (quorum ducentos supra mille habemus) qui febri grauiter æstuans concepto ineundæ Societatis voto statim conualuit. Sichemiensis Deiparæ Ædituus (Montis acuti vulgò Marianum in Belgio sacellum nuncupant) sacrã ipsius Diuæ effigiem dolatam è quercu Parthenijs illic miraculis nobilem, ad Christianissimum Regem Henricum IV. suo huic Flexiensi Collegio donum

Digitized by Google

nûm miserat. Ab eo acceptum, Rex pijssimus quà est optimà in nos voluntate pulcherrimo sanè & pietatis, & humanitatis exemplo ad nos transmisit. Erit igitur, dum hoc sigillum extabit, & nostræ in Deiparam Religionis æternum, & in Christianissimum Regem obseruantiæ incitamentum.

BITVRICENSE.

X. QVADRAGENARIVS è Nostris Sacerdos cùm mediam ætatem bonus Religiosus, partim in regendà Conuictorum familiâ, partim in docendâ Theologiâ morali, aliísque officiis diligenter administrandis transegisset, Bituricensi denique Collegio funus reliquit; hoc communi quidem sociorum fructu, quòd repentina sensuum destitutione, sensim in mortem sine sensu compositus docuerit, contra mortem in procinctu, ac timore semper standum; quamuis ea ferè sit hodie mortalium insania, vt quod vnus prudenter timet, alius id vltrò sibi imprudenter accersat mali, quemadmodum in his videre erit. Duo quidam atroci adeò inter se animorum diuortio soluebantur, vti duello tandem prouocationem facerent. Iam in arena erant, mediísque in campis soli mutuam in cædem concurrebant, cum ecce Nostrorum duo, qui bono casu, rus animi reficiendi causâ exierant, interueniunt, suâque præsentia, precibus, minis, insanientium furorem, micantésque mucrones eò vsq; reprimunt, dum odio cum gladijs posito renouatum.

Digitized by Google

tum amorem arctu corporis amplexu testarentur.

XI. SVNT & hi quoque Bituricensium fructus. Multis iam annis nonnulli opima Sacerdotia suos in familiares vsus auerterant; ij à Nostro exorari se permiserunt, ea vt in idoneos homines transferri paterentur. Virgo nubilis, atque ætate florens proterui adolescentis, atque egregiè nummati flagitiosas preces non semel aspernata, monile etiam aureum despicit, quò pudicitia in perniciem, ipsa in laqueum vocabatur. Ad antiquum Beatæ Virginis sodalitium aliud quoque hic annus adiecit, nostris propriè Conuictoribus sepositum. Floret id cum scholis, quibus tamen nonnulli ob Collegia duo non procul recens erecta, frustra timebant. Ex liberali bonorum virorum erga nos amore redundant in sacram supellectilem, si calicem addas, aurei nummi trecenti.

VIRDVNENSE ET NIVERNENSE.

XII. VT CONDITIO mortalium fert, orbati sunt Virdunenses strenuo operario P. Ioanne Dudeto; viro, quem à primo in Societatem ingressu ad vltimam vsque ætatem (triginta fermè in eâ habebat annos) hinc suiipsius rerúmque humanarum despicientiâ, inde diuini amoris & animarum studium nobiliter decorauit.

Post

Post animum ritè expiatum CHRISTO præsenti adgeniculatus, in ardentissima orationis verba effundebatur, ei ex ordine gratias agens; primùm, quòd Christianus foret; deinde, quòd in Societatem eooptatus; denique, quòd in eàdem moriturus. Natus erat Rupellæ veteri Sanctonum promõtorio, patre Catholico, at in media Hæreticorum colluuie; nempe in acutissimis spinis rosa, & vt aliquando à Rege sapientissimo Henrico IV. familiariter audiuit: *Inter pessimos optimus.* Eunti ergo huic in cœlum, alter & ipse cœlesti haud dubiè dignus consortio comes hic est adiungendus. Adolescens fuit natione Germanus, institituto, vt vita adhuc erat, nostrarum scholarum alumnus. Huic cùm per Chirurgi imprudẽtiam neruus in sanguinis missione ictus erat, tantam illam corporis partem perturbatio naturæ inflammatióque secuta est, necesse vt fuerit ægrum illum atque affectum repetito candente ferro sæpe oburere. Eo non modò nõ est fractus cruciatu Adolescens, aut ingemuit turpiter doloris impatientiâ, sed vt virtutem ostenderet infirmitas, Christi amore acerbiores etiam ferre gestiebat; sic duplici igne, & cœlesti, & terrestri absumptus, cùm ageret DEO, Virginique Matri feruentes gratias, quòd tam felici errore lætissimâ spe immortalitatis portum succederet, eiusdem Virginis oblatâ specie recreatus, felicissimè ad clarum vtriusque conspectum euolauit.

XIII. Dvos Constantinopolim ituros Patres Collegium hoc ab se dimiserat: ibant spe & gaudio

Digitized by Google

gaudio pleni, suam sibi sortem gratulantes, non ignari insidiarum, quas ab omnium bonorũ hoste expectarent; at nescio an eas sibi ex tam vicino metuentes. Primo ipso profectionis die, viæ deuios opacissimis siluis errantes nox oppresserat. Castigando errori & quod in siluis tutum hospitium non erat, noctu iter explicare instituunt, ventis, imbribus, procellis, (quippe brumali tempestate) sæuientibus: tamen loca densis obsita sentibus perrumpunt. Vbi repentè alterum è iumentis sic resistere vti nec prorsum nec rursum agi, acriter quamuis admotis calcaribus posset. Mirari sessor, periculi, & se tuentis prouidentiæ ignarus; desilire equo, & quia ad manum igniarium fuit, ignem è silice excutere. Cera accensa depressam infernè formidolosa altitudine abruptam cautibus, durisque asperam sentibus specum ostendit. Præcipiti igitur ruinæ, vt res ferebat, propinquum equum abducere frustra conatus, in preces se abijcit, quas dum fundit, equum agitatione excursionéque subita periculo sese liberasse animaduertit. Documẽto haud exiguo, qui cœptum iter diuinitus sic fortunasset, ei rem istam atque expeditionem curæ futuram.

XIV. IAM Collegium Niuernense in duplici ædificio laborauit, domorum simul & animorum. Illi spectabili opere porta imposita accessit, ac noua insuper suburbana domus, partim publico ciuitatis ære, partim nostro educta; eò commodior, quòd, si vsus sit, Collegij homines capere opportunis cubiculis omnes possit. Nobilius

Digitized by Google

bilius multò fuit alterum ædificium, quod Ciuitati DEI aliquam fecit acceſſionem. Effectum, vt qui decem iam, aut eò ampliùs annos concubinas pro vxoribus habebant, liberos etiam ex eis ſuſceperant, ſacro matrimonij vinculo interpoſito honeſtiùs conuenirent. Quidam à medicis iam depoſitus, pietatem ad omnia vtilem ſibi medicinam fecit. Vouit, ſi incolumitati vitæque reſtitueretur, ſe anni ſolidi ſpatio, ſingulis B. Virgini ſacris diebus, noſtro in templo, peccatis ritè confeſſione detectis, Euchariſtiam percepturum, ſalutatâ interim quotidie quinquies Gabrielis verbis eádem Virgine. Vouit, periculum euaſit, propoſitum huc vſque ſeruauit. Eiuſdem beatiſſimę Virginis parthenium Sodalitium hoc demum anno poſtliminio hîc reſtitutum, pulcherrimis plantulis reuireſcere incepit. Vix tamen vllâ in re maius operæ, ac laboris pretium factum, quam in oppido S. Amandi bidui fermè itinere in Bituricenſi diœceſi poſito, in quod ad ſolenne Corporis Chriſti octiduum, & ſacri item Aduentûs ferias profectus ex hoc Collegio Eccleſiaſtes, præclaros è concionibus quotidianis iuxtâ, & Confeſſionibus manipulos reportauit. Ventitabant ad concionem tria quatuórve hominum millia, quæ ille his duobus temporibus ita DEI Verbo feliciter excoluit, vti ex ijs, duo & quadraginta circiter diſſidentium paria mutuam in gratiam redierint, ſeſquicentum vniuerſæ vitæ maculas emaculârint, Euchariſtiæ ſacramentum adeò celebratum ſit, prope vt quotidie ad ſacram menſam

Digitized by Google

adiretur; ipsis autem Natalibus CHRISTI ferijs supra septingentos in sacro conuiuio reperti, cum alijs annis vix viginti numerarentur. Nec iste spernendus videtur fructus, eo maximè in loco, qui in potestate est præpotentis Caluinìani Dynastæ, à cuius secta ad nostram quoque fidem sex sunt traducti, quos alij tres in Monasterienſi oppido secuti fuêre. Et agnouerunt hanc Catholici Nostrorum industriam, qui reuertentem vtroq; tempore Sacerdotem multis equitibus perhonorificè, quamuis repugnantem, sunt comitati, cum dicerent; *velle se eo facto Hæreticis palàm probare, quantum Concionatoribus suis Catholici tribuerent.*

COLLEGIVM AVGENSE.

XV. QVOD anno ab hinc proximo Collegij huius litteræ acceptæ non sunt, idcirco nunc cum præsentibus coniungemus. Superiore itaque CIↃ. IↃC. IIX. anno Nostri rursus partim illustrissimæ Principis Guisiæ, partim totius Augensis comitatûs magnis apud Christianissimum Regem studijs, reuersi Augum, receptique perhonorificè Collegium, & iam antiquâ habitatione nobile, & nouis substructionibus præclarè auctum, scholis apertis, receperunt, redintegrârúntque. Instauratæ solæ tres scholæ, Grammatices duæ, & Poëseos vna, quòd Rhetoricen, florentior nimirum vt esset, frequentiórq; idoneis auditoribus, placuit differri in annum sequentem, quo & adiecta

adiecta est. Sub Lucalia solenni panegyricâ de nostro in vrbem reditu, Illustrissimæ Principi Ciuitatique vniuersæ gratiæ actæ sunt, maximo concursu applausuque. Et debebantur vtrisque sua merita. Nam ad cætera omnia Principis liberalitate, duæ speciosissimæ ac salubberrimæ scholæ, sua declamationibus aula, domesticæ habitationi cubicula decem recenti opere sunt excitata; nec templi solum supellex, sed & Collegij fundatio ab eâdem quadringentis Francis annuis, & sacerdotio quodam est aucta, eò gratiore, quod omni illud onere est exolutum. Ciues pro suo in nos studio, tum aureos Nostris quadringentos in domesticum instrumentum contulerunt, tum scholam aliam suis sumptibus excitârunt. Scholastici primo statim anno cribus in Classibus numerati supra quadringentos.

XVI. NON illa Concionum tam in Vrbe, quàm in vicinià habitarum, laus minima est, quòd ijs mirum in modum excitatus est ardor, & charitas Fratrum (vt vocant,) Ministrantium. Sunt enim hoc nomine multa his in locis hominum sodalitia, in quæ, qui conscripti sunt, id habent solenne pietatis genus, vt pestilentiâ mortuis supremum Christianæ humanitatis officium soluant. Obituri hoc munus, positis antè in templo, si quæ intercedunt, inimicitijs, oratione atque absolutione purgati, piâ lustratione, quæ spectatoribus sæpe lachrymas mo-

Digitized by Google

uet, vrbem ægróſque circumeunt, peſte extinctorum cadauera conquirunt, tractant, ſepeliunt. Curâ hâc perfuncti domum ſuam quiſq; inde repetunt, atque cum omnibus perinde, vt ſi nihil feciſſent eiuſmodi, liberè in communi vitâ & familiaritate verſantur, continenti miraculo, quod per ſe illuſtre felicis memoriæ Clemens IIX. cùm hæc ſodalitia ſacris priuilegijs confirmaret, grauiſſimâ oratione adnotauit, dilaudauit. Nemo enim prorſus adhuc, quia tali iſto officio fungeretur, peſtilitate alióue morbo eſt infectus, qui quidem Catholicus foret. Dieppenſes Hæretici hâc in re Catholicorum ſimij cum ſimilem quendam è ſuis cœtum coëgiſſent, denſis funeribus afflicti, pœnas eiuſce dederunt audaciæ & temeritatis.

XVII. QVÆ ſequuntur, anno poſteriore contigerunt. Mouchij aliíſque in locis, in quæ ex hoc Collegio excurſum, magnus extitit fructus. In pago ſodales duo de ſodalitio charitatis, ita cõtra charitatis leges mutuò à ſe diſtracti erant, vt res omnibus offenſioni eſſet, ipſi ideo conciliari non poſſent, quòd qui lœſum ſe eſſe querebatur, nullam alterius ſatisfactionem acciperet. Vnius tamen è Noſtris ſic tum emollita durities eſt, vt vterque factâ Confeſſione amicitiam in pacis conuiuio redintegrarent. Diſcordia inter patrem, virum copioſum, eiúſque filium natũ maximum interceſſerat, tantâ tâmq; diuturnâ animorum acerbitate, vti conuitijs inter ſe, verberibus, aliíſque publicis iniurijs, ob quas etiam in carcerem aliquando compacti erant, nobilitati

Digitized by Google

bilitati passim atque infames essent. Quâ in re præclarum illud fuit, quòd patre post conciliationem propediem defuncto, mater filiique omnes insolitâ concordiâ in bonorum diuisione, (de quâ inter se antè contendebant,) cum natu maiore consenserunt. Qui domesticarum iniuriarum (quas patre mortuo vlturus in suos videri poterat) Christianè immemor, totâ applaudente ciuitate, vniuersos consortio, conuiuio, omníque humanitatis genere, Nostrorum consilio, excepit, quò faciliùs eiusdem pietatis officio, diuinum Numen sibi patríque mortuo demereretur. Hoc ité anno Illustrissimus Cardinalis Rothomagensis Archiepiscopus, ex lustratione suæ Diœceseos huc delatus, in nostro templo Confirmationis sacramentum frequẽti populo impertiuit, ac prandio deinde dramatióque exceptus suam aduersus Societatem egregiè voluntatem, in promouendâ maximè Collegij absolutâ fundatione declarauit. Profectus etiam in has maritimas oras è Parisiensi Professorum domo Ecclesiastes, rem Catholicam in Dieppensi finitimâ ciuitate præclarè gesserat, confirmârat nutantes Catholicos, multos ab hæresi reuocârat. Erat ipse tunc in Collegio, quando ad nobilissimi hominis Dieppensis Vrbis gubernator potestatẽ à Christianissimo Rege obtinuit disputationis de rebus fidei inter Sacerdotem hunc nostrum, & Caluini ministros instituendæ. Noster accepto nuncio Dieppam, duobus prosequentibus socijs, aduolat. Ibi Hæretici arenam fugitare statim, procrastinationis

Digitized by Google

caussas conquirere, lapidem omnem mouere, vt ne quis fieret congressus. Cùm de eo tum vrgerentur, negant se, nisi hac lege pugnaturos, vt disceptationis iudex atque arbiter statueretur DEVS loquens, tam per scripturæ oracula, quàm per deducta ex ijs consequentia. Ita quod à certamine sibi metuebant lepores, in idipsum subterfugiendo inciderunt. Intellectum est enim aliquando, qui superbissima olim nouitate solas scripturas Religionis duces ostentabant, solis se illis niti, solis credere affirmabant, quantùm reipsa simulatione iam detecta, diuinis litteris diffiderent; à quibus posteaquam omnem Ecclesiæ auctoritatem separassent, delaberentur ad nescio quas stramineas, suopte exingenio deductas sutelas: quas cùm Hæretici contexerent, nos tum DEVM illarum auctorem stultissimè crederemus. Nec fuit tam excors ille ipse, cuius tum res agebatur Nobilis, quin peruideret, atq; adeò propalam fateretur, consecutiones illas, quas Ministri sui auctorare vellent, non esse nisi artificia fugam, ac latebras captantium, aut certè id agentium importunè, vti de Religionis aut fidei Controuersijs ipsi ex ingenij sui temeritate Iudices, ac Patres conscripti sederent. Itaque cùm se vnius scripturę auctoritate, (contrà quàm Ministri decreuissent) staturum pronunciasset, iratus timidis Præconibus Nostro se perhumanè ac comiter adiunxit, à quo cumulatè tum ipsi, tum alijs, tribus præsertim qui manus illico dederunt, circa fidei quæsita est satisfactum. Scripsit deinde li-

Digitized by Google

de libellum Pater, in quo totius rei gestæ series, ac veritas publicis testimonijs comprobata, omnium oculis præclarè est exposita, & consequentiarum opifices profligati.

COLLEGIVM ET TIROCINIVM ROTHOMAGENSE.

XLIX. DIONYSIA hoc tandem anno modestiùs multò, quam ceteris, Rothomagi, ob quadraginta horarum supplicationem apud nos bonis auspicijs institutam, tranfacta sunt. Confitentium eo tempore ac communicantium tanta fuit multitudo, quanta sanctiori lubilæo desiderati vix posset. Rusticus cùm peccata sua coram Sacerdote commemorare innato quodam stupore nequiret, ex eiusdem Sacerdotis mandato ad Diuam Virginis suburbanam ædiculam, tantæ patronæ subsidium rogaturus, abierat. Facta supplicatione redijt ad tribunal, ibique tam disertè ac perspicuè conscientiæ suæ causam egit, dixitque, virum vt in Theologiæ studio multos annos diligenter versatum crederes. Duo præterea alij eodem sacræ confessionis amuleto persanati sunt; vnus à corporis, alter ab animi acutis doloribus. Ex nostris discipulis (quorum duo millia hîc numerantur) quidã ancillam præ desperatione in puteum se dare molientem, non ab hoc pernicioso solùm consilio abstraxit, sed & impulit, vt per confessionẽ animo perturbato mederetur. Quidam superstitioso carmine

Digitized by Google

cribrum farinarium ad euocandam ex tartaro opem versare conatus, frustra fuit, eò quod sacram ceram è collo suspensam gestaret: cùm alius contra hoc præsidio orbatus, id ipsum tentans statim reuoluto cribro vim Cacodæmonis præsentem sit expertus. Cerea rursus eiusdem Agni cœlestis effigies in flammas coniecta, spectantibus ipsis Hæreticis incendium restinxit.

XIX. E TIRONIBVS nostris adolescens, cùm ante ingressum tirocinij, magnâ sistendæ vrinæ difficultate exercitus, ob id Societati ineptum se fore meritò pertimesceret, ad B. Virginem, vltimum sui mali remedium fibi perfugiendum ratus, eiusdem Partheniæ sodalitatis sacris vsibus calicem aureum deuouet: Virgini ipsi quotidie quinas genu flexo salutationes. Ex eo tempore sensit illico eam inualetudinis molestiam releuari in dies, ijs exceptis diebus, quibus promissæ salutationis fidem aut non exolueret, aut id indiligentiùs præstaret. Cæterùm Tirones non sibi tantùm, sed alijs etiam pro suo modulo ad nostri instituti rationem vtiles esse student. Octauo quoque die nouem per vrbem Catechisticæ lectiones celebrioribus in parœcijs habentur, quarum quinq; ad vniuersos pertinent, quatuor reliquæ ad pauperes speciatim. Fuit his postremis hæc occasio. Est id in more institutóque ciuitatis, vt pauperes singulis Sabbathis stipis publicæ caussâ conueniant in quatuor diuersa vrbis templa. Eò dum paupertina plebs pecuniæ auida præfestinè omnis, ac promiscuè confluit, sæpe illa, vt fit, circa loca sacra

oberra-

Digitized by Google

oberrare interim, ac vagari otiosè; sæpe in ijsdem versari parùm religiosè ac prudenter. Nostri memores, à quo dictum sit, *Pauperes euangelizantur*, huiusmodi opportunitate ad Christianam eorum Catechesin vti voluerunt, Magistratúmque auctorem habuerunt, de cuius sententia iam pauperum res ita agitur, vt ante Eleemosynam nummariam diuini verbi pane per horæ spatiũ semper pascantur. Quæ res nonnullorum quidem offensione excepta initio nunc fit omnium approbatione, & consensu. Nouẽ hoc anno Collegij, & tirocinij operâ ex hæreseos cæno extracti sunt. Omninò latissimus hîc fructuosè laborandi campus est, quippe in vrbe secundùm Lutetiam populosissimâ crebríque pagis circũseptâ. Et adiuuant nos impigrè Parochi, Clerus, Senatus, Nobilitas, imprimísque Illustrissimus Cardinalis Ioyusæus nostri ordinis studiosissimus.

RHEDONENSE COLLEGIVM.

XX. Redierat ab expeditione domum P. Guilielmus Darlot, varijs itineris laboribus fractus; tentatus inde febriculæ primùm horrore, homo id ætatis sexagenario maior, quo denique malo sese penitus in venas insinuãte, religiosè defunctus est. Brito fuit natione, gradu in Societate Coadiutor Formatus. Septem & triginta annos suam inter nos charitatem & animarum iuuandarum ardorem probauit: in Catechistică præ-

Digitized by Google

cipuè lectione, quam viginti quinq; annis doctè & dextrè habuit, nihil vt ad eius industriâ à Nostris addi, ab externis posset requiri. Iamiam morituri extrema verba ad charitatem maximè, & obedientiam adhortabantur sodales, cum semetipsum nõ sine animi sensu incusaret vir modestissimus, *quòd euocatus ad Cõfessiones audiẽdas, leui nonnunquam aliarum rerum scriptitatione moratus fuerit;* monebat proinde omnes sedulò, suam vocationem & societatis bonum eâ in re attẽderent, dolebatq; ingemiscens, se tũ primùm, cùm moreretur, eam cœpisse intelligere. Habebat ille Christi Matrem à tenerâ iam ætate in primis amoribus, cui ideo fortasse cõtigit, in eiusdẽ quasi sinu quiescere, dum nobis templo carentibus, apud vicinos Carmelitas Nostri amantissimos ante ipsam amatæ Virginis aram tumulatus est.

XXI. SCHOLASTICI nostri mille & quingenti adeóq; plures magnis passibus ad virtutes & scientias gradiuntur. Puerulus infimæ classis, cùm afflictus morbo moneretur à præceptore, vti staret in tẽplo, nec genua flecteret valetudinis caussâ; respondit, *mori se malle, quàm honorem reuerentiãmq; DEO non exhibere, quem in æde sacrâ præsentẽ agnosceret.* Alteri fecit liberam potestatem Hæreticus parens, Geneuam optandi, aliúdve Hæreseos castellũ, quò se amitti vellet: at is, *se priùs extrema omnia,* dixit, *subiturum, quàm vt apud eos viueret, qui ipsi cum malo dæmone & improbitate victitarent.* Inter eos, qui Philosophicis studijs imbuuntur, Sacerdos fuit notę modestiæ, & pietatis; qui cùm ad curam animarum multorum

studio

ſtudio vocaretur, in id vehementer incumbebat, diuinam vti voluntatem cà ſuperre cognoſceret. Is ergo eà nocte, quæ octauam Paſchæ eſt conſecuta, ſomno excuſſus vigilque, ac de ſacrificio, quod erat bene manè facturus, cogitans, primâ luce ſurrigit ſe in cubili, iamque ad togam manus protendebat, cùm ecce quidam ſopor, (aut ſoporialiquid genuinum,) in hominẽ incidit placido quodã motu & maximè ſuauiſimul hîc obiecta illuſtriſſima, quædã effigies, humanà formâ auguſtior, læto cœleſtique decore mirantis oculos animũq; perſtringere; nimirum aduẽtabat hominis dux & interpres rerum futurarũ, & quod ſimile veri eſt, bonus Angelus. Itaq; tatę rei admirabilitate obſtupefacto, ille hoc primùm; *Parce*, inquit, *metu, bone Sacerdos; diuina tibi arcana pandã.* Nec mora; prehendit hominẽ, qui ſibi quaſi manibus vtrinq; ad latera appoſitis ſuſtentari ferriq; videbatur, donec venirẽt in abditos terrarum ſinus penitúſq; defoſſos, quibus ſol nec oritur, nec occidit, vaſtũ omnino locum atq; horribilẽ, & veluti peruetuſto fornice coopertũ. Ex imâ & penitiori eius parte, tanquà è fornace, fomidoloſum erumpebat incendiũ, cuius æſtu, atq; ardore vehementiſſimo ſe afflatũ primo introitu aiebat, cũ acerrimo doloris ſẽſu, ſic, vt poſtea ſibi redditus, diu afflicto debilitatóq; corpore iacuerit, haud multò minùs, quàm ſi morbo grauiſſimo laboràſſet. Videbat verò omnia, quaſi ea, quæ oculis cernũtur; ſed, ſiue in corpore, ſiue tm̃ animo, vix liquidò pronunciare ſe poſſe aiebat. Ductor ſidus cũ afflictũ recreâſſet, DEVS, inquit,

quit, *ista tibi patefieri voluit, meq; Angelum suum magnarum rerum tibi interpretem misit. Scito igitur locum, quem ardere vides, locum esse illum, quem vos Purgatorium appellatis. Purgantur in illo animæ iustorum, quò ab omni sceleris contagione liberæ transeant tandem ad sedes Beatorum.* Quæ cùm diceret, aliunde clamores quidam horrifici gemitúsque exaudiebantur lamentantium cum incredibili cacophoniâ dissimillimarum vocum. Hærenti pauidéq; circumspectanti comes cœlestis, infra illos flammarum globos siniſtram portam ferream, eámque modicam; at magnis repagulis, ferreisque clathris firmatam ostendens: *Hinc illæ*, inquit, *lachrymæ, hinc miserrimi eiulatus prodeunt, quos audisti; hic ipse funestus carcer est, in quem deniq; iusto DEI iudicio conijciuntur Ecclesiarum Rectores, qui malè suo functi sunt munere.* Cui Sacerdos paulò erectior. Nam, cur ista fornax, vnde purgatorius ignis erumpit, latè patens & aperta; janua illa adeò occlusa arctè, & tot vectibus circumuallata est? Ad hæc Genius; *Inferorum*, inquit, *ostium illud clausum est, quia qui semel eò sunt intromissi, ijs nulla exeundi potestas vnquam datur: superiores locus patulus ideò est, quia continenter ex eo iustorum animæ ad æternam gloriam perfruendam proficiscuntur.* Enimuero, subijcit Sacerdos, ecquid prohibet, quo minus locum etiam Beatorum mihi ostendas? Ille, *nihil esse eo remotius; veruntamen attolle oculos ait, & suspice*: quòd cum feciſſet, ianuam vidit mirabili splendore collucentē. tum breuissimo temporis interiecto spatio, domum, atque adeò ad seipsum est reuocatus. Neque tamen

men cum viso stupor excussus; totum illum diem domi egit attonitus animo & corpore, rerũ visarum cogitatione defixus. Nec vana fuisse somnia, aut ieiuni capitis aberrationem argumento sunt, tum spectata hominis integritas, tum relicta in corpore vestigia, tum denique, quòd ex eo tempore adduci nunquam potuit, vt animarum procurationem admitteret, quam tot malis obnoxiam, tanto periculo expositam animaduerterat.

XXII. SACELLVM nostrum gemino ornatu, sacrificali argenteóq; instrumento ditatum est. Catecheses intra, & extra vrbem florent. Curio quidam, cùm à Collegij Rectore suis eruditendis Sacerdotem postularet, datâ optione, vt vel Concionatorem, vel Catechistam eligeret, hunc maluit, quod diceret; *ad bonum animarum eo inuento nihil esse diuinius.* Turca hîc eâdem salutari doctrinâ institutus, sacro fonte maiore in templo magnis ceremonijs ab Episcopo est ablutus. Milites duo apud Hæreticos nati eductíque cum è Castris pulchrâ fugâ abijssent, salutem apud Rhedonenses Patres, verámq; lucem reperêre. Eorum alter nobilis fuit, vnius de illis filius, qui res Geneuenses moderantur. Is cùm diu in Hollandiâ viciníque insulis moratus, templa inibi disturbata passim videret, pijs quondam Religionibus consecrata, Diuorum autem conspurcatas imagines, cogitare cœpit, DEO docente, *eos nec æquos, nec viros bonos esse, qui Religionis maiorum monumenta tam inexpiabili furore polluissent;* quare tametsi magna pericula & pœnè

pœnè certa proponerentur, exijt tamé de medio Babylonis, & ſpem omnem cum ſpe ſalutis cõmutauit, tandémque poſt magnas Oceani jactationes, optatam hîc malaciam, animíque portum tranquillum inuenit. Detinebatur in carcere quidam ob æs alienum, qui & ipſis nominibus & quotidianis domeſticæ viperæ iurgijs contumeliíſq; ad deſperationem impellebatur. Creuit exinde adeò mœror, & ægritudo mentis, ſolam vti mortem tot miſerijs finem idoneè allaturam crederet. Itaque mori deſtinat miſer, paratúmq. funem circa medium noctis ex ſublimi trabe ſuſpendit, inde mox ipſe appendix miſerrima futurus, niſi B. Virginis ope, quod creditum eſt, ſeruatus fuiſſet. Huic enim eodem die Roſarium bis orando pertexuerat, efformatámque à ſe decuſſato ligno Crucem, quaſi moriétis ſolatium feraſi trabi impoſuerat. Vnde nõ temerè factum, vt cum iam deſperatus penderet, alius quidam eodem in ergaſtulo captiuus præciſo laqueo ex ipſis triſtiſſimæ mortis faucibus afflictum eriperet, noſtróq; Sacerdoti primâ luce euocato traderet curandum. Et profuit medicina adeò, vt & Dei, & Deiparæ beneficiũ magno pietatis ſenſu agnoſceret, & ſalutari in noſtro ſacello Confeſſione contra eiuſcemodi permolitiones in futurum ſe confirmaret.

XXIII. B. P. N. IGNATIVS ſuæ iam in cœlo beatæ immortalitatis in hâc vltimâ ad occidentem orâ hoc indicium fecit. Dinanum ciuitas eſt vnius diei itinere ab hâc vrbe diſtans, ſacrarum Virginum cœnobio & religione celebris, vbi D. Claræ

Digitized by Google

Claræ inſtitutum plurimæ imitantur. Ex iis vna quædam, pietatis & prudentiæ nomine commendata, cùm morbo diutino conflictaretur, caſu incidit in B. Patris vitam, quâ vel tempus falleret, vel animum ægritudine langueſcentem recrearet. Per oculos ſubijt animum rerum maximarum ab ipſo geſtarum admiratio; cúmque illa virtutum exempla, quæ legebat, illam inuictæ mentis excellentiam, illum diuini amoris æſtum, gratiâ plurimùm apud Numen valere crederet, plenas fiduciâ preces adhibet, patronum eum inuocat, & ſentit. Recuperatâ ergo per eum valetudine, dedit eâ de re litteras, quas Noſtri domi etiamnum habent, iudices pietatis & beneficij, quibus etiam magnopere contendit B. Patris effigiem, ſi quæ reperiatur, ad ſe tranſmitti; *non curioſæ nouitatis cauſſâ*, inquit, *ſed iuſtæ in eum reuerentiæ*; quo adnitente ſumma omnia à Deo ſperaret.

COLLEGIA MOLINENSE, AMBIANENSE, RHEMENSE.

XXIV. TRIBVS hiſce Collegijs communia hæc fuêre; Diſcipulorum, qui frequentes ſunt, virtutis & litterarum ardens ſtudium: Concionum & Doctrinæ Chriſtianæ fructus non vulgaris; quem duo Romanæ fidei reſtituti auxerunt: tertio ab Ambianenſibus idem collatum beneficiũ: duos alios Rhemenſes ſibi vendicant. Excurſionũ in Cœnobia virginũ maximè inſi-

Digitized by Google

insignis vtilitas; aucta supellex templi bonorũ liberalitate. Singulare Molinensi Collegio hoc erat, quòd nescio quibus suspicionibus alienatos à se Iudices habuit, quo minus reis extremo supplicio afficiendis Nostros adesse paterentur: discussa est tamen harum suspicionum vmbra à Sacerdote nostro, qui nobilem quendam furciferũ tantâ animi constantiâ, & æquitate ad supplicium ferendum animauit, vt toti vrbi ad miraculum satisfecerit. Sacræ Catecheseos quoq; potestatẽ tam auidè quidam nobis eripere sunt conati, vt & Catechistæ nostro viam præcluserint, & frequentem populum ex templo iusto murmure queritantem, eiecerint: subsidente tamen animorum æstu, reductáq; rerum & consiliorum serenitate, duobus in locis Christianè docuimus. Populus verò cùm vtriusq; loci excluderetur angustijs, precibus à nobis contẽdit, vt capacissimum totius vrbis templum in id peteremus, primáque petitione impetrata ab illo ea potestas est, cuia dare interfuit. Ambiani eleemosynæ vice accepti aurei mille, & quod excurrit. Collegij huius dotationem, & Rhemensis laxationem curant magni viri; atque in hoc posteriore scholis ampliandis duæ coëmptæ ædes sumptibus gratuitis R. D. Frãciſci Brulardi; sed & Collegium istud hoc demum anno multis difficultatibus, ac molestijs deuoratis in corpus Rhemensis Academiæ magnâ omnium gratulatione coaluit.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS NANCEIANA.

XXV. ILLVSTRISSIMA Princeps Brunſuicenſis Dorothea à Lotharingià aram templi maximam, & Sacerdotem opere perfectiſſimo, ſuàq; ipſius manu, & acu magnam partem elaborato, ad Pentecoſten veſtiuit; cuius in nos munificam manum, atque aliorum etiam egregiam voluntatem cùm ſatis remunerare non poſſimus, partes noſtras B. Parens IGNATIVS pro nobis agere ſubinde non omittit. Nominatæ Principis honorarius puer, dum tertianà grauiter tentatur, iuſſus in honorem B. Ignatij nouem dies obſeruare, morem geſſit, eáque perfunctus pietate, febrim deinde nũquam ampliùs perſenſit. Narrabat eadem Princeps, admotà energumenæ non aduertentis occipiti Beati effigie, eam adeò vſtulatam, vti fremere priùs, & vlulare non ceſſaret, quàm illa remoueretur.

XXVI. NEQVE verò minus in Virgine Matre præſidij, aut ſalutis eſſe, non nemo expertus eſt. Nouennis puer à medicis pro conclamato relictus, votum ei nuncupat, quam iam inde à tenerioribus vnguiculis vnicè deamauerat. Ab eo ſtatim voto, mirantibus omnibus, ſurrexit incolumis. E Noſtris vnus per nemus denſiſſimum, & latrocinijs infame iter fortè ingreſſus, Roſarium Virgini Matri ſolus in equo, quo poteſt pietatis ſtudio, & contentione texere inſti-

Digitized by Google

tuit. Quod dum facit, tres repente in conſpectu habet ſecuribus armatos latrones. Interrogati igitur eminus ab equite de viâ, eam vnam eſſe, quâ iret, reſpondent: proinde feſtinet. Et iam feſtinare illum aliquoties demiſsâ, ſed ferociori voce iuſſerant, ceruicíque eius violenti prope ſicarij imminebant, cùm Noſter inſidias apertas perſentiſcens, imploratâ medio in diſcrimine B. Matris operâ, iumentum vertit, citatóque curſu viam relegit, equo tam volucri & expedito, (quamuis is multo, nec facili itinere, feſſus iam ante pigritabatur) vti pegaſum, neſcio quem, adeptus ſibi eques videretur: adeóque credere auſus ſit, & ſe ope diuinâ periculo ereptum, & equo ad perfugium ſalutis vires atque animos ſuffectos.

XXVII. IN ARCEM Mothenſem (ea eſt ciuitas præſidiaria, tota in ſolidam rupem eleuata) Sacerdos è Noſtris vnus cum Tirone per ieiunij verni tempus ex hâc domo emiſſus, mirum eſt, quantum eo loco vterque & vitæ exemplo, & quotidianis, tam catecheſibus, quàm concionibus effecerint. Omnis ætas eorum & præſentiâ gaudebat, & labore fruebatur. Quibus denique, cùm poſt Paſcha, (duobus prius ex hæreſeos tenebris vindicatis) diſceſſum iterum adornarent, actis à ciuitate ampliſſimis gratijs, repudiatíſq; pro operâ muneribus, circumiecta multitudo, lachrymis ſuum amorem & obſeruantiam teſtificata eſt, atque eorum veſtibus oſcula etiam defigere multâ cum pietate cœpit. Multi

vrbis

Digitized by Google

vrbis mœnia, portámque, quà Noſtris exeundum fuit, longè antè præcipere, ne vltimæ ſalutis occaſio ſe præteriret; de ſummis quoq. murorum pinnis alij, in ſubiectam vallem digreſſos, ſalutare extremùm voluêre. Et iam ciuitas id agit, vti in annos ſaltem aliquos conſequentes noſtris concionatoribus vtatur, qui iacta pietatis ſemina, vberiori culturâ in ſpicas, & falces educant.

Digitized by Google

Collegijs quinque & vnâ Tirocinij domo recensuit Aquitania Socios ducentos, vnico dempto. E vitâ cessêre duo; quorum iacturam vnus & viginti ad Societatem designati compensant.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholastici.*	*Adiutores.*
Burdigalæ versati sunt.	LXXIX.	XXIIX.	V.	XXXIII.	XIII.
Petrochorij.	XXIV.	VII.	VI.	VI.	V.
Aginni.	XX.	IX.	V.		VI.
Lemouicis.	XXII.	IX.	V.		VII.
Pictauij.	XVII.	VII.	V.		V.
In Tirocinio Burdigalensi.	XXXVII.	III.			II.

Digitized by Google

Hæreſes varias, Catholicum nomen profeſsi, damnârunt ſexaginta quatuor.

Ex deſperatione, & laqueo erepti quatuor.

Pacificationes multo labore conſtitutæ nouendecim.

Confeſsiones generales exceptæ quingentæ, triginta quinque.

Grauioribus erroribus, aut ſuperſtitionibus obnoxij emendati quinque.

Digitized by Google

COLLEGIVM BVRDIGALENSE ET TIROCINIJ domus.

I.

PROVINCIÆ HVIC non amplæ sat amplos Collegium Burdigalēse peperit fructus. In eo ad rem summam familiarē facta accessio est annui vectigalis ex legato Franciſci Boloni, clariſſimi olim in Centumuirali curiâ Senatoris, Collegio huic relicto. Diuturna fuit hæc pro iſto iure, & quadragenaria propemodum lis, per varia iudiciorum tribunalia ab aduerſarijs appellationibus traducta, ſed DEO bene proſperante, Lutetiæ tandem Noſtris, decernente intimo Concilio Regio, adiudicata. Auctâ itaque re domeſticâ, facilè creuit Noſtrorum quoque numerus, & inde eorum in iuuandis mortalibus ſolertia & fructus. E multis aliquos decerpemus. Vnus quidam adoleſcens ex noſtrâ diſciplinâ, & eorum numero, qui DEIPARAM patronam adoptant, cùm ſe in difficili morbo à medicis concla-

Digitized by Google

conclamatum vidisset, ad cœlestem opem adiecit animum, spopondítque, si reualescéret, in Virginis sodalitate anno se æditui munere cum diligentiâ perfuncturum. Non ingratum fuisse votum, euentus declarauit. Species enim augustissimæ MATRIS, niueo amictu oblata, clienti suo sanitati fuit. Nouennis puer audierat fortè à Magistro, cibis vetitis quadraginta diebus abstinendum: vnde nullis, neque technis, neque blanditijs adduci vnquam potuit, vt carne vesceretur. Ad quod tamen cum instigaret parens exemplo, atq; imperio, primùm quidem callidè respondit filius; pisciculos ad stomachum suum magis facere. At cum identidem instaret ille, disertiùs negauit hic, fas videri, eâ in re dicto audientem esse; habere enim se animo persuasum, ab id genus esculentis sibi temperare, quòd in Catechesi didicisset, supplicijs cruciatum iri sempiternis, qui per eos dies, posthabitis, atque conuulsis Ecclesiæ legibus, carnes manducaret. Vicit virũ puer, patrem docuit filius. Femina, hæresi eiuratâ, nihil frequentiùs agebat, quàm rogare supremũ NVMEN, sibi vt in fide susceptâ constantiâ impertiretur. Videre ergò sibi visa est secundùm quietẽ SERVATORIS Nostri in Crucem acti effigiem, seriò cõmonentis, si se voti compotem & saluam vellet, piaculum, quod adhuc sacrilegè celauerat, Sacerdoti nostro, quem à Confessionibus habebat, detegeret. Perculsa viso, atq; audito mulier morem gessit, & accuratiùs, quàm antea, conscientiæ rationes expunxit.

Digitized by Google

II. STABVLARIVS quidam homo nequam & nihili, tartareo deuotus monstro, veneficijs operam dabat. Igitur quàdam nocte innocenti puero senatoris filio, annum vix vndecimum agenti, per caminum illapsus, noxium virus nõ sentienti in os instillauit; ex quo faucibus fœdè admodum intumescentibus, puerum malus dæmon non elinguem modò reddidit, sed multos etiam menses crebris intestinorum torminibus exagitauit. Parens à medicis profanis ad sacros conuersus, precum & sacrificiorum vim contra maleficium adhibet. Cùm ergo intra ipsius ædes vnus è Nostris Sacerdos, Archiepiscopi cõcessu, sacrum aliquoties fecisset, totámque cœlesti conuiuio familiam excepisset, omnem simul adolescentulo eiusdem sacramenti Panaceâ dolorem excussit. At linguæ nihilominus superabat impedimentum, donec voto REGINÆ Diuûm nuncupato, etiam illud vinculum dissolutum est. Nec verò latere diu Architectum facinoris diuina vindicta sustinuit. Puellus quippe sæuo atque ancipiti defunctus malo in Gymnasium equo vectus, referendæ gratiæ caussâ, deuenit. Domum redeuntem illud iam diaboli mancipium (priùs enim apud Senatorem, eiusce parentem, seruitutem seruierat) procul, nominatim compellans, consalutat, rectáque ad eum accurrit. Simul verò illum puer aduertit, nonnihil stomachans, sibíq; ab eius congressu haud immeritò subtrectans, admisso, quantum poterat, equo fugam facit: at quadrupedem celeri cursu prætertens veneficus, quasi aliud agens collu-

Digitized by Google

colludénsque equiti propinquat, eúmque frustra nitentem blandienti similis contingit manu, atque eo iterum contactu elinguē illicò reddit. Re domum nunciatâ, pater vehementiùs excandescens, multa super recenti, atque inopino euentu sciscitatus, compertóque filium à nebulone illo admotâ manu ex viâ salutatum, in suspicionem venit ab eo concinnati sceleris. Quamobrem re in præsens dissimulatâ, ipsum ad se paulò pòst domum suam euocari iussit. Comparuit ille haud grauatè, nihil vetante facti conscientiâ. Tum Senator, quâ blanditijs, quâ minis, hominem perurgere, vti ab filio suo maleficium arceret: ad extremum suspenso cũctantíque, stricto ferro, præsentissimam mortẽ interminari. Quod cùm se tandem mali conscius, post longam tergiuersationem, in certum diem facturum spopondisset, facti crimen, ac suspicionem auxit; adeóque in vincula abductus, & horrendi tandem cum malo dæmone fœderis, factíque confessione per equuleum expressâ, capitis damnatus laqueo, atque igni pœnas exoluit. Puerum verò nihilominus adhuc laborantem, idem deinde salutare precum, ac sacrificiorum pharmacum persanauit, nostræque non ita diu pòst disciplinæ, ac D. VIRGINIS sodalitio, quod in morbo vouerat, reddidit.

III. PERVTILIS expeditio hoc demum anno in Benearnensem regionem Eloronẽsis Episcopi operâ, & Christianissimi Regis edicto à Nostris est suscepta. Benearnum prouincia est non adeò ampla, cis Pyrenæos montes in Aquitaniæ ac

Digitized by Google

Celtiberiæ finibus sita, benigna frugibus, lætæ pascuis, distincta collibus, densa incolis, Hæreticis fœcunda, ac malè feriatis hominibus referta. Isthinc (quod mali caput extitit) ante annos admodum quadraginta, auita omnis religio ac pietas, dirutis exustisque templis, Sacerdotibus partim pulsis, partim necatis, proscriptæ exulauit. Inde mox totam vndique prouinciam Caluiniana Hæresis ita fœdè populata est, meram vti fecerit latè diuini cultûs, ac Christianæ fidei solitudinem. Hîc ergo Eloronensis Pontifex, post tantum temporis interuallum, licet parum firmis tectus præsidijs, primus, frendentibus nequidquam Hæreticorum Ministris, sacrificare ausus cùm fuisset, multisque & sumptibus, & laboribus diploma regium pro Nostris in hoc nouale emittendis impetrâsset, supremo Concilio, quod Pali (id nomen oppido) residet, totique Prouinciæ ius dicit, litteras regias ostendit, orátque, vt sine cunctatione ratas habeant. Illi (vt est Hæreticorum ingenium,) tergiuersari primò, dein apertè edicto intercedere, postremò certos homines ad Regem amandare, qui Iesuitarum in eas oras profectionem deprecarentur: alios ab istis, quoscunque videretur, mitteret; illicò à Senatu, populóque acceptum iri: *Enimuerò Iesuitas, genus hominem esse versutum, fallax, sophisticum, nouitatis ac turbarum appetens, Papæ coniunctum, peregrini moris atque exoticæ doctrinæ, qui ceruſſatæ dictionis lenocinio, quasi circæo poculo, in cautis falsitatem, ac vitus*

insidi-

instillent: vbi Iesuitæ sint, licere nulli rectè sentientium esse quieto. Hæc & his similia cum volubili & feruidâ oratione contra Nostros, re autem vera aduersus omnes Catholicæ fidei propugnatores, euomuissent, respondit sapientissimus Rex; Certum sibi, atque omnino decretum esse, antiquam Religionem in ea loca postliminio reducere, idque se consilio diuturno maturóque secum expendisse, nec præcipiti se deliberatione in eam expeditionem Iesuitas nominâsse: præterea è Republicâ sui regni maximè videri, si auorum pietas vbique resloresceret: Iesuitas autem sibi melius notos perspectósque, ac longè alios, quàm ipsi aut imprudenter iudicarent, aut inuidiosè criminarentur: cúmque ex Catholicis (licet pro multitudine incolarum perpaucis) & Hæreticis Respublica Benearnensis coalescoret, fuisque forent Hæreticis Præcones, qui totis diebus ac buccis declamarent, æquum omnino esse, vt & Catholicis erudiendis, vnus alterue Iesuita concederetur; & quid duo tales ad septuaginta rabulas? Quare eos operam cunctando perdere, velle se his de caussis edictum suum sanctum haberi, ac inuiolatum; & quamuis in nullâ harum ponderis aliquid, aut momenti foret, ad id tamen statuendum pro omni ratione suam sibi stare voluntatem. Annum tamen nihilominus propè tenuit ea cunctatio, donec tandem fortissimi Principis constantiâ victi repugnantes Nostros certâ lege (quæ nihil tamen obesset) per litteras acciuerunt. Elonorum (quæ ciuitas totius Prouinciæ facilè prima est) pridie Nonas A-

nas Apriles, appulsum est. Palum postridie, vt à Senatu concionandi potestatem acciperent, contenderunt, cúmque se Concilio stitissent, Senatûs Principi demandatum est, totius vti Curiæ nomine conceptis verbis eos ad iusiurandum adigeret, nihil se contra publicum ocium, magistratum regium, aut senatoriam auctoritatem ausuros: itaque iuratos ad munia sua, Catholico ritu exercenda, dimisêre. Accingunt ergo se strenuè operi, & populum frequenter, tam ex superiore, quàm inferiore cathedra verbo DEI pascunt: audiuntur magno concursu, promiscuè primum à Catholicis iuxta ac Hæreticis; sed non tulerunt diu vigilantes lupi eam ouium felicitatem. Ipso enim Paschatis die in omnes eos anathema fatuo fulmine dixêre, qui Iesuitis audientiam darent. Interim permultos continenter menses à Nostris impigrè laboratum est; & tametsi illam vineam altissimis spinis ac sentibus obsitam, duorum hominum perpurgare nó potuit industria, culturæ tamen operæque constitit fructus, & decem ad Orthodxam fidem se coniunxêre. Cæterùm Nostros non modò domi suæ Episcopus liberaliter, ac beneuolè habuit, sed etiam ex prouincia abeuntes, cum viginti quatuor equitum turma, sesquileucæ spatio honorificè prosecutus, ab eorum se consortio diuelli non est passus, dum ipsi ad proximæ Natiuitatis ferias reditionis suæ aliquam spem fecissent.

IV. TIRONVM charitas, alacritásque cùm priuatim, tũ publicè in nosocomio spectabilis fuit. Ipso

Digitized by Google

Ipſo Virginis DEIPARÆ Conceptæ feſto die, prædium pauperibus ab ingenuâ quadam matronâ lautè apparatum miniſtros habuit Tirones ſuo præeunte magiſtro; alijs quidem corpora, animos alijs ſacra interim lectione paſcentibus. Epulas ſecuta piorum munuſculorum viritim diſtributio, eam turbam mirificè DEO, conuiuatrici, nobiſque deuinxit.

PETROCHORIENSE COLLEGIVM.

V. PETROCHORII mortalitatem expleuêre tres. P. Paſchaſius Albinus, qui dum in re familiari tuenda augendáque religiosè occupatur, ad laboris mercedem eſt euocatus. Proximus huic fuit Vincentius Martinez, Hiſpanus, quem hac in Franciam, ad quærendum ſtrumis remedium, iter facientem, lethalis morbus intercepit, iuſſúmque ſubſiſtere paulò pòſt phreneſis confecit. Accepit eam à DEO gratiam, vt cùm à generali confeſſione perpetuò deliraret, rebus tamen diuinis, quotieſcunque ei à P. Rectore ſuggereretur, ſanas ſemper ac vigiles accommodaret aures. Tertius deniq; Tiro fuit Ioannes Delaut, ad negotia domeſtica ſuſceptus. Iam de viuis loquemur. Ex Hæreticis ſeptem, quibus Petrochorienſes lumen accenderunt, erat adoleſcens quidam aduena, Eccleſiæ Catholicæ auguſtâ facie, & librorum ad eam rem facientium diligenti volutatione permotus. Subornauerat parens eius emiſſarium quendam hominem vafrum

frum & acutum, à quo priùs sophisticè pertentatus, ad Caluinum vt rediret, non modò iacula argumentorum dextrè excussit, verùm etiam in suum auctorem retorsit; quibus confossus salutare vulnus accepit. Post hanc victoriam ipse superueniens pater, furere scilicet, atque atrociores ciere turbas; ad extremum violentiam machinari. Itum ergò ad iudicum tribunal est, qui pro potestate edixerunt, nè qua vis sano iuueni ab irarum impotente afferretur; secùs, hominem violatæ maiestatis reum fore, quod istuc Rex Christianissimus vetet edicto. Hoc rectus clypeo adolescens domum cum parente reuerti ausus, nouis domesticorum machinationibus à proposito non solùm dimoueri non potuit, sed suos etiam gentiles omnes in Caluini dogmate, atque opinione reliquit nutantes.

VI. IN PRIMARIO vrbis templo stata concio frequentem habet auditorem, ac persuasit, vti venerandum CHRISTI Domini corpus accuratiore pompâ cultúque ad ægros iam deportetur: quo in officio multi boni inter se de studio atque assiduitate piè contendunt. Lustralis vnda, cui frustulum Crucis à Diuo Thoma Apostolo ad Indos erectæ immersum erat, ægrotis remedio est. Caussidicum alto sepultum lethargo illiusmodi aquæ calix propinatus, tam diu veternoso sopore liberum præstitit, donec conscientiæ maculas remoueret. Iuuenem nostræ disciplinæ alumnum diutur-

Digitized by Google

diuturni febrium æstus vsu rationis orbauerant; epota salutari hac aquâ placidè indormijt, & post horas summùm duas valens euigilauit. Sacrum instrumentum auxêre donaria centum aureorum nummûm æstimatione.

COLLEGIVM AGINNENSE.

VII. PROXIMO ante Cineralia triduo solemnior multò, quàm annis præteritis, instituta supplicatio, non oppidanos modò, sed & paganos turmatim sub vexillis accurrentes vtilissimè occupauit. Quatuor diebus singulis habitæ conciones ita prætextatos illos, & implitæ per eos dies consuetudinis lasciuos mores compescuêre, nulla vt in publico vspiam persona compareret. Hæreticis etiam non inutiliter nostrorum impensa opera: eà enim vndecim ex illis ad Catholicorum sese castra transtulêre. Ad disciplinam in Gymnasio stabiliendam formandámque duo euenêre, quæ visa sunt memoranda. Irrepserat in scholas vecterator, nescio quis, magicis artibus, ictóque cum nefandis spiritibus fœdere irretitus. Is tantisper, dum prima latinitatis rudimenta condiscit', premit consilium catus, nec exitiali veneno pueritiam aspergit. Simul verò in grandiorum censu numeratum se animaduertit, ephebos incautos, & his illecebris opportunos, clanculò ad maleficia instruere, libellos, atque

Digitized by Google

atque execranda carmina furtim distribuere, characteres explicare, omni curâ socios sibi nefariæ artis adsciscere. Hæc omnia clam magistris fiebant, licet iam non obscura per vrbem fama circumferret. Igitur Nostri aliquando rem odorati, in auctore facinoris vestigando diu non laborarunt: quo deprehenso à fœderatis confessionem & pestiferos codices extorquent; his cõbustis malè deceptos animaduersionis salutariúmque monitorum vindictâ, quæ res & locus postulabant, corripiunt, sceleris doctore liberant.

IIX. AVSVS est aliud iuuenis quidam contumax & temerarius, quod alios tamen cautiores potius, quàm ea in re fecerat audaciores. Hic enim à scholarum præfecto de petulantia ex officio increpitus, cùm emendationem polliceri deberet, recta monenti infregit colaphum, & curriculò subduxit sese. Nostri, ne ceteris noceret exemplum, minimè conniuendum esse rati, ad magistratum audaculi adolescentis nomen detulêre. Is apparitore misso, comprehensum dedit in vincula, donec in foro apud prætorem caussa diceretur. Itaque aduocato & procuratore fisci publico nomine agentibus, senatûs inde consultum factum est: *Iuuenem sacrilegij reum videri, & vt nihil tale dehinc à reliquis peccaretur, compede vinctum in Collegium duci placere: quem violârat, veniam gratiámque poscere: tandémque P. Rectoris arbitrio permitti.* Ergò ad condictum diem in medio impluuio locatâ mensâ circumpositísq; sedibus, Nostri ad iudicium conueniunt, rese-

reseratisque valuis ad æris campani pulsum, spectantium circumfusâ turbâ, sistitur nocens à lictoribus, & imperato silentio P. Rector pro re pauca orsus iuueni ostendit; *quantùm in Academiæ disciplinam legésque, quantùm aduersus humanas, atque diuinas iura, quantùm contra præceptores, quibus adhuc dedisset operam, quantùm denique in æqualium suorum mores peccâsset: nihilominus tamen eâ se pœnâ, quæ pro criminis magnitudine parua foret, contentum esse; videlicet, si ab eo, in quem palmam excussérat, iniuriam deprecaretur; dein iret, vt erat ligatus, ad singulorum præceptorum exedras, oratum veniam pacémque, quod in vnius contumeliâ, contra omnium auctoritatem offendisset; tum demum se ad plagas excipiendas expediret;* quas tamen, cum alia omnia inter lictores medius præstitisset, deprecante eo, qui offensus erat, non sensit: sed interim nomẽ eius ex discipulorum syllabo expunctum, ipsiq; in annum vertentem scholarum aditu est interdictum, totius rei gestæ ordine in acta publica per scribam regium, posteritatis caussâ, relato. Mirati sunt, qui aderant, rationem agendi Nostrorum, qui cætera faciles atque indulgentes, cùm publicè intereſt, tam opportunæ seueritatis personam induant, vt auctoritatem retinere Collegij, & iuuentutis disciplinam, non vlcisci iniurias velle videantur.

IX. TERTIVM quoque ex discipulis nostris adiungere placet. Aginnum huc miserat eum parens ad nos eius rei gratiâ, cuius ille minimè veniſſe videbatur; adeò præposteris studijs, ludo, inquam, & aleæ se totum impendebat. Fuerat

Digitized by Google

is olim sub curâ fidéque optimi cuiusdam pœdotribæ, parentíque illius amicissimi. Huius ergò iam defuncti vmbra quinq; continenter noctibus parentem adolescentis commonet, nato vti prospiciat suo. Ille principiò somnium credere, pro nihilo putare intempestiuam monitionem: sed cùm identidem aures sibi vellicari animaduerteret, tandem siniſtri aliquid cõiectare de filio cœpit. Quare mediâ hyeme sese in viam dat, ad filium venit, quem non litterarum, sed aleæ, sed nugarum reperit studiosum. Et profuit sic patris aduentus malè feriato aleatori ad frugem; vt boni adeò magistri nomen meritò habere videatur ille, qui nec post mortem discipuli sui curam deposuit.

COLLEGIA LEMOVICENSE ET PICTAVIENSE.

X. DVO illustri genere Hæretici (quorum alter nostro inimicissimus nomini ac fortunis, triennio Massigniacensis Prioratus vectigalia interuertit) ad singulare certamen diem sibi viciſſim condixerant. Id simul Collegij Lemouicensis procurator fando inaudijt, properè admisso equo prouinciæ gubernatorem de totâ re factum iuit certiorem. Mirari gubernator vehementer pro eius capite nostrum hominẽ vsq; adeò esse sollicitum, cuius maximè intererat, vt periret. Ergò ambos per litteras ad se aduocat prætor, réq; coràm compositâ cùm charitatem bellè prædicâsset, spopondit ille rerum nostrarum molestissimus perturbator, si ei noster occurre-

Digitized by Google

currereț, cuius vitam ante toties appetijſſet inſidijs, in illius ſe amplexus illicò ruiturum. Cæterùm Regi Chriſtianiſſimo Henrico IV. pro eo ac de nobis meretur, referri gratia nõ poteſt, qui datis ad Prouinciarũ præfectos litteris, procuratorem noſtrum in vectigalium illorum poſſeſſionem mitti pro regiâ auctoritate iuſſit, cùm id fruſtra toties oblatâ tranſactione, aut compromiſſis interpoſitis fuiſſet tentatum.

XI. ARTOPOEVS homo minimè malus, nec ſolùm antiquis moribus, ſed ſuo etiam artificio adeò notus Lemouici erat, vt ab illius ſolerti induſtriâque manu lautiores ciuium familiæ furnaceos panes compararent. Sed inuidit eiuſdem opificij anus quædam, orco deuota, huic ei artis ſucceſſum & quæſtum, irrepſitque clanculò in ipſius domum incuſtoditam, & quòd eſſet incantationum gnara, pro clibano & ad arcam piſtoriam barbarum neſcio quid & abſonũ infrendens, inopinatò eſt deprehenſa. Equidem fuit in præſentiarum deſpectui riſuique vetulæ quaſi delirantis inficeta barbaries: at lux poſterà veneficium & fraudem retexit. Quam enim piſtor coquendis panibus materiam ſolenni ſuo præparârat veſperi, poſtridiè diluculò euanidam, luridam, graueolentem offendit. Idem altero, ac dein tertio die accidit, donec biennium totum expleret infelicitas. Interim, malè agi cum bono viro, imq; eò vſq; increſcere, ærис alieni pondus, pauperculam vti familiam, oppreſſurum breui videretur, omnibus arcendi mali vijs in caſſum quæſitis. Priùs ergò, quàm vel

Digitized by Google

precariò vitam agere inſtitueret, vel inſalutatis creditoribus ſolũ verteret, vt erat DEI metuens, viſum eſt, cum vno è Noſtris communicare animi ſenſa. Noſter, re auditâ, deſperabundum ſolatus injicit mentem meliorem, ſuadétque, vt vnà cum cõiuge de omni noxâ fateretur ad placandum Numen: atq; inſuper ſponſione reos facit, culparum Exomologeſin minimùm quot menſibus vſurpaturos de cætero. Valuit conſilium. Ita enim expiatos, donatóſque Agni cerei ſigillo, & piacularis aquæ phialâ, domum dimiſit, cum monitis, ſingulis vt diebus maſſam piſtoriam vndæ illius luſtrarent aſpergine, & cereum ſimul Apotropæum ſuper eâ deponerent. Fecit piſtor, quod erat iuſſus, primóq; die, cùm maſſam aquâ intingeret, impurus vapor è magide erumpens tetro halitu afflauit hominem, totoſque artus tremefecit: ille fronti ſignum crucis imprimens ſedauit in præſens trepidationem. Quare exacto cacodœmone inſequenti luce maſſam reperit mali exortem: vnde lautiſſimos panes excoquens venum propoſuit, ſtupente vicinià. Fluxit annus in eo remedio pari exitu; quo elapſo rem in tuto eſſe ratus, luſtrationem intermiſit, itaque viam aperuit maleficio redeunti. Menſe toto farinam maceratam, derepentè minùs horulæ ſpatio, lurido contigit colore mucescere, adeóque fœtere totam, vt graueolentiam ferret nemo. At enim repetita Apotropæa denuò auertêre præſtigias. Rurſum cùm farinam in mactrâ pinſuiſſet aquâ luſtrali, circumferentem tantus ſubitò inuaſit hor-

Digitized by Google

horror, vt semianimis inter seruulorum manus fuerit in cubile reportandus: massam tamen postridie inuenit bellè præfermentatam, & coruptelæ omnis expertem, ex eáque panes fecit optimos; quos proinde statim ad Collegium gustandos attulit, cùm contrà fusci forèt incantati alij, olidi, præduri, adeóque degeneres à probitate, vt eos ieiuni etiam canes auersarentur.

XII. PICTAVIENSIS collegij templique ædificationem promouit mille trecentorum aureorum pecunia stipis nomine erogata: quamuis ea fabrica interrumpi debuerit, operis in aliam necessariò auersis. Siquidem cùm in alieno è vicinitate collegio docerent Nostri, placuit didascalia ædificari domi nostræ; quod fieri cœptum, tantá contentione atque successu, vt in summis licet rei pecuniariæ angustijs, scholæ quinq; feliciter surrexerint, colonijs ineúte Ianuario proximo, si DEO placet, illuc subducendis. Præter quotidiana beneficia, quibus collegium hoc sibi deuinxit Illustrissima Princeps Carola Flandrina in regio S. Crucis cœnobio antistita, aræ quoque templi nostri duo frontalia gratis præfixit. Sed & diuina in hoc collegio beneficia fuêre. Popularis enim per vrbem dysenteria ab ædibus nostris Sociisque abstinuit, licet Patribus identidem ad moribundos accersitis. Sacrarum Virginum cœnobia vrbana suburbanáque rogatu præsidum adita vtilissimè. Sed vicit omnem fructum expeditio in San-Maxentinum agrum, densis Hæreseon vepribus obsitum, atque horrentem, diebus pœnitentiæ dicatis susceptа, at-

Digitized by Google

que dein menſe Maio repetita. Cùm enim tum eo loci frequens prædicantium conuentus haberetur, magiſtratus, qui omnis auitam tuetur religionem, veritus, ne quam ab eo contagio Catholici labem contraherent, ad nos confugit, oratum, idem vti Sacerdos mitteretur, qui ſe interea contra vociferantium Hæreticorum mendacia pro veritate interponeret propugnatorē. Ad finem vſque Iunij ſtandum ibi fuit noſtro in excubijs, quamdiu nempe ille luporum grex inouium perniciem conſultabat. Et mirum fuit, quàm parum profecerint dicendo clamandóq; bene robuſti præcones, vix vnum vt è Catholicorum cœtu auditorem haberent, cùm interim tantâ frequentiâ concurſúque à ſuis promiſcuè, atque Hæreticis audiretur noſter, is vt præ turbâ plerunq; ſub dio verba facere ſit coactus.

PRO-

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

In hac Prouinciâ domicilia duodecim Socios aluerunt, plùs minùs, quadringentos & duodecim. Decessere tres, accessêre triginta.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholastici.*	*Adiutores.*
Collegium Lugdunense habuit	LXII.	XXI.	VI.	XIII.	XII.
In Tirocinio Burdigalensi.	LXII.				XII.
Collegium Turonense.	XL.	XIV.			
Collegium Camberiense.	XXXIII.				
Collegium Diuionense.	XX.	X.	IV.		

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſtici.*	*Adiutores.*
Collegium Dolanum.	XLII.	XIIX.		IIX.	XII.
Collegium Biluntinum.	XXIIX.	XIV.	IV.		X.
Collegium Viennenſe.	XVI.	IIX.	III.		V.
Collegium Ebredunenſe.	XIV.				
Collegium Carpentoratenſe.	XVI.				
Domus Probat. Lugdunenſis.	XXXIII.	III.			II.
Domus Probat. Auenionenſis.	XL.				

Digitized by Google

Nostrorum consilio ad Ecclesiam Romanam redière nonaginta quinque.

Restituta malâ fide possessa domus: sacerdotia item aliquot: aurei præterea nummi trecenti quinquaginta.

Pudori feminarum nouendecim consultum.

Desperantibus, aut ad apostasiam propendentibus quinque sanior iecta mens.

Reconciliationes grauiter dissidentium promotæ quadraginta vnius.

Agno Dei cereo adiuti tres,

Reliquijs B. P. Ignatij quinque.

Digitized by Google

COLLEGIVM LVGDVNENSE.

I.

DEFVNCTVS EST ANtonius Cunatus rerum domesticarũ Adiutor: quadraginta tribus annis ita sedulò & strenuè impositas sibi partes impleuit, vt quamuis ad maiora natus videretur, & pro scholastico primum in Societatem esset admissus, nunquã tamen ad litteras supra suam sortem adspiraret. Ac licet repentina eum mors abstulerit (repertus enim ab infirmorũ curatore, cùm eum manè officij caussâ inuiseret, exanimis & frigidus) non tamen imparatum abstulit, cuius rei certissimo est nobis argumento, quòd tribus ante obitum mensibus, velut suæ præsagus mortis, perpetuus in odæo erat, vnde Sacrosanctam Eucharistiam adorabat: cuius etiam salutandæ gratiâ antelucanam plerunq; aliorum diligentiam præuertere consueuerat. Opera porrò nostrorum, tam Hæreticis, quàm Catholicis in hac collegio profuit ad salutem. Illorum duodeuiginti eandem

dem senserunt, inter quos, cùm à nostro rationibus eò angustiarum esset coniectus, vti nec Catholicus iam auderet esse, nec Caluinianus vellet, Geneuam tandem, ceu Delphos, ad Ministrorũ sacrosancta (si superis placet) oracula appellauit; quò tamen cum iter direxisset, eaq; cõsuluisset, nihil priùs habuit redux, quàm vt collegium Patrum reuiseret, atque mendaces illos Apollines, cum suo Caluino execraretur. Senex item alius ætate non magis, quàm hæresi affectà, cùm indoctissimus non esset, in pagis se pro Ministro gesserat: sed vbi salutaris illa subijt animum cogitatio, se stygij vespillonis vices perfungi, triste ministerium exosus, renũciauit officio atq; errori, seq; libris omnibus Caluinianâ peste afflatis, & consimili aliâ supellectile vltro spoliauit. Iam singulis pœnè hebdomadibus sacro accumbit epulo, &, si quos potest à fide deuios in viam salutis reducere, plùs quàm pro virili laborat optimus senex, adeò, vt dubites, num melior iam sit Catholicus, quàm pestilens antè fuerat Hæreticus.

II. INTER Catholicos vir grauis & dignitate pollens opimum sacerdotium, iam inde à maioribus, quasi per manus, ad se transmissum, inter mancipi res possidebat, nec id religioni sibi ducendum putabat admodum: verùm ab vno ex nostris de grauitate periculi edoctus, aliquando, ægrè quamuis, sed tamen generosè, eo se onere leuauit. Virgines sacræ nostrorũ impulsu, hoc anno primùm archiori se clausurâ

clauſtri cuſtodiâ ſepſerunt, & acceſſum profanis omnem, ipſiſq; adeò parentibus chariſſimis obſtruxêre: quod heroicum facinus, non auctoribus tantùm ſuis fuit perutile, ſed omnibus inſuper bonis incredibilem attulit voluptatem. In tuendâ pudicitiâ ſe egregiè fortem præſtitit vnus quidam ſodalium Partheniorum. Cùm enim nulla alia ſeruandæ integritatis via ſupereſſet, manus ipſas in vultum ſuum armauit, atque elicito vnguibus cruore, oris ſui florem ita contaminauit, vt, quod porrò amaretur in illo, nemo videret.

III. MONTBRISONVM (caput id eſt Seguſianorum) ſub ieiunia cineraria hinc iam tertiò in meſſem ſacram eſt diſceſſum; quò cùm Sacerdoti noſtro perfrigidâ tempeſtate iter eſſet, eum in diuerſorio linquere cœpit animus; tum grauior iactat febris, ſiue eam itineris moleſtia creauerit, ſiue BB. Ignatij & Xauerij gloriam auctiorem facere voluerit DEVS; horum enim nominatim opem ac fidem implorauit æger, vt, ſi è diuinâ gloriâ, & hominum ſalute ea foret expeditio, priſtinam decumbenti valetudinem exorarent. Nec DEVS igitur ſeruorum ſuorum preces, nec illi clientis ſui ſpem deſeruerũt. Nam febri depulsâ ei lætior ſol oritur, quam occiderat. Quare operatus ſacris, & bene valens inſtitutam viam peragit, & delegatum ſibi munus, eorundem Diuorum auſpicijs, feliciter implet: atque inter alia, quæ vtiliſſimè præſtitit, effectum, vti erogatâ per matronas pias ſtipe Xenodochium commodiori inſtrumento ador-

Digitized by Google

adornaretur, & ægri indigenæ sedem à mendicabulis peregrinis seclusam habitarent.

IV. AD CALCEM pagellæ huius silenda non est Illustrissimi Archiepiscopi in Nostros antiqua iam beneuolentia, cuius vt aliquod semper haberent pignus, Calendis Ianuarijs, quibus Apophoreta missitari solent, pro strenis geminũ salinum, aqualem, polubrum, argentea omnia, trecentorum Francorum pretio æstimata, dono misit; quæ, quoniam tenui Religiosorum supellectili minimè congruebant, in sacra vasa vtiliùs conuersa sunt. Fruitur denique hoc anno suo iterum vectigali ciuium beneficio Collegiũ hoc. Id enim cùm regio ærario præfectus à nostro in hanc vrbem reditu de rationibus publicis omnino erasisset, Lugdunenses, summa omnium adnitentium conspiratione, neminéque reclamante, voluerunt, vt quod de Regis ære atque voluntate stipendium Nostris debebatur, iterum assignaretur, auctoritatéque publicâ (quemadmodum factum) confirmaretur.

COLLEGIA AVENIONENSE ET TVRONENSE.

V. QVAM periculosum, simul ac noxium, sit, salutaria bonorum consilia negligere, duo è disciplinâ nostrâ iuuenes Auenione experti alijs documento esse possunt. Vnus, cui mens cœlitùs iniecta erat Instituti nostri amplectẽdi, eum non modò instinctũ secutus non est, sed & turpis instar proci mulierculæ cuiusdam ignobilis ædes,

Digitized by Google

ædes, familiariùs quàm hominem deceret sacris initiatum, frequentabat: vnde & duobus viduæ filijs sulpicionem mouit procacitatis & lasciuiæ, & cùm sæpe monitus nihilo rediret minus, tandem in insidijs interceptus gemino pugione confossus est. Alter Parthenius in graui casu paulò clementiore Deo vsus est. Is vltimos scholarum nostrarum carceres vix emensus, inter iocandum, vt ferè fit, ob noxam, inimicitias contraxerat ita graues, vt nefariorum hortatibus diem aduersario locúmque designaret ad certamen. Interea temporis de prouocatione illà certior fit è Nostris vnus, qui iuuenem ad se aduocat, ab eoque flagitio auertere contumacem, nequidquam interpositis etiam minis, adnititur. Fato rapi ad necem miserum diceres: adeò non Sacerdotis solùm, sed vrbani quoque Prætoris minas ac manus flocci faciebat. Erumpit igitur ex vrbe furore amens, seséque duello sistit: petitur ab aduersario secundùm pectus, præcordia ipsa ferro traijciuntur, vt ne momento quidem legibus naturæ superfuturus credi posset: redit tamen ad se iterum, oculos extremâ in morte attollit, præsentémq; illicò clementissimæ sodalium Patronæ opem accipit, vt inducias saltem septem dierum nõ sine miraculo, (testibus ipsismet medicis) impetraret; quos ille dolori, ac pœnitentiæ sedulò consecrauit. Et quod cincinnatos iuuenculos nosse profuerit, crispabat hic crines, cirrosque ex arte turbinatos in alaudæ, aut gruis modum surrigebat, quos nec deponere, sæpe quamuis

bis iussus, nec verò minuere vnquam volebat: euictus tamen singulari hoc DEI iudicio, quam adeò solicitè curabat antea cæsariem, resectam nunc vltrò non absque suspitijs Confessario in manus tradidit, adeóque vitam ipsam demum cum magnâ adstantium admiratione, sensúque pietatis religiosissimè clausit.

VI. DEI Diuorúmque suppetiæ alios quoque, sed diuersis in casibus, confirmauerunt. Matrona æquè fortunæ, atque animi dotibus instructa, frequens ędem nostram pietatis gratiâ obire cõsueuerat. Huius filius tertium iam mensem sine sensu, sine vllâ spe vitæ decumbebat. Igitur pia mater, feruore plusquam solito accensa, in aliquem domûs angulum se abdit, atque ibi inter lachrymas & suspiria voto fidem suam adstringit, futurum, vt diebus singulis per anni circulum in æde nostra Lauretanas VIRGINI MATRI Litanias reciraret, si filius superesset. Mirum dictu. Nondum locum mutârat supplex, & puer recuperato linguæ vsu sanitati restitutus, sublatis in cœlũ manibus; *bene est*, inquit, DEI MATER, *meæ parentis preces exaudiuit: ecce, iam totus conualesco.* Nobilis quædam alia filium habebat magnis, & assiduis exercitum febribus, cui insuper manus altera vi morbi luxata conuulsaque fœdum in modum resupinabatur, vt ex medicorum sententiâ, si minùs vitam, dextræ, saltem vsum perditurus videretur. Mouit ea res religiosam Virginem ægro propinquitatis nomine coniunctam, vt B. P. nostro tria sacra totidémq; cereos pro salute nepotis voueret.

Quo

Digitized by Google

Quo facto confestim puer omnino conualuit, manúsque suo loco restituta, fidem miraculi fecit certiorem.

NEC minus efficax fuit vnius è Frarribus nostris in pari discrimine pro alio facta oratio. Agebat animam scholasticorum aliquis, apud quẽ cum Sacerdote Noster ille officij caussà excubans, in multam noctem perdurauerat; Morbo igitur nihil tum remittente, Patréque ad quietem in lectícà aliquantulùm considente, hic in genua prouolutus B. Ludouico Gonzagæ pro infirmo votum certarum precum, quatuor diebus continuandarum, nuncupat. Ratum habuisse illud Beatum, eadem ipsa hora docuit, quæ prima conualescenti fuit.

VII. DICTVM ex suggestu hîc crebrò, vario euentu. Nam gremio matris Ecclesiæ redditi fuerunt duo & triginta. Hausit quoque nobilis matrona eum inde fructum, vti cirros pigmentario puluere consperfos, fucatámque minio faciem non modo deuenustarit, sed & cingulum ferreis simul argenteísque stellulis asperum in sui vindictã vsurparit. Alia ægrè à turpi consuetudine reuocata, suam deinde tarditatẽ constantiâ sic compensauit. Aderat de more leno, exclusus inopinatò postes vi perfringit, penetrat se ad mulierem, preces primùm & blandimenta, tum deinde iram, & minas adhibet, tandem etiam sicam expedit, gutturíq; punctim intentat. Prudentior hæc quàm Lucretia, mori vult ante scelus, viamque ad pectus ipsum mucroni facit, suo sanguini priores vitæ maculas elutura. Fregit

hæc

Digitized by Google

hæc virtus & iram adolescentis & libidinem adeò, vti mox traditis abeà fidelissimè maximi pretij donarijs, quæ ille pro pestilenti amore oppignerauerat, victus à feminâ, nunquam redditurus discesserit.

IIX. TVRONE tria vota à diuersis in diuersos fines facta, rata habuerunt Superi: vnum B. VIRGO, aliud D. Christophorus, in cuius sacello pro alio facturum se spoponderat Noster; qui vterque morbo liberauit vouentem: tertium B. P. N. IGNATIVS. Cùm enim adolescens quidam Societatis ineundæ facultatem à matre, cui vnicus erat, impetrare non posset, vanâque voluptatum illecebrâ inescatus à consilio longiùs abriperetur, alius quidam eius æqualis, ex miraculo, quod B. Ignatius in vrbe Peruanâ patrârat, typis gallicis vulgato ita commotus est, sanctè vt promiserit, toto se anno quot diebus Sabbathi, atque in ipso insuper peruigilio eiusdē Beati solo pane, & frigidâ contentum fore, si amicus propositum antiquum exequeretur. Accepta fuit DEO tam pia charitas. Ipsa enim mater ad vrbem veniens solemnibus Pœnitentiæ Eucharistiæque sacris ritè obitis, suum solatium Societati sponte donauit.

IX. Illustre porrò spectaculum, Christianissimo Regi Henrico IV. hoc anno apud nos magnificè apparatum, huc transcribere non absre fortè fuerit. Collegij area ornatissimo vndiq; apparatu instructa, in superiore sui parte fanum Mnemosynes, ad optimi Regis honorem & votiuam apotheosin, extructum habuit, cuius hæc

Digitized by Google

erat ichnographia. Templi forma heptastylos singulis in columnis argumentũ aliquod Regiarum virtutum legentibus exhibebat hoc ordine. In primâ spectâsses Eusebiã latè intonantẽ Henricũ hostili subiugatâ hydrâ, seruatáq; Religione vbiq; gentiũ celeberrimũ: in secundâ Astræã varijs adumbratã gestaminibus, sincerã iuris æquitatẽ pari lance in Galliâ collibrantẽ: in tertiâ Clementiã pacis oleâ cinctã, publicâ legis amnistiæ promulgatione exultantẽ: in quartâ fortudinẽ non alieno sudore salmacida spolia referentẽ, sed è quadraginta laureis, propriâ manu partis, triumphantẽ: in quintâ Clionem rediuiuas liberalitate Henrici Musas, purgatam Pyrenem, plãtatam Daphnem, suauiter inclamantem: in sextâ Eugeniam Borboniorũ ſtẽmatibus nobilitatam, cœlo delapsum vindicẽ, cœlo restituendum asserentẽ: in septimâ deniq; Basiliam virtuti Regiæ coronidẽ imponentem. His innitebatur machina columnis, quarum ordo vnus erat maxima ex parte Doricus. In operis coronatione, & Zophoris variæ erant epigraphæ. Tholus verò è sectili tabulato marmore incrustatus, atq; in ipsâ crepidine Musas memoriæ filias erigẽs turbinato sensim vertice, vltimũ apicem Apollini Lydio relinquebat. Quid de propylæis dicam? quid de aurâ Principe, quæ Borboniorũ insignibus circumuestita refulgebat, tabellámq; ænigmaticã, quæ Regis inaugurationem exprimeret, ostentabat? Quid rursus de triumphali plausu, quẽ Henricus Virtutis Fortunæque decreto, Magni nomen adeptus, quærente Basilia, decernente Gallia, præside

præside Fortitudine, comite Fortunâ, perficiente Famâ, coacto intra Bellonæ ædem senatu, sciscente populo, vnâ omnium voce obtinuit? Hoc proximis affixa parietibus dramata, Senatûsconsulta, Epipompeutica, Fama heptaphonos, Decreta triumphi, Idyllia felicitatis, bucolia triumphi testabantur: hoc multiplices coronæ proclamabant, laurea triumphi, graminea obsidionalis, quernea ciuica, muralis turrita, castrensis è palis, fortunata è lilijs, naualis ex rostris, Delia ex rosis. Arcus verò à læuâ fani diuæ Mnemosynes, trophæis onustus, spolijs exaggeratus, formâ lunatâ hypogæa fortitudini Henriceæ erigebat, fortunámque Regiam singulari ænigmate adumbratam, varióque metrorum genere decoratam, spectandam exhibebat. Ante arcum Pyramis assurgebat Regiæ Fortitudini dicata, octo emblematis incrustata. A dextris templi arcus erat superiori non absimilis, in quo ad Henriceam Apotheosim stabat apparatus, quem illustrem faciebat sacra porticus tabulis virtutum Regiarum, & proauorum indigetationibus insignita: aris præterea votiuis, signis, anathematis, ferculis, officulationibus è Turonij Apollinis tripode petitis illustrata. Ante arcum obeliscus octo agalmatis arboribúsque mysticis obuestitus. Ad hæc ludos spectaculáq; festiua edebant, scribebántq; Rhetores; Drama Clodouæi, Heptapoleos fercula, Idyllia stabilitæ pacis, Eucharisticon auctæ pietatis, fidei Cunabula in Gallijs, Obsequia Franciæ, Regi gratulationem ob fidem.

Digitized by Google

Hæc omnia porrò tot carminum, poëmatum, odarúmque generibus, solutáque numeris oratione distinxerant Suadæ Alumni, vt nemo non elegantissimum eos ingenij specimen edidisse testaretur.

X. Iam verò parte aliâ Circum virtutum Regiarum, cuius forma ad Circi Romani speciem accederet, schola Humanitatis aperuerat: longiori erat facie, & in orbem ductâ, quæ ab oui figurâ non longè abesset. Excurrebat eius longitudo in viginti quinque circiter passus, latitudo in quindecim, in totidem eius attollebantur muri, cum suis intercolumnijs, è buxo lauróque arte topiariâ non inelegantèr intertextis: qui muri præter vela, quibus totus Circus oppandebatur, suis etiam tectis aduersus imbrium vim excitatis tegebãtur. In quatuor angulis totidem portæ, in formam triumphalis arcûs erectæ, è quibus quatuor factiones suis quæque coloribus distinctæ erumpere videbãtur, & mediam proximi muri partem sibi quæque ita vendicabat, vt à summo ad imum vsque murus tum tribus tabellis emblematicis, tum vario poëmatum carminúmque genere, seruatâ colorum varietate, circumuestiretur. Certabant inter se factiones, quò Magnum Henricum ad metam immortalitatis eueherent; quinque missibus, seu spatijs, quæ erant egregia cuiusque virtutis facinora, eorum decursio absoluebatur. Subeuntibus à Collegij aditu primum Circi occurrebat ostium, ad cuius dexteram factio Russata fortitudinis Henriceæ oculos ad se conuertit: in qua

Arquen-

Digitized by Google

Arquensis pugnæ, & obsidiones Pæanibus, trophæis Heliconijs, Daphnoricis, Eucharisticis celebrabantur. Huic ex altero muro factio Felicitatis Prasina respõdebat, quæ de trecentis Henrici prosperis obsidionibus, centiésq; & quadragies collato cum hostibus pede, de tribus eodem die diuersis in locis insignibus victorijs, de fœcundà prole, de parricidarum manibus diuinitus auersis, de Præfectis & Ducibus, quos sortitus est fortissimos prudentissimósque ita gloriabatur, vt bonum Genium Galliæ vexillum præferentem & paræneticon habentem fortunam Regi constantiam vouentem, Sequanam de Regiæ prolis felicitate vaticinantem, Galliam Soteriam Henrico, & diras in parricidas intonantem, Encomiasticon denique Principum Galliæ proponeret. At proxima dextræ metæ porta factionem Pietatis cæruleam emittebat, quæ coronationem Henrici Hæresi debellatâ, curam Religionis & sacrorum, Pietatem erga SS. Eucharistiæ Sacramentum, templa Gallica, Romana, Lauretana, eius liberalitate aucta, Constantinopolim concionatores è Societate IESV ab eo missos exultabunda præferebat, cultorúmque suo melos Angelorum tripudiantium, prosphoniticon reducis in Franciam Religionis, hymnum ad SS. Sacramentum pro Rege, eidem Charisteria, & Satyram in Iconoclastas, propempticon denique ad nauim Regiam soluentem gratâ animi significatione rependebat. Huic opposita pari interuallo à sinistris incedebat Albata Clementiæ factio, quam edictum Amnistiæ iactan-

Digitized by Google

tem vidisses, & clementissimum Principem ex ipso Clementiæ curru triumphantem, dum Parisios ingreditur, ciuibus, & extraneis pacatus, dum magna multis largitur, Societatem IESV calumnijs oppressam reuocat, infensissimis hostibus veniam spondet. Nec sine magna approbatione spectasses, legisséque Proseuticon clementissimo Regi, Epibaterion triumphantis in Galliâ Clementiæ, Aram Regiæ Clementiæ à Musis positam, Pyramidem à Societate IESV eidem dicatam, Fanum denique virtutis huius immortalitati contiguum, Apollinis industriâ elaboratum. Hæc murorum fabrica, factionúmque apparatus. Iam circi, cancelli, seu repagula reticulato opere perfecta, aureas habebant transennas, quibus superposita vitis colorum lineamẽtis adumbrata Christianissimi Regis effigies, eum tanquam horum Circensium editorem spectandum exhibebat. Hinc in medià Circi spinâ Euripus trium pedum altitudine attollebatur, suo nequaquam ornatu destitutus. Nam præter aras, in medio Delphin Galliæ, cui sacer erat more antiquo Circus, venustâ in tabellâ delineatus, eminebat; diceres, eum in omnes partes latè fauoris sui auram spirare. Adhæc Obeliscus Henrico soli Galliæ sacer, viginti exornatus in eam significationem emblematis. Isti geminus, & penè par, Mariæ Mediceæ Francorum Lunæ positus haud longè aberat. Pari interuallo collocatæ Tutelinæ Gallicæ Genij statuam serico damasceno, & gemmis collucentem, alteráque manu

pal-

Digitized by Google

palmam, alterâ coronam immortalitatis præferentem, columnæ Porphyreticæ insidentem, oculis subijciebant. Has loci Turelinæ sequebantur, quæ Genij Turonij statuam non dissimili cultu decoratam, Circi huius iconem dextrâ amplectentem, Regíque dedicantem, intuendam dabant: oua cum suis metis ad parij marmoris similitudinem incrustatis, Pollucem, Castorémque Gallicum Ducem Aurelianensem, & Ducem Andium Regis filios referebant, quorum etiam tabellæ non sine emblematis ad basim stabant. In metarum medio intuentium oculos capiebat, ingeniúmque ad honorificam concertationem acuebat, accendebátque Circus ænigmaticis affabrè pictus, in quo stans Henricus eius se nunerarium haud obscurè indicabat. Atque hæc de his sufficiant.

XI. IN EXPEDITIONE Diensi pugnatum contra Hæreticos acriter & feliciter, ita, vt cornua, quæ priùs superbè nimis, ac præfractè iactabant, nomihil submiserint. Cùm anniuersario purificatæ Virginis die supplicatio de more solennis pr vrbem institueretur, Hæretici duo in diuersis domibus è superiore loco despectantes derisuæam habere adnisi sunt, non impunè: aliquantulo enim pòst tempore domus eorum fundiùs euersæ corruerunt.

COLLEGIA CAMBERIENSE, DIVIONENSE, ET DOLANUM.

Digitized by Google

XII. MIGRAVIT è vitâ P. Philippus Haurpolinus, tria vota professus, annorum circiter octoginta, & ab ipso B. Ignatio in Societatem adlectus, quarto quàm ad eam venerat & quinquagesimo. Vir hilari semper vultu & serenâ conscientiâ, in quo præter singularem in Præpositos obseruantiam illud admireris, quòd paucis antequam humanis concederet diebus, flagitauit, sibi vt per P. Rectorem liceret quotidie semel flagellando tres Dauidis psalmos emetiri. In oppido D. Ioannis Maurianensis spatium diuini verbi semen bonarum ferax consuetudinũ fuit. Inualuerat ibi mos inhumanissimus, sese intercalices largiùs atque audaciùs inuitandi. Ex vnâ Sacerdotis nostri concione tantùm profecerunt nonnulli, sibi vt lege ab eâ temperandum iudicârint. Conuenerunt ergo, vti quicunque synposiasten suum ad poculum euocaret, ille mox reus in pios vsus nummorum aliquid deponeret. Vulgò etiam credebatur (auctore proculdubio Cacodœmone) quicunque extra sacræ Anastaseos ferias confessione lustraretur, eum atrocioris cuiuspiam sceleris laqueo constrictum teneri. Ea opinio omnis tàm dextrè sit reuulsa, vti non minus centum & quinquaginta in oppidulo secũdùm ipsas prope ferias, Notro ad eam operam euocato, fuerint vsi. Crimina pernicioso silentio occultata, non paucis, vt aperirẽt, persuasit perquam formidabilis illi exitus Catharinæ Indicæ, in annuis litteris Societatis nostræ consignatus. Lipsanotheca, in quâ præter ceteras etiam B. P. nostri reliquiæ cludebantur,

puellæ

puellæ vsum linguæ, in templo D Antonij interorandum repente perditum restituit: cui beneficio vt gratam se ostenderet, mater cum vtraque filia tertio Calendas Augusti, ipso, inquam, pervigilio B. Ignatij se ieiunaturam vouit.

XIII. Cives Diuionenses, varijs identidem ad rem nostram familiarem sustentandam submissis munusculis, suam magis magisque benevolentiam probarunt. Eorum æstimatio paucis diebus centum scutatos aureos facilè exæquauit. Monasterio Virginum claustrum, quo diu carere videbatur, ab Antistitâ per nostros inductâ perpetuò est appositum.

XIV. Dolæ è Coadiutoribus domesticis obijt singularis quidam B. Virginis cultor, adeò vti nunquam absque eiusdem imagine, quam semper subintimâ tunicâ secum ferebat, extra Collegium pedem poneret; cui & omnia secundum Deum accepta meritò referre se prædicabat. Qui superfuêre de omni hominum genere optimè mereri studuerunt; ac de captiuis primùm, inter quos militem capitis reum ad eam scelerũ detestationem erudierunt, vt cùm lachrymari nunquam desisteret, verberáq; enixè postulando impetrare non posset, semetipse, cæteris dormientibus, cingulo bullisque æreis non perfunctoriè diuerberaret. Sanctissima Fauernæi cœnobij hostia, quæ grassante incendio super flammas illæsa constiterat, annóque superiore mœnibus ac templis, ceu tutelare quoddam atque hospitale Numen, fuerat illata, hoc iterum anno solemniter, quinquaginta circiter millibus

Digitized by Google

mortalium cõfluentibus est deducta; decernente Magistratu, idem vt eodem die quotannis reuertente, æquali aut maiore etiam apparatu institueretur.

XV. IN VICINIA quidam è Nostris bonum publicum ita curauit, vt quibus in ædibus ipse hospitaretur, non tantum omnia proscriberentur odia intestina, verùm etiam Litaniæ singulis diebus publicè, id est, coactis in vnum domesticis omnibus deinceps pronunciarentur, & ad mẽsam pro iocularibus, Gersonis, aut pij auctoris breuis lectio Anagnostæ alicuius ope adhiberetur. Persuasus item è locupletioribus quidam, vt annuam pensionem de suo assignaret ad Ecclesiasten alendum, qui octo illas Eucharistico epulo sacras ferias præsentiâ suâ, cohortationéque faceret celebriores. Nobiles duæ Virgines, eæq; sorores Anna & Francisca Fauche quatuor coronatorum millia ad Nostrorum numerum augendũ collegio Dolano attribuerunt.

COLLEGIVM BISVNTINVM.

XVI. MIRVM est, qui motus hoc anno in scholasticis Nostris ad Christi crucem amplectendã hîc extiterit. Vna Rhetorica in Religionum diuersa gymnasia supra viginti tirones emisit: Societatem verò tam multi ambiuêre, iustum hi soli tirocinij domicilium vti condere, suisque numeris absolutum reddere potuerint: quod VIRGINI MATRI acceptum non immeritò fe-

tur,

Digitized by Google

tur, cuius sodalitas non discipulos tantum nostros, sed ipsos adeo ciues feruore suo atque exemplo inflammauit. Ierunt enim supplicatum scholastici Sodales in templum nostrum ipso Annunciatæ VIRGINIS peruigilio, ibique coram sacratissimâ Sichemiensi Virgine vota sua cum ingenti pietatis significatione nuncuparũt, atque in amoris pignus cum funalibus candidis votiváq; tabulâ cor argenteum, pretio & opere visendum, depositerunt, ita inscriptum: CONGREGATIO ANNVNCIATÆ VIRGINIS, HANC PVRO EX CORDE PVRAM CORDIS EFFIGIEM, PVRIORIS OBSERVANDÆ PVRITATIS ERGO, PVRISSIMÆ VIRGINI, CVIVS EX MONTIS ACVTI QVERCV, IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV VESONTIONENSI COLITVR IMAGO MIRABILIS, VOVET, DICAT, DEDICAT. Hanc scholasticorũ pietatem tota postmodùm ciuitas alacriter est imitata, ita, vt iã pro se quisq; cereos VIRGINI accendant, vestes sericas, & anathemata ponant, signa aurea & argentea, annulos, coronas, votiua curationum monumenta suspẽdant. Tanta enim hoc anno DEI MATRIS in ciues Bisuntinos merita extiterunt, vt longum sit enarrare singula, quædam delibare æquum.

XVII. TABELLIO puellum habebat valetudinis desperatæ; morbus erat, quem honestiùs sileas, quàm explices. Tentarãt humana omnia optimus parens, donec eum cassus labor ad diuina compulit. Igitur postridie eius diei, qui Purificatæ VIRGINIS erat, ad templum nostrum cũ filio venit, atq; illico ante VIRGINEM prouolutus,

Digitized by Google

lurus, in hac verba prorumpit; *Ades, ô Virgo, eius imaginem in hoc altari conspicio; hunc ego natum non iam meum, sed tuum esse aio: eum ad quod tu vis vitæ genus euoca: tantùm ades felix & propitia.* Votum hoc sequebantur Litaniæ, aliæque preces: inter quas adolescentulus diuino quodam mulceri tactu malum persensit, velut ab iniecta manu; atq; ita integer & firmus è vestigio domum remeauit. Exanimata ferè anhelitûs difficultate matrona nobilis, inops auxilij, apud DEIPARAM reperit. Erat tum celebris memoria VIRGINEM salutantis Angeli. Ea cùm inter adminiculantis manus ancillæ sæpiùs interquiescendo vix ad aram & VIRGINEM deueniisset, fusis precibus nullâ dein comite fulciente, nullâ quiete interpositâ, vnde venerat, regressa est; nullam postea aëris intercluſi molestiam vnquam passa. Eadem paucos pòst dies cœpit glaucomate laborare, ex quo obductus albugine oculus periculũ cæcitatis, vt medici dicebant, minitari videbatur. Ergò ad nota remedia conuolat, cereóque inter sacrum, quod ipsa fieri volebat, in honorem VIRGINIS lucente, labem detersam aduertit. Virgo nubilis, imo iam nupta Christo, à quatuordecim iam annis obsessa, medicinã quærebat. Cogitárat illa quidem profectionem ad Regem Christianissimum, vt eius attactu salutarem opem experiretur, sed itineris longitudo, ætas, sexúsque dissuadebant. Itaque ad trium Magorum fontem (quem locum in his partibus beneficum plerique prædicant) peregrinationem instituit, eúmque pertinaci constantiâ iterat-

Digitized by Google

iterat octies, octies frustra. Interea monetur à Sacerdote nostro, vt & MATREM misericordiæ nouendiali aliquâ prece sollicitaret: paret illa ipso Conceptæ VIRGINIS die, oblatóque cereo, votiuam orationem aggressa, mox meliusculè habere cœpit, sensimque sine sensu tumore & vlcere fatiscente, nono pòst die obducta cicatrix beneficium absoluit. Diceres, Reges illos Christi Adoratores eum honorem conferendæ salutis REGINÆ Sanctorum omnium deferre voluisse.

XVIII. SVNT & alia eiusmodi bene multa notata testatáque VIRGINIS in ægros mortales beneficia domi præstita, sed nos ad externos etiam euocamur. Sita est Vesontio in vmbilico comitatûs Burgundici, à quâ velut à centro in orbem factæ hoc anno excursiones ad fines Seguſianorum, Galliæ, Sabaudiæ, Lotharingiæ, Heluetiorum; oppidáque centum plus minus sunt lustrata. Nec quidquam rem Christianam adeò vbique promouit, quam tradita cum apparatu catechesis, ita, vt mora paucorum dierum faciem aliam redderet oppidanorum. Fauernicense quoque miraculum magnos in hisce partibus ignes excitauit ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. Eam occasionem nacti qui de nostris in labores emissi sunt, plerisq; locis opportunè curârunt erigi, approbari, suisque legibus & immunitatibus Corporis CHRISTI sodalitates stabiliri.

XIX. PRÆTERMITTENDA denique non est DEI optimi in hoc collegium benignitas. Factum

ctum liberalitate Religiosorum, vti Sindones illæ (vulgò Corporalia nominant) quæ admirandis Fauernensium hostijs inseruierunt, ad memoriam tanti prodigij nostro in templo religiosè deponerentur, quibus asseruandis variorum munificentia theca auro gemmísque grauis accessit. Instrumentum reliquum, tam sacrum, quàm profanum, locupletius est aureis circiter quinquentis; præterquam quòd tribus aureorum nummorum millibus scholæ in suum tandem fastigium euaserunt.

COLLEGIVM VIENNENSE.

XX. TANTIS precibus pro Philosophiæ ludo aperiendo apud nos institerunt Viennenses, vt R. P. Generali visum fuerit, importunitati eorum concedendum. Absoluitur autem biennij spatio cursus iste; & gratis, periclitandi gratiâ, sine vllâ scholæ dotatione docetur adhuc. Quo vno facto non insurgentes modò in ordinem nostrum procellæ sedatæ, sed simul omnium ciuium voluntates sic occupatæ, vt velis remísque contendant, Collegium nostris vsibus peropportunum, à fundamentis, quæ iam posita sunt, quam celerrimè fieri poterit, ad coronidem perducere, remque domesticam nouis ad annuos reditus additionibus augere. Quod etiam haud dubijs argumentis ostendunt. Statuerunt enim in conuentu publico, vti primates aliquot vrbem dome-

Digitized by Google

domesticatim obeuntes singulis patribus familias chartam puram porrigerent, in quam quisque pecuniæ summam à se conferendam referret, & chirographo suo caueret. Duplicatis igitur impensis in ædificium faciendis, alijs necessarijs liberaliter subministratis, ædificatur strenuè. Sed vt & vectigalia nostra crescerent, hanc inière rationem. Curia est in vrbe nobilis, ac totius Delphinatûs præfectura ex centum, vt minimùm, viris conflata, qui iam dudum Sodalitatem sub Conceptæ VIRGINIS patrocinio consecrârant in ædiculâ Beatæ VIRGINIS à Vico (vt nominant) nec obscurâ certè, nec inuenustâ; vt quæ prætorium olim Romanorum extiterit. His Sodalibus ea erat consuetudo, ipsâ Conceptus Virginei luce certam quandam panis candidissimi, viníque generosissimi portionem singulis Socijs, alijsque honestioribus è ciuitate familijs in signum beneuolentiæ distribuere, magno quidem Sodalitatis vniuersæ sumptu, sed exiguo singulorum emolumento, Reipublicæ pœnè nullo. Quod cum nonnullos ex sagacioribus aduertisset, publicè rogârunt suos, illam vti pecuniam in vsum Collegij conferrent. Placuit omnibus rogatio, nobísque vectigal illud communi omnium sententiâ addixerunt. Quinque Caluinianæ opinionis labem eluerunt.

XXI. QVANTA porrò fiduciâ Ciues cum Patribus agant, illud doceat. Vir honestus animaduer-

Digitized by Google

aduertens ex sanguine suo vnum aliquem maiores omnino sumptus facere, quàm illius ferret conditio, neque satis intelligens, vndenam ei pecuniæ ad nepotinas illas impensas suppeteret, tandem comperit, malæ fidei iuuenē eas ex hospitis cuiusdam ædibus, quò sæpiùs itabat familiariter, subiectas in rem suam conuertisse. Quare quod reliquum fuit pecuniæ è manibus illius extorquet, & vt erat vir bonus ac prudens, conuocatis quibus maximè fidebat amicis, modum inquirit, quo pecunia Domino suo, saluâ adolescentis famâ, restituatur. Visum itaque per nostræ Societatis Patrem negotium quam optimè posse transigi: adhibetur ergo exoratus vnus; per quem cùm innotuisset possessori expilatio thesauri, eum non mediocriter terruit: quem tamen redhibitâ non leui pecuniæ summâ, iterum pacauit.

COLLEGIA EBREDVNENSE ET CARPENTORATENSE.

XXII. DOMESTICVM hoc anno sacellum paratum Nostri est, dum scilicet templi ædificio, cuius iacta sunt fundamenta, manus vltima imponatur. In eo quatuor iam Sacerdotes pœnitentium diligentiæ vix facere possunt satis, cùm elapsis quatuor annis, quibus Ebreduni Patres versantur, vnus posset. *Actum erat* (exclamat prudens quidam vir) *in hoc superiore Delphinatu de fide Catholicâ, nisi accessu vestro partim fuisset retenta, partim reuocata.* Et certè tantus fuit rerum cœle-

Digitized by Google

cœlestium contemptus & ignorantia, vt nonnemo maturrimæ ætatis rogatus; Num vnus tantum DEVS esset tres esse? maluerit respondere. Præcipuum fructum catecheſis, & Nostrorum tacita etiam modestia facit: hinc factum est, vt duodecim hæreticorũ iugum excusserint. Quædam femina aliquando multas hebdomadas ita obseruabat Nostros, eorum vt incessum, verba, motus animi quam diligentissimè arbitraretur; quæ res & ab illâ Confessionem triennio toto intermissam extorsit, & tantum in eâ calorem fecit, iam vt quiescere nec velit, nec possit, quoad maritum hæreticum suæ quoque adsciscat fidei & voluntati.

Carpentorati gemina Sodalitas vna ciuium, altera scholasticorum, sub titulo B. VIRGINIS nuper instituta, confirmata est, acceptis Româ litteris.

DOMVS PROBATIONIS LVGDVNENSIS, ET AVENIONENSIS.

XXIII. PARIA vtriusque domûs studia parem fere habuerunt in omnibus progressum. Lugdunẽsi imprimis bene voluit Archiepiscopus Viennẽnsis, qui, vt filios suos duplicibus vestiret (tam paternè de Nostris ipse loquebatur) lectos viginti quatuor gausapinis laneis contra frigus texit. Erat in hâc vrbe maritus quidam, qui à biennio non ipsemet solùm à sacramentis

Digitized by Google

se abstinuit, verum & coniugem suam minitationibus, idem vt accederet, coëgit, proximúmque iam fuit, vt & filiolum bimestrem, quem Catholico ritu ablui noluerat, Hæreticis ministris baptizandum committeret, & ipse cum ingenti plurimorum offensione in sentétiam Hæreticorum pedibus iret. His malis omnibus quâ rogando, quâ disputando dexterrimè occursum à Nostro est. Itaque infans comitante congratulantéq; totâ consanguinitate ad Catholicum fontem delatus, & pater tantùm in antiquâ religione confirmatus, vt ad alium in fide etiam nutantem ipso actore non abnuerimus proficisci.

XXIV. AVENIONE à Patribus, qui tertium probationis annum agunt, excurrendo multa egregiè præstita. Vnius in vrbem, magnâ ex parte hæreticam, aduentus ita terruit ministrum, vt ille turpiter domi abditus ceu lupus, conspecto indagantis venabulo, delitescceret, donec quorundam arte in lucem, & disputationem cũ Patre ineundam prolectus, duplici ignominiâ & pudore se sectámq; suam deformauit. Mulier à viro seiuncta Cacodœmoni prędam debere videbatur, qui membra illius iam velut mancipatæ in muris formâ percurrebat: hæc auditâ Nostri doctrinâ, conscientiæque peccatis per Confessionem expurgata, spectro illo liberata, tranquillitati, & marito est restituta. Magnis odijs ciuitas quædam ab Episcopo suo dissidebat, vt & hic biennium iam ab vrbe abesset, & illorum

multi

multi appetente Paſchate, aut Confeſſionem declinarent, aut reſtitutionem famæ deſperarent.

Egit cum Pontifice Noſter, vt die palmarum perendino illud Euangelium populo denunciaret; *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Obſecutus ille bene monenti eſt, totóq; Paſchate ſacris operando, largitionibus publicè priuatímq; faciendis, ita commouit gregem vniuerſum, vt non modò odium, quod ipſe patiebatur, ſed alia inſuper multa, quibus ciues à ſe inuicem diſtrahebantur, ex vrbe proſcripſiſſe vnâ operâ videretur.

Decem locis habitârunt Socij ducenti quinquaginta tres. Desiderati tres: quibus suffecti totidem & viginti.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Tolosæ egerunt.	LXXII.	XXI.	V.	XXXI.	XIV.
Billomi.	XXII.	IX.	VI.		VII.
Mauriaci.	XIII.	V.	IV.		IV.
Ruthenæ.	XVII.	VII.	V.		V.
Auscis.	XIX.	IIX.	V.		V.
Anicij.	XXVI.	XII.	VI.		IIX.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Biterris.	XXV.	IIX.	VI.	VI.	V.
Cadurci.	XIIX.	VI.	VI.		IV.
In Tirocinio Toloſano.	XXXVI.	V.			II.
In ſede Albenacenſi.	VI.	IV.			II.

Hæreticos vniuerſim per Prouinciam Noſtri ad officium Chriſtiani hominis reduxerunt nonaginta tres.

Aſceticis Societatis commentationibus excoluerunt duodecim.

A duello reuocârunt ſex.

Diuturniora iurgia odiáue ſuſtulerunt tredecim.

Generales confeſsiones exceperunt ducentas viginti.

Ab infeſtationibus Lemurum aut Cacodæmonum liberauerunt quinq;.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

I.



QVAMVIS DOMI (VNO quidem in medio Philosophiæ cursu prærepto adolescente,) segniter curatum nō sit, maxima tamen messis ex agro à quatuor colonis collecta. Missus è sacerdotibus vnus erat Carcassonum, quo in loco tantâ omnium humanitate susceptus est, vt pro eo ciuitas vniuersa cum religiosâ S. Dominici familiâ certaret, & verò etiam vinceret. Ita hîc gesta res est, vt non nisi à collachrymantibus dimitteretur, & ingens inter ciues desiderium relinqueret collegij nostris vsibus propediem exædificandi. Montem Pessulum, hæreticis vrticis obsitum, vndecim mēsibus alter excoluit, vbi bonis ita probatus eius labor est, vti cum is, ad quem spectabat, alterius ordinis concionatorem in annum sequentem nominâsset, huic voluntati à Catholicis alacriter fuerit reclamatum. Supremis cineralibus decem in gremio Ecclesiæ collocauit Nolter, qui-

Digitized by Google

bus ſocios eiuſdem gratiæ conſortes eádem operà triginta adiunxit. Caſtras aliud Hæreticorum caſtrum luſtrauit tertius, toto Aduentu & Quadrageſimà. Habita extra ordinem horis pomeridianis de Auguſtiſſimo legis nouæ ſacrificio diſſertatio in publicá iudicũ aulâ, frequenti tum Catholicorum, tum Hæreticorum concione, atque hi ex eo modeſtiùs de ritu hocvenerabili loqui didicerunt. Lumbarium quartus petijt. Ciuitas hæc Epiſcopi ſedes magnis irarũ fimultatúmq; cùm apertis, tũ occultis incẽdijs ardebat: Noſtri tamen concionatoris diligentiâ atque induſtriâ effectum, nullus vt fuerit, quem affectâ Quadrageſimà cum inimicis in gratiam non redijſſe conſtaret.

BILLOMENSE, MAVRIACENSE ET RVTHENENSE.

I I. MEMORABILE eſt quod Billomi cum lapillo hunc modum accidiſſe narrant. Inambulans fortè propter fluuium adoleſcens claſſicus è noſtris, lapillum inter glareas ripæ inuenit, cupidinis arcum tenentes imaginem probè referentem, orbe oblongiore, nec diſſimili celaturâ figuráue quâ gẽmæ, quæ annulo includi ſolent: quem, vt ſuſtulit, de mentis ſede ſtatim deturbari ſibi viſus eſt, conſpectà in eo Auernalis portenti ſpecie. Itaque de genere eorum, qui Nympham in Lymphis conſpexiſſe ferũtur, huc illuc verſus in equitem pullatum incidit, qui erroris cauſſas ſuſcitatus, nihil à lymphato reſponſi tulit. Monet ergo, quo furo-

Digitized by Google

rem expeditiùs temperet, præceps in profluentem abeat, cui aures iterum occlusit alter, séque conspectu equitis domum properè abripit. Illic sibi aliquantò iam præsentior, studijs de more animum applicat, & ad exercitium styli perpoliendi ex officio se comparat. Quod dum agit, ecce tibi in mensam, cui accumbebat, felis horrido atroque villo assilit, notásque omnes calamo exaratas inducta caudá oblitterat. Studiosus signo salutari ferale monstrum arcere aggreditur, illóque iterum atque iterum pertinaciùs resultante, tam diu piè se signando perseuerat, quoad omnis deniq; molestia in auras euanuit. Lapillum interea suum ancillæ domesticæ custodiendum tradit, in quam simul cum eo pestem omnem transfert, ita vt ipse quietus, puella noctem eam, obiecta simulachri horribili specie, in magnis timoribus exegerit. Suspicata igitur quod erat, veneficium latere, lapidem restituit inuentori, simúlque auctor est eius Patribus nostris exhibendi: quod vt iste fecit, mente constitit. Amitâ verò adolescentis, lapillum ob spem lucri repetente, pristinæ infestationi momento puer est redditus, quâ liberatus non est, donec infelicem gemmam in minutissima frusta concîdit Sacerdos.

III. MAVRIACI hoc anno initium sumpsit sodalitas Parthenia, sub titulo Conceptæ VIRGINIS, & frequenter diuinâ benignitate contigit, vt animorum procuratio à Nostris facta, ægris corporibus quoque recreationem attulerit, siue id eorum fidei, qui curabantur, siue diuinis verbis

Digitized by Google

bis precibúsq; Ecclesiæ, aut amuletis sacris malè quis attribuere. Tres certè, recitato (vt super ægrotos ferè solet) Euangelio, melius inde habuerũt: in his puella quæ dissolutis paralysi maximè necessarijs artubus, nec pedibus incedere, nec manibus quidquam agere poterat, expiato delictis animo, accedente de paralytico Euangelij pronunciatione, pristinam membrorum facultatem vsúmque recepit. Iuuenis item lentâ febri affectus, & pœnè confectus, tentatis antea, sed frustra varijs remedijs, illicitis etiam ac magicis adhibitis, in peius semper spectabat, quoad detractæ è languẽtis collo inani bullæ cereũm Agni iconem suffecit Pater, exceptáq; cõfessione duplici eum sanitate impertiuit. Adolescentula crebrò quodam defunctæ matris vmbram referente spectro ad præcipitium atq; interitum voluntarium sollicitabatur: deducta tamen ad Sacerdotem nostrum, ritéque confessa, desijt infestari. Haustu aquæ, cui Crucis Peruanæ D. Thomæ particula immersa fuerat, febres, atq; aliæ id genus corporum pestes sæpiusculè profligatæ; vt re iam vulgatissimâ passim à febricitantibus ea potio tam salutaris sitiatur.

IV. EXCVRSVM hinc in loca aliquot aliquoties. Belloci, quod in finibus Aruerniæ situm est, priscę Religionis & pietatis ardor per sanctiores patientis triumphantísque Christi ferias excitatus. Nam lue Caluinianâ hic locus maximè corruptus est, ducebatúrque inter Catholicos etiam homines probro frequens Sacramentorum vsus; sacri quotidiana, aut crebrior auditio, in-

Digitized by Google

otiosos, aut rei domesticæ negligentes retorquebatur: quin Sacerdotes aliqui, nihilo cæteris meliores, sannis & irrisionibus pios quosque excipiebant. Consuêsse cum Hæreticis solenne & more iam receptum erat. Quibus malis omnibus opportuna remedia attulit Nostrorum aduentus, tresque hæreticorum vinculis abstraxit.

V. RVTHENE inter mille discipulos non parùm sudatum. Supplicatio quadraginta horarum, ante cineralia auctiore pietate & celebritate, quam alias instituta laruas multis detraxit, vnde per quam rara discurrere visa, aut si quæ in scennam prodijt, pro plausu & gratulatione, mamaledicta & execrationes asportauit. Hæretici quinque Ecclesiæ redditi. Catechesis in altero vrbis templo à Nostris toto anni tempore habita, magno vtriusque sexûs hominum concursu, tum Magistratuum vrbis præsentiâ sæpe cohonestata. Missus ad Habulitanos vnus, plures aliò; redierunt cum manipulis.

AVSCITANVM COLLEGIVM.

VI. BEATISSIMA VIRGO, vt alibi in toto terrarũ orbe multis multùm facit bene; ita Auscis quoque aliqua subinde clementiæ suæ dat specimina. In vltimâ valetudine periclitabatur Sacerdos, cui dum venit in mentem Sodalitij Parthenij, indéque singularia VIRGINIS inclientes suos beneficia secum reputat, vouet, si mo-

Digitized by Google

si melius per eam habere sibi detur, illico se eius obsequio mancipatum iri: vtrunq; euenit, vt & æger conualesceret, & datum eius nomen Sodalitas acciperet. Alius iterum è Scholasticis adolescens, cùm in grauissimo morbo, à consilijs medicorum iam esset desertus, adeóque depositus, Præceptoris sui monita sequi cœpit, se suámque salutem DEIPARÆ Beatóq; IGNATIO nostro suppliciter commendare. Illata igitur ad osculum Beati istius imagine, nuncupatisq; Sodalitatis ineundæ, peregrinationisque pedestris ad locum VIRGINIS celebrem, Garasoniam suscipiendæ votis, morbo liberatus, fidem quoque suam liberauit.

VII. VERVM non minùs MATRE suá CHRISTVS Dominus in mortales voluit esse benefi-cus Hæretici filius à parente ad Ministrum audiendum de more ductus, fanum profanum iamiam subiturus, ita se repente à limine abstrahi sensit, vt quamuis tota vi conniteretur, nusquam tamen ingredi præualuerit. Hæsit igitur affixus quasi limini, saxo similis, vt toto illo tempore, quo declamauit præco, nihil nisi ingratam quandam & acerbam obstrepentis alicuius vocem exaudiret. Et tamen diutiùs in errore perstitisset contumax animus, qui tam euidentibus signis annuentem CHRISTVM sequi recusabat, ni, dum irato DEO rabulam suum audire rursus percupit, interiore verbere excussus, ac flagellatus acriùs solito fuisset. Itaque extremum sibi aliquod malum à Superis metuens,

Digitized by Google

tuens, præfractis omnibus tum pudoris tum existimationis vanæ repagulis, ad Nostros tandem aduolat, qui benignè susceptum hominem, deque officijs fidei & pietatis Catholicæ apprimè edoctum CHRISTI familiæ asseruerunt. Defecerat à Catholicis olim quidam ex assiduo cum hæreticis militibus, quibuscum merebat, contubernio, Caluiniacis erroribus deprauatus: & cùm is neque amicorum precibus eò, vnde pedem infeliciter extulerat, reuocare vellet, cœlesti coactus irâ reuocauit: absumpta enim supernis ignibus eius domus, facultates omnes in cinerem, ac bustum solutæ; è quarum incendio & conflagratione salutis ipse lumen accepit, quod etiam alij quatuor aspicere cœperunt.

IIX. EXTRA vrbem ab vno è Nostris ferè summatim hæc præstita. Frequentior diuinorum Mysteriorum vsus persuasus, impeditum duellum: abrogata diebus religiosis carnium edendarum licentia: contrà ter de die VIRGINEM MATREM salutandi melior introducta consuetudo: duo sodalitia, Virginum vnum in honorem Augustissimi Sacramenti; alterum matronarum in B. Annæ singularem cultum, quæ iam pridem neglecta iacebant, restituta: dissidentes graues viri non priùs deserti, quàm pacis & amicitiæ leges decreto, ac iureiurando publicitus confirmassent.

COLLEGIVM ANICIENSE.

IX. SÆVIENTE per vniuersam Velauniam pesti-

peſtiferâ febrium lue, quâ plurimi Anicij afflati interière, vix domus noſtra à ſummâ pernicie abfuit. Iacuère pœnè omnes. Erepti è numero & Rector & Rhetor. Rectoris, Patris nēpe Claudij Ponceoti, quatuor vota profeſſi, ſingularis fuit eruditio, prudentia, & pietas. Vixit in Societate viginti quinq; annis, docuit cum laude varias diſciplinas; Humaniora, Philoſophiā, Matheſin: tantæ verò, & tàm variæ lectionis, vt eſſet in omnium, antiquorum peræquè ac recentiorum ſcriptorū monumentis ſtudioſè, & multùm voluratus. Cui linguarum Græcæ pariter, ac Hebraicæ haud mediocris cognitio accedebat: tam ſolidæ virtutis, vt in ſummo morbi æſtu, mira patientiæ obedientiæque documenta dederit modeſtiſſimus præſes. Robur id animóſque laboranti præſentes oculis Cælites addidiſſe videntur. Ei namque expergiſcenti adoleſcentuli duo ſemel ad pedes adſtiterunt, candenti corporis habitu, vultu ſpecioſiſſimo, qui in ſummis morbi doloribus poſito nunciabant, nouas illi moleſtias ſupereſſe deuorandas, & faucibus plenioribus potiones anxias hauriendas, quas in phialis aquâ turbidâ repletis coràm miſcebāt: cum interim tertius adeſt, qui è conſpectu priores remoueri iubet; angoris enimuero terminum adeſſe: ſic REGINÆ cœlorum viſum, de cuius imperio & auctoritate ſignificabat ſe fuiſſe miſſum, neque verò ipſammet longiùs abeſſe. Deſierat loqui, ſimul ac B. VIRGO cum filio IESV ſpectabilis adſtitit: comitabantur Dominum B.B. Claudius & Ignatius, hic parens, ille

ille patronus; adhærebant aliquot è Societate Patres cœlo Beati; qui omnes lectulo appliciti, ſpoponderunt futurum breui, vt ducibus ſe ad æternæ ſalutis portum inueheretur. Lætos nũcios mirabilis excepit animi voluptas, quæ ſæuiente nihilominus morbi vi dolorem exhauſit, vt non conſcio rei peractæ medico, febris multùm remiſiſſe, & æger ſolito meliùs habere videretur. At dum ille arti ſuæ acceptũ refert, quod erat artis omnino diuinæ, facilè id ſanis perſuaſit, ægrotanti tamen non ita, qui vitæ ſpacium breuius præcognoſcens, Sacris omnibus ante deceſſionẽ præmuniri expoſtulat. Deponit itaq; quæ conſcientiã premere iudicabat, & viatico ſalutari paſcitur, oleo ſacro deniq; bonus Athleta ad certamen vltimũ inungitur. Triduum ſuperuixit in cõtinuis precibus, defixis ſtatu imõbili in CHRISTI de Cruce pendentis obiectã effigiem oculis, eam modò diſuauians, modò pijs allocutionibus cõpellans. Interrogatus à Patre paulò ante exceſſum, nũquid animæ moleſtiã faceret? *Hoc vnum*, inquit, *quod in his, quæ DEI fuerunt, totus ego nõ fuerim.* Magna certè ſui deſpicientia, magna vitę integritas in eo claruit, vt Genij tutelaris aſpectu ſæpiùs exhilaratus non ſine argumẽtis credatur. Audiſſes porrò iam inſtante obitu, IESV & MARIÆ ſalutaria nomina identidẽ elatâ lætaq; voce pronunciantem; modò toto mentis affectu cum Pſalte regio canentẽ; *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.* Poſtea exporrectis brachijs quaſi cœleſtes præſentes vellet amplectu; *Venite*, inquiebat, *omnes Sancti, adeſte omnes Ange-*

Digitized by Google

Angeli DEI; omnes Sancti intercedite pro me. Sancta MARIA *ora pro me.* Sciscitanti de ipso Patri, quam speciosa VIRGO MATER esset? Exclamans respõdit: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra!* Et de IESV item percontanti; IESV! ait moribũdus, O IESV! Et hoc tantùm iterabat, eo dextræ gestu, eâ capitis nutatione, eâ vocis prolatione, quæ ex intimo pectore vehementiorẽ, inexplicabilis cuiusdã, quâ totus diffluebat, lætitiæ affectum declararet, non licere homini loqui, aut aperire, quæ videret. Ac postremũ Litanijs super eum recitatis, tãdiu respõdit, quamdiu vox suppeditauit, adeóq; beatã suam non ita multò pòst animam è mortali in vitam immortalẽ transmisit, alteri Sacerdoti Rhetorices Professori locum paraturus, quem tertio post mense morbi vis eodem euocauit. Is fuit P. Desiderius Colinus annorũ ferè quadraginta, quorũ decem egit in Societate. Miro in B. VIRGINEM, tum in augustissimum Eucharistię Sacramentũ studio & amore semper exarsit, vti suauissima vtriusque memoria oranti sæpiùs, litanti fere semper lachrymas exciret. Grauiore phrenesis importunitate de mentis sede nonnunquam dimotus, solâ DEI MATRIS appellatione sui compos efficiebatur. Eâ inualetudinis tempore aduersùs omnes, tum ministrantes imprimis fuit obseruantiâ, vt si quid iuberetur, quamuis permolestum, *Absit*, responderet, *absit, ego vt B. VIRGINIS cauſsâ nolim obtemperare.* Vixit denique sui quoque Contemptor peregregius, & vitæ religiosæ cultor, quales cœlum merentur.

X. Ex-

Digitized by Google

X. EXTRA Collegium & inter Discipulos periclitabantur etiam nonnulli, qui tamen, vt sunt B. VIRGINI addictissimi, ita eius ope suprema ab immaturo interitu præseruantur. Iacebat ad imminentem mortem vnus ex Parthenio cœtu, qui se valetudinem pristinã Patronæ suæ ope recepisse affirmatè dicebat. Alius pio sæpe fratris hortatu exemplóque compulsus, vti se in Sodalium B. MATRIS Collegium cooptari pateretur, tamdiu repugnauit, donec morbi violentiâ, quâ tenebatur, fractus, & mortis, à quâ non procul, vt videbatur, aberat horrore victus, eidem se voto nuncupauit, cuius religionem salus excepit. Ciuis è maiore Sodalitio torrentem pedibus transmittere dum conatur, aquarum impetu per abruptos procul scopulos subiectásque voragines præcipitandus abripiebatur, salutaribus IESV ac MARIÆ identidẽ nominibus inclamatis, saluus è periculo in ripam eijcitur. Miserat Parthenius quidam (vt id quoque hic ponam) piacula-res aliquot calculos, à Nostris acceptos, in patriã, quorum vnus, cùm mulieri Energumenæ appẽsus fuisset, nimium quantum perfidus hospes, vociferari, frendere, turbari cœpit execrariques: *Damnatum eum, qui sacra illa æra Anicio adsportâsset*; abstracta itaque in ignem ardentem iniecit; vnde magnâ omnium admiratione, semel, iterum, sæpiùs, illsâ penitus icunculâ resilijt.

XI. COLLEGIVM hoc claudet aliud eiusdem benignissimæ MATRIS beneficium. Adierat virum nobilem Sacerdos Noster, qui morbo eâ tempestate atrociter grassante in lectulo afflictus

ctus detinebatur: is cùm antea ex Hæreticorum partibus stetisset, hâc occasione ad Catholicos se transtulit. Cùm enim tumultibus Gallicis postremis oppidum aliquando circumsedisset, & labefactato ad expugnationem muro, militi in vrbis direptionem ciuiúmque cædem signum iam daturus esset, nihil habuit priùs, quam vt conseruandæ feminarum pudicitiæ caueret. Cauit itaque publico per castra edicto, vt ne quis sub pœnâ capitis, nuptæ innuptæve vim afferret: ac amplius veritus, ne militem in officio insolentia victoriæ non contineret, ipse in principijs Imperator vrbem ingreditur, & feminas ad se conuocatas in ædem sacram, quasi pastor gregem in ouile compulit, suámque in fidem receptas ab turpi iniuriâ omnes vindicauit. Laudem eam præclaro facinore ab hominibus insignem retulit, à DEO DEIQ; MATRE purissimâ gratiam multò maximam, acceptâ nimirum veritatis Euangelicæ luce, quâ in hunc vsq; diem caruerat: quæ etiam ab alijs vndecim cognita hæreseos tenebras illis fugauit. Atque is quidem è quo Societatis nostræ homines priuatâ consuetudine cognoscit, tanto in eam studio ferri cœpit, vt si à morbo illo conualescceret, ex voto Societati filium liberorum suorum charissimum consecraret, eúmq; nisi adultus parentis. Voluntati morem gessisset, exhæredaret: votum superis placuisse, sanitas consecuta demonstrauit.

COLLEGIA BITERRIENSE, ET CADVRCENSE.

Digitized by Google

XII. TAM Biterris, quàm Cadurci, ſuam Noſtris liberalem manum frequenter aperuerunt amici. Hîc aureis circiter quadringentis æſtimandam ſupellectilem accepit templum: illic Collegij ædificium duabus ſcholis inferioribus, & quatuor cubiculis ſuperioribus eſt laxius factum: ſed & ſexcenti inſuper aurei ex reditibus in diſcrimen adducti perennem Regis Chriſtianiſſimi optimè de nobis ſemper meriti auctoritate ſecuritatem ſunt adepti.

XIII. BITERRIENSIVM eſt iſtud. Lite quidam exciderat, qui dum ædes ſuas deſperationi proximus repetit, Cacodœmonem, mentito viatoris habitu, ſocium itineris nãciſcitur, & cauſſam inſolentis mœſtitiæ ſedulò exquirentem, & medicinam illi quantocunque malo certiſſimam promittentem. Alter cùm ſe bonorum ferè omniũ naufragiùm feciſſe diceret, eíq; reſtituẽdo opem alicuius deſideraret: *Si*, inquit perſonatus comes, *bimeſtrem tuum filiolũ oppignerare* mihi velis, momẽto te priſtino, immò meliori, loco conſtituã. Illo reſpondente: Nunquam ſibi rem perditam, aut perdendam tanti fore; oſtensâ grandi pecuniæ ſummâ miſerum expugnare aggreditur: ſed cum eâ quoq; parte omnẽ ſibi, ad fidem hominis euertendam, aditum intercluſum videret, operã ſuam illi, ſéq; totum cõmittit, quem puncto tẽporis domũ, quæ tridui illinc aberat, humeris, ſi velit, eſſet tranſportaturus. Officia tam noua & inuſitata vbi intellexit afflictus ille, iuſſit infelicem comitem in maximam malam crucem abire, ſimúlq; ſe Chriſtianiſſimo more ſignãdo ſolus

Digitized by Google

ſolus repentè ambulauit. Mox tamen à melioribus amicis, qui progredientem aſſecuti ſunt, ſalubriùs inſtructus ad nos venit, explanatiſq; quę in itinere acciderant, tum cõſcientiâ delictis expurgatâ, domum ſuam ſummâ animi alacritate, & in DEVM fiduciâ eſt dimiſſus. Ad Eccleſiæ caſtra profugi plures viginti retracti.

XIV. CADVRCENSIVM ſunt hæc reliqua. Hæretici quinq; Catholicæ fidei veritatem amplexi. Virgo ex ijs, quæ templum noſtrum frequentãt, iuuenem procum, nuptias ſuas ambientem, impotentiùs redamabat; quem cùm audit ab æmulis per inſidias, ab eâ redeuntem, varijs pugionibus appetitum confoſsúmque interijſſe, cauſſas mali altiùs repetens, ita dictante NVMINE, facilè ſibi perſuadet, id non ſine diuinâ prouidentiâ potuiſſe contingere, quæ ad alias ipſam, quas non cogitabat, immortales ſcilicet nuptias cum IESV ſponſo æterno contrahendas hoc caſu inuitaret. Quamobrem re accuratiùs examinatâ, ſtatuit ſecum inconſultis omnibus mortalibus, mundi huius illecebris valedicere, CHRISTOque ſe ſponſam ſiſtere. Quod tamen eius conſilium, neſcio quî, matrem latere non potuit, quæ mox ſpecie neceſſitudinis filiam ad ſe (vtpote abſens) aduocari curauit. Ergo dum famuli equos, famulæ mundum ſupellectilémque muliebrem apparant, quid facit Virago? Templum noſtrum curriculò petit, omni famulitio domi relicto, ſedénſque in genua, elatis in cœlũ manibus, CHRISTVM obteſtatur, ſuam vt voluntatem quacunque ratione declararet,

Digitized by Google

raret, se quoquo paratam sequi. Inter hæc audire sibi visa SPIRITVM sanctum internâ voce Religionis ingressum suadentem, illicò sacrarum Virginum cœnobium est ingressa, hodiéq; frementibus quantumuis circùm parentibus constantissimè perseuerat.

XV. B. ALOYSII Nostri preces apud DEVM, & merita tribus matronis hîc profuêre. Vna varijs simul morbis, qui medicorum artem luserant, diuexebatur: febri nimirum continuâ, fluxu dysenterico, acerbis artuum singulorum doloribus, adeò vt omnis spes leuationis & humani præsidij præcisa videretur: sub id tempus Sacerdos Noster eam inuisit, recreaturus animum saltem, vbi de corpore actum esse iam cõstaret. Reliquam itaq; ægrè spem traducit in Aloysij in cœlo Beati pietatem, cui, vt votum aliquod nũcupet, persuadet. Vtile laboranti fuit consilium. Voto namq; in frequenti satis adstantium multitudine facto, ampliùs diem expectatum non est, cum illa se, obstupescentibus vniuersis, inter valentes collocauit. In alterâ non dissimile minũsve mirandum facinus eiusdem Beati gratiâ claruit. Sanguineo item fluxu ex hepatis vitio grauiter illa laborabat, atque ita, vti sensim exabescens, & oblatos ori cibos nausearet, & insomnijs molestioribus identidem turbaretur. Tentauerat medicorum omnium, quotquot in vrbe curabant, artes & opes: sed frustra fuit, donec ex memoria recentis beneficij, in notam sibi feminam ab Aloysio collati, eundem quoque voto religiosè eius obitum quotannis recolendi sibi

deuin-

Digitized by Google

deuinxit; in ipsis enim precibus sanguinis continua eiectio cessauit, redijt orexis, dormire potuit, integrè conualuit. Tertia eiusdem manu curata, laterum dolore acutissimo discruciabatur, intermittente subinde spiritu, ægrè vt animam traheret, & ad summam virium debilitationem vitæq; periculum premeretur. Ex consilio suorum iam nominabat hæredes, reiúe familiari supremâ voluntate consulebat. Adest euocatus ad vltimam, vt videbatur, confessionẽ excipiendam, qui ægrotantem indubitatâ fide esse iubet erga Aloysivm Gonzagam, meritis in Devm, at in homines miraculis clarum, cui si se voueat, spondere audet, ipsam conualiturã. Vix voti nuncupationem clauserat femina, cùm dolorem ex toto corpore migrasse animaduertit. Denique quod Mauriaci aquam Cruce. D. Thomæ attactam operari scripsimus, hîc quoq; præstat: eius enim hausus religiosè factus periculosas febres frequenter profligare consueuit.

DOMVS PROBATIONIS TOLOSANA ET SEDES ALBENACENSIS.

XVI. In Albenacensi sede (vt de hac priùs aliquid dicam) nullam neglexerunt occasionem Sacerdotes nostri, seu quæ ad Hæreticos ab errore reducendos, seu quæ ad Catholicos in fide & moribus conseruandos, tam domi, quàm foris spectabat. Matrona in vlciscendæ offensionis consilio pertinacior, horribili se sacramento de-

Digitized by Google

tinxerat, non priùs CHRISTI Corpus sumpturam, quàm illatam sibi grauẽ iniuriam, grauiore si posset, vlciscereturꝰ Sed enim Patris nostri persalubri de remittendis iniurijs exhortatione ab eâ mente reuocata, inimicitias inulta dissoluit. Interitum ex violentâ ad desperationem ægritudine animi femina quædam alia pertentabat; omni tamen peccatorum onere depositò, sumptáq; à Nostro cerei Agni icunculâ, noxium consilium mutauit. Duabus alijs iam pœne conclamatis, vitam cum integrâ valetudine, sacri olei inunctio longiorem fecit. Ostentum neque tamen ante hunc diem non auditum aut cõspectum, Hæretici cuiusdam impietas vidit. Puello Catholico Agnum cœlestem è collo detractũ sacrilegâ manu in focum abiecerat impius homo, restitit inuiolabilis cera, flammísque extinctis illæsa denique suo cum vinculo reperta est. Sed quid ad istud Hæreticus? quod nimirum solet Hæreticus, plùs non; *Vidit & obstupuit.*

XVII. PROVINCIAM hanc finiat singulare diuinæ opis argumentum, quod Tiro quidam ex Tolosana domo in apertis vtriusque vitæ discriminibus sensit. Dum hic seu coactus, seu necessariorum precibus & blandimentis inductus, sanguini aliquid dare vult, vt meliore dein suorum cum pace CHRISTO se in Societate consecraret, ex itinere fortè cum equo diuertit ad auũculi castellum, quo Diui eius loci tutelaris annua memoria recolebatur. Traxerat ea occasio varijs ex locis plurimos mortales, qui quidem non tam pietate, quàm omnis generis lasciuiâ,

atque

Digitized by Google

atque improbitate exciti eò confluxerunt. Cœnabatur opiparè, iamque ab effusiore conuiuio, vt fit, choreæ, risus, ioci, symphoniæ latè perstrepebant; cùm ecce tibi inter hos motus subito fragore totum ædificium contignationibus disiungi, trabes rumpi, tabulata subsidere, atque in præceps incolæ omnes sursum deorsum ferri. Noster adolescens simul communi ruinâ deorsum trahi se persensit, Christi & Matris ope implorata, in oram fenestræ proximæ prosiliens, sese læuâ appendit, & quia adhuc ex itinere ocreatus erat, (mira Dei prouidentia!) tigno calcaria infigit, ibiq; pendulus sustinetur tantisper, dum pedem promouere ausus, qua manibus, qua calcibus obrependo, ad medium vsque parietem delabitur; ac fortè armarium reseratũ offendit, vbi se ab illâ horribili strage seruauit incolumem; cùm interim octodecim, aut vndeviginti circiter homines, iique omnes Hæretici, eâ ruinâ obtriti malè perierint. Hæc clades pedes, immò alas addidit adolescenti eximio, vti mox suum in Religionem ingressum, contra licet obnitentibus consanguineis alijs, maturaret.

Digitized by Google

Numerauit Belgium ſocios locis viginti ſeptem diuerſis circiter octingentos. Vitâ functis ſeptem ſucceſſerunt Tirones ampliùs quinquaginta.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Collegio Louanienſi erant.	LXII.	XXIX.		XIV.	XIX.
In Tornacenſi.	XXV.	XII.	VI.		VII.
In Tirocinio ibidem.	XC.				
In Colleg. Audomarenſi.	XXXVIII.	XIX.	VI.	V.	VIII.
In Seminario Anglicano ibid.	XIX.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Miſsione Watenenſi.	VII.				
In Colleg. Duacenſi.	LIII.	XIIX.	VI.	IX.	XX.
In Antuerpienſi.	XLVI.	XV.	V.	XVII.	IX.
In altero ibid. vbi & Tirones.	LXXI.				
In Colleg. Leodienſi.	XLI.	XX.	IV.	V.	XII.
In Traiectenſi.	XXIII.	IX.	V.	II.	VII.
In Brugenſi.	XXIIX.	XIV.	V.		IX.
In Iprenſi.	XXI.	IX.	VI.		VI.
In Corracenſi.	XLIII.	XI.	VI.	XVII.	IX.
In Gandauienſi.	XXV.	XII.	V.		IIX.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
In Inſulenſi.	XXX.	XV.	VI.		IX.
In Vallencenenſi.	XXVI.	XII.	III.		XI.
In Montenſi.	XXIIX.	XI.	IV.		XIII.
In Bergenſi.	XXV.	XI.	V.	III.	VI.
In Luxemburgenſi.	XXI.	IX.	VI.		VI.
In Atrebatenſi.	XXIII.	X.	V.		VIII.
In Cameracenſi.	XXIII.	X.	VI.		VII.
In Bruxellenſi.	XL.	XVI.	VI.		XIIX.
In Sede Dionantenſi.	IIX.				
In Syluæducenſi.	V.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.				
In Miſsione Hollandicâ.	VII.				
In Ruremontanâ.	IV.				

Errorem hæreſeos patribus auctoribus depoſuerunt centum ſex.
Honeſtè & pudicè viuere didicerunt quingenti quatuordecim.
Totius vitæ peccata recenſuerunt quingenti quatuordecim.
Inimicitias deſierunt præter quaſdam integras familias viginti nouem.
Deſperabundi ſpem & ſalutem reſumpſerunt decem.
Ad B. P. N. Ignatij præſcriptum exercuerunt ſe apud nos vndecim.
Eiuſdem beneficio faciliùs pepererunt feminæ duæ.
Agno DEI cereo contrà damna vtiliter ſe munierunt octo.

COLLEGIVM LOVANIENSE.

I.



ANTEQVAM IN PROuinciâ hâc ampliſſimâ gradū ad ſingula faciamus, viſum neceſſariò eſt, paucula quædā ex multis præmittere, quæ in toto Belgio Noſtris ferè ſunt communia. Ac primò quidem, quod diuinæ benignitati meritò acceptū ferimus, ſecluſo Marte bellicíſque tumultibus, qui tot iam annis Belgicum hoc ſolum cædibus, rapinis, incendijs vaſtauêre, qui neque paucos è Noſtris perinſignes viros de medio ſuſtulêre, tandem iterum pacatam latéque laborum noſtrorum tutis excurſionibus patentem hanc prouinciam obtinemus: nimirum pactæ nuper cum Hollando annorum duodecim induciæ, & plena vltrò citróq; commeandi libertas, non ſolùm templis, quæ olim fuêre, inſtaurandis, ſed dncendis quoque Societatis noſtræ nouis colonijs, latos cāpos aperuêre. Nullum verò totâ Prouinciâ Gymnaſium eſt, quod pacis opulentiâ vbertatéque agros & rura

rura perfundente, non multò iam copiosiorem ad liberaliores Musas concurrentium turbam admittat. Voluptati fuit Illustrissimo Guidoni Bentiuolo Nuntij Apostolici personam hic sustinenti, ea Gymnasia, cum occupationes permitterent, aditare, experiri subinde adolescentum indolem, industriam, actionem. Neque enim ferè fuit vrbs vlla (in quâ quidem Collegium esset) vbi non aut dramatio, aut dialogidio aliquo ad rem personámque accommodato à flore iuuentutis cum plausu exciperetur. Pietas & virtus inter domesticos quidem per consueta post vltimam cõgregationem generalem omnibus exercitia, inter exteros verò & Nostros discipulos per sodalitia, tam Parthenia, quàm Angelica ita auxerunt, vti superi Prouinciæ terminos alacritati nostræ extenderent, & mortales plurimi vrbésq; Societatis operas in partem laboris euocarent. Ita Syluæducis & Ruremondæ cum spe Collegiorum nouæ sedes, ita Antuerpiæ altera Probationis domus necessariò fuere instituenda: vt videatur DEVS Opt. Max. hac liberalitate tantâ industriam Nostrorum, aut velle remunerari, aut acuere.

II. IAM quæ Collegiorum, ac primò Louanienſis propria sunt, aggrediamur, & quod ad modestiæ grauitatisque religiosæ, seu commendationẽ, seu cautelam valere debet plurimùm, dignius, inquam, digniori loco ponamus. Vsu venit non ita pridem Louanij, vt aliqui in cœtu & coronâ adolescentum (ignoratione an maleuolentiâ.) Nostrorum mores vitámque generatim

Digitized by Google

ratim licentiùs carperent. Ergo aduena quidam, bono eorum quos viderat, quibuscum hæserat, odore virtutum ad amorem Societatis pertractus: *Ecquis*, inquit, *vestrum, ô Censores nasuti, aut in vitâ, aut in verbis, aut in gestu, vel leuissimum quippiam, quo eos iure criminetur, obseruauit? Ego quidem prius quàm huc aduenissem, de IESVITIS multa inaudieram, eorum neminem videram, quamprimùm tamen incedentes per vrbem viros adeò graues modestósque conspexi, hos esse IESVITAS mihi certò persuasi.* Ab his ergo moribus Nostrorum cum indefesso labore coniunctis, varius & multiplex in alios promanauit fructus: & in Sodalitijs quidem, (quorum hîc quinque sub diuersis capitibus, Theologorum scilicet, Iurisconsultorum, Philosophorũ, minorum artium & ciuium) in his Sodalitijs inquam mira sanè est cura & contentio pietatis. Ex maiore, quod ciuium est, exciderat cuidam è manu & memoria syngraphum pretij omnino magni, vouet B VIRGINI cereum, quem illa gratum habuisse restituto syngrapho declarauit. Namque domo fortè abeunti, cœno sordibúsque inuoluta chartula obtulit sese vltrò, eo loco, de quo ne suspicari is quidem potuisset. Anglus nobilis, ab hæresi iam abhinc biennio absolutus, Louanium cùm accessisset, id in votis habuit, in Sodalium cohortem quamprimùm vt adscisceretur: sed cùm febri ardentissimâ distentus conuenire cœtum non posset, precibus tandem expressit, vt intra priuatos parietes nuncupatâ votiuæ orationis formulâ, se B. MA-

TRI

TARIS obsequijs manciparet. Quod vt maiore animi ardore faceret, coram eiusdem imagine è sacrâ Sichemiensi quercu, quam secum, & in Angliam, & inde rursus huc, non citra ingens periculum asportarat, quantum exhausto iam vires permittebant, erexit, se suáque omnia DEO DEIQ; GENITRICI commendauit; nec multò pòst Sacramentis omnibus præmunitus, securè suauitérque obdormiuit. Fuit hîc ex Iuris & Medicinæ peritorum Sodalitate, in qua die Beatæ VIRGINIS Natiuitati sacro, publicâ eâque celeberrima denunciatione promulgatæ sunt literæ, quibus primariæ Romanæ fuit aggregata. Sed dandum nunc vnius quoque desertoris exemplum, scriptu licet iniucundum, lectu tamen fortè non infructuosum. Is Sodalium bonis honestísque cùm moribus, tum colloquijs ad aciem ordinatam velut classico identidem reuocabatur, at diem ex die trahebat, & tam diu deniq; trahebat, dum imparatum supremus oppressit. Nuper enim haud bene sobrius, ortâ inter nescio quos rixâ, inopinatò plumbea glande traiectus, emotâ subitò mente, nullo pœnitentiæ doloríve indicio miser, ac miserabilis expirauit. Sed nunc ad alia.

III. ANTECINERALIBVS magni, atque insolentes animorum motus in æde nostrâ animaduersi, vt interuallo sacri vnius, facilè septuaginta homines visi sint, qui vberibus lachrymis præ gaudio exundantibus sinus suos & præcordia humectarent: ex ijs verò, qui ad sacram mensam

accesse-

Digitized by Google

accesserunt, sexcentis priorem annum superarunt. Mendicis præter alias alio tempore largitiones, tribus, per hebdomadas singulas, diebus, iusculum haud insipidum, vna cum panis potúsque portione, quæ vni prandio satis esse posset, distributum circiter ducentis. In vsum sacrum templo nostro donati aurei ampliùs etiam ducenti. Materfamilias trium filiarum pudicitiæ cautum volens, eam Nostris auctoribus, D. VIRGINIS custodiæ, recitatâ in eius honorem, ternâ quotidie Dominicâ Angelicâq; oratione, commendabat. Ecce autem quo die fallente memoriâ pio muneri consuetudiníque defuit, in ipsis propè foribus à duobus prædonibus earum vna vesperi apprehenditur, oréque præcluso inter manus per vim abripitur. Actum erat, ni VIRGO VIRGINVM Virgini succurrisset. Vouerat ei puella intimâ cogitatione, si integra domum reuertisset, ad eius se imaginem, quæ hûc in D. Petri miraculis claret, tres cereos staturam. Vix mente votum conceperat, cùm derepentè, nescio quis, incondito clamore horrendum perstrepens, istis harpijs ex animo audaciam, ex vnguibus prædam excussit. Redijt itaque domum longo itinere, & matrem suam, vti de potentissimæ VIRGINIS auxilio lætam, ita de eádem obnixiùs implorandâ, magis imposterum fecit sollicitam.

COLLEGIVM ET TIROCINIVM TORNACENSE.

IV. VNI-

Digitized by Google

IV. VNIVS cuiusdam è discipulis nostris, sanè quàm degeneris, & in pigritiâ, ob animum à studijs alienum, obdormiscentis dignum his annalibus exemplum duxi; Is sibi condiscipuli sui morbum, non ex charitate Christianâ, sed odio vehementi scholarum, quò abesse à lectionibus liceret, identidem apprecabatur; excipiebat tamen vacationum tempus, nam integerrimam tum quidem, ne lusui deesset, sanitatem præoptabat: poterat imprudentia quædam puerilis, nec serium videri hoc votum, nisi habuisset momentum. Quarto enim ante ferias litterarias die, primùm febris ardēs, tum deinde turpis ex eâ scabies adolescentem peruadit, eumq; ingenti fœtore, ac scabie perfundit; omni vt vacationum tempore lecto affixus, faciem vniuersumque corpus fœdis maculis respersus, & voti simul, & corporis sui pœnitētiam egerit. Maior & melior fuit alterius cuiusdam nouennis pueruli sub nostrâ disciplinâ profectus. Hic ab vtroque parente Hæretico natus, atque ex zelandiâ in ludum hunc litterarium à patruo Catholico adductus, bonam fidem cum bonis artibus addidicit, eámque mordicus, licet frequenter à parentibus huc ventitantibus ad defectionem sollicitetur, retinet atque defendit: qui rogatus num abire in zelandiam cum parentibus vellet? quamprimum in lachrymas effusus. *Etiamne*, inquit, *adeò me insanire, vt animam simul & corpus perditum eam? atq; vt insuper me bonis æternis exhæredem? Nunquam fiet.* Hæc Nostri discipuli. Ciues verò, tum viuis Nostrorum vocibus, tum

Digitized by Google

etiam,& multo maximè libellis pijs,ex peregrinâ in linguam vernaculam transuersis multifariam sunt adiuti; quorum simul aliorúmq; amicorum liberali donatione trecenti circiter aurei in templi ornatum ac splendorem sunt cõuersi.

V. TIRONVM nostrorum numerus ad Calendas vsque Octobres intra centum & viginti vix stetit, qui cum difficulter vnâ domo & disciplinâ contineretur, voluntas fuit Maiorum, vt diuisis deinde domicilijs Galli, Belgæ, Flandri distinguerentur: qui partim *Tornaci* remanerent, partim *Antuerpiam* ad veteris Collegij domum commigrarẽt. Ita hæc Tornacensis domus partis vnius factâ digressione, socios nihilominùs retinet circiter nonaginta, quorum veterani septendecim, tirones reliqui. Commodum verò in tantâ incolarũ multitudine id accidit, vti cùm noua domus, eáq; amplissima inhabitanda, nostríque aptanda vsibus foret, inuenirentur inter tirones, diuinâ credo missione, vnus faber murarius, isque architectus, vnus carpentarius, vnus scriniarius, vnus carrucarius, vnus tegularius, qui dici nequit, quanto nobis fuerint id temporis adiumento. Templi huius auctor est, & conditor Illustrissimus Comes de Warfuze, Fratris nostri Ioannis de Renesse, in ipso tum Tirocinio versantis germanus. Iacta sunt fundamenta IV. Idus Apriles. Adfuit ad eam diem, cum multa nobilitate ipse Illustris. Comes, qui post solennem loci sacrámque lustrationem, summa omnium aggratulatione primum lapidem suffundauit. In eo hæc erit inscriptio.

PAV-

Digitized by Google

PAVLO V. PONT. MAX. PHILIPPO III. HISP. REGE. ALBERTO ET ISABELLA ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ, BELGII PRINCIPIBVS. CLAVDIO AQVAVIVA PRÆPOSITO GEN. SOC. IESV. FRANCISCO FLORENTINO PROVINCIÆ BELGICÆ PRÆPOSITO PROVINCIALI. ILL. D. RENATVS DE RENESSE VICE COMES DE MONTEGNAKEN. BARO D' ELDEREN ET RENESSE. HVIVS TEMPLI FVNDATOR ME PRIMVM POSVIT. A. D. M. DC. IX. DIE IIX. APRILIS.

Ibi deinde res diuina, faciente Præsule cœnobij D. Martini sub militari Hispanorum huius vrbis Præsidiariorum tentorio, vbi pridem magnificentissimum altare erectum erat, fuit celebrata. Successit breue, & tam ad rem præsentẽ, quàm ad tempus, quo CHRISTI passi memoria recolebatur, peropportunum dramation. Fuit enim de erectâ in Indijs Cruce Domini, à Zamorino Calecutij, & Malabarum Rege, déque templi isthic ædificati suppositio ab eodem rege primo lapide: Nec dici facilè potest, quanto omnium tam Nostratium, quàm Hispanorum applausu res ea fuerit excepta. Parietes interim Iuuentutis Tornacensis ingenia varijs emblematis pro tempore, & loco accommodatis ostendebant: nec super mensam silebatur, vbi accumbentibus cum Illustriss. Comite & Præsule Capitibus Ordinis Senatorij præcipuis, Tirones Nostri diuersis linguis perorantes libentissimè sunt auditi.

Digitized by Google

COLLEGIVM AVDOMARENSE.

VI. AVDOMAROPOLI in patriâ suâ vitam clausit Gothardus Pigache, rerum domesticarum administer formatus, postquam annos in Societate triginta duos, in omni vitâ sexaginta vnum exegisset, cui felix & læta sit immortalitas: pro quâ Nostri Audomarenses reliqui, strenuè adhuc dies noctésque desudant. Ea iam vulgò de scholis nostris per Caletes vicinámque Poloniam fama percrebuit, vt nullus credatur magnos fecisse in litteris progressus, qui alibi quàm in hâc vrbe earum iecerit fundamentum. Duobus florent præclaris seminarijs, altero Bertinianorum, Anglorũ altero: in illo alumni ferè quadraginta degũt, in hoc centum viginti. Præest istis vnus è cœnobio D. Bertini Religiosus vir grauis & eruditus, cuius cœnobij Antistes idẽ est & seminarij istius, & collegij nostri auctor: his præfecti sunt Patres Societatis. Erat hîc & alia Latinitatis SCHOLA, vulgò BONORVM PVERORVM appellata, ea his vltimis Remigialibus, transmissâ in Nostrum Gymnasium iuuentute, esse desijt, vt numerentur iam discipuli in scholis quinque circiter septingenti. Neque sepelienda cũ corpore optimi Curionis huius vrbis nuper defuncti memoria, qui vt de paruulo suo ære collegio nostro bene, & Gymnasio faceret, vtrìq; singulos aureos centenos testamento legauit: Is est (vt grati de mortuo simus) D. Florentius

rentius de Thilloy in D. Dionysij Parochus: cuius Epitaphium inter cęteras laudes, illam verissimam & maximam habet.

- - - - - - *Cui pestis quinà pepercit.*

Cùm enim curionis personam annos triginta rumore optimo sustinuisset, à peste semper immunis fuit, quamuis ea interim quinquies gregem depopularetur, à cuius tamen fideli custodia & curà nunquam sese pastor vigilantissimus subduxit. Virgo quoque egregia, Nostris confiteri solita, gratias non exiguas à nobis accipere meruit. Hæc sub ipsum nuptiarum tempus desiderio vitæ perfectioris occupata, magno animi feruore nuptias Agni exambiuerat. Quare torquem aureum aliáque nuptiarum monilia collegio, annulum coniugalem B. VIRGINI, semetipsum DEO castitatique consecrauit.

VII. EMISSI sunt ex hoc collegio Sacerdotes duo in Belgij Galliæque confinia, nullis adhuc aut raris Nostrorum excursionibus lustrata, vbi tam auidos támq; insatiabiles diuini pabuli auditores reperêre, vt Patres ex pago in pagum alacriter sequerentur euntes. Admirationi verò passim, tam pastoribus, quàm ouibus hoc potissimùm fuit, quòd Sacerdotes nostros neq; propter madidas vestes exsiccandas, neque propter cibum sumendum, inducere in domum aliquãdo potuissent, sed eos viderent harum commoditatum negligentes, pagatim velut ad ingentem prædam circumcursare.

Digitized by Google

COLLEGIVM DVACENSE.

XIX. FVNERA duo habuit Collegium hoc: P. Georgium Colibrant, patriâ Mechlinienſem, quatuor vota profeſſum, & M. Iacobum Poupil Argentinenſem, prodigioſæ memoriæ Iuuenē, optimum Religioſum. Prioris integritas, diuturni labores, & præclara in Societatem merita, longiorem aliquanto requirunt narrationem.

Fuit itaque P. Georgius noſter vitæ ſanctimoniâ, & morum ſuauitate omnibus apprimè gratus, & in quo ad vitæ religioſæ perfectionem nihil admodum deſideraretur. Quotidiè à nonâ ad horam noctis decimam, de quatuor nouiſſimis meditabatur, cui meditationi alternis diebus corporis ſeueriſſimam verberationem, ferè quadrante horæ ſubijciebat; alternis cilicium, tam pro ſuis, vt aiebat, quàm pro ſuorum pœnitentium delictis geſtabat. Neminem præter ſe, contempſit, nullius laboris, ad extremam vſque ætatem fugitans. Confeſſionibus excipiendis vnicè addictus: quo miniſterio, iunctis ad Sodales exhortationibus, & ſanctâ quadam ſimplicique agendi prudentiâ, longè plurimos tum ad meliorem frugem, tum ad varias Religiones, præcipuéque ad noſtram Societatem perduxit. Nihil habuit in ore frequentiùs, quàm quo munditiem cordis ſui, rectam animi intentionem monſtrabat: nimirum: *Ad vitam æternam*; Hæc verba in omni vbique con-

Digitized by Google

congressu ipsius prologus, hæc Epilogus erant. De laboribus verò suis, si quis ei alicubi sermo necessariò foret, eos *pueri lusum* contemptim vocitabat: atque in extremâ luctâ cùm superior suggereret, CHRISTVM pro sanitate nostrâ noluisse esse sine vulnere; *Ita*, inquit, *mi pater & pœnitentiæ quidem meæ præteritæ, lusus puerorum sunt.* Nunquam de re vllâ conquestus est, nisi quod delicatiùs in morbo haberetur: difficultérque, quamuis infirmus, cibos extra ordinarios admittebat. Si quis pullos, perdices, alia loqueretur, haud ei amicus erat, quas delicias alijs, qui magis indigerent, dicebat reseruandas. Ad superioris nutum nunquam non fuit paratus. Pietas porrò in eo viguit eximia, & siue in sacro faciendo, siue in fundendis orationibus, plena feruoris, plena submissionis, illum manus erectæ, hanc ceruicis inclinatio testabatur. Et clariùs ea emicuit, cùm toto morbi tempore, tum in extremæ vnctionis administratione; præsertímque in vltimo pœnè mortis articulo, in quo cùm frequentiùs alteram manum (vtramque enim nequibat) sursum attolleret, rogatus, si quid esset, quod se cruciaret; *Nihil*, inquit, *offero DEO meo, exiguos istos, quos nunc patior, dolores.*

Neque minùs suam in DEVM fiduciam, quàm pietatem declarauit. Si quid eius precibus commendares, *bene sperare te iubebat*, & si momenti res esset, non solas preces, sed flagellis & ciliciis comitatas, vsurpabat: quod ipsum, si cuius salus in discrimen vocaretur, aut frequen-

Digitized by Google

DEO lucrari contenderet, obseruabat. Ita sæpenumero res magnæ felicem exitum, huius ad DEVM allegatione, fortiebantur. Luctatus est bonus Pater duorum annorum spatio cum acutissimis doloribus, patientiâ semper inuictâ, & nunquam loco cedens. Cruciatuum caussas (quos ingentes tolerabat) nulla medicorum ars, (nisi postquam demortui corpus rimati sunt,) quiuit attingere. Cùm ipsi interea castigationum sui rigorem superior interdixisset, solitus erat dicere; *corporis quidem affligendi licentiam adimi sibi, sed DEO nunquam deesse, quos infligeret dolores.* Sex ante mortem septimanis aurigine, seu morbo regio laborauit, sub cuius initia fratri suo, *(supremam hanc sibi fore infirmitatem* (quando & exactâ de totâ vitâ confessionem instituit) significandum curauit. Inunctus sacro Oleo, ad Nostros, qui omnes aderant, vltima verba fecit; in quibus notatu illud dignissimum, quòd eam animi demissionem, quam vitâ semper, & moribus adhuc professus fuerat, tum multò maximè præse tulit. Gratias scilicet DEO Opt. Max. identidem agebat, quòd in sanctam hanc Societatem se vocasset, in ea sustinuisset; *se nimirum* (quod sæpiùs repetebat) *tanto beneficio indignum.* Et illud Dauidis addebat: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* tum hoc: *Serua Domine misello tuo aliquam misericordiæ tuæ particulam.* Multis eius *Benedictionem* (vt loquebantur) petentibus, eam quidem, sed cum modesta semper suæ indignitatis præfatione, impertiuit; Magistris

Digitized by Google

gistris autem magno animi feruore atque alacritate triplicem dedit. Vixit annos omnino septuaginta; in Societate quadraginta; à Professione vndeviginti. Litteras Græcas, in quibus excellenter versatus erat, multos annos docuit; plures studijs omnibus, & Sodalitati præfuit, idq; maximo & iuuentutis emolumento, & scholarum bono. Cum frequentibus vicinâ morte paroxismis imperitus agere animam videretur, Nostróſq; identidem ad orandum acciret, tandem paucis ante obitum horis, cùm vox & vires deficerent, vi adhibitâ vehementer *dolere sẽ* dixit, *quòd socios toties frustra fatigaret, sẽ iam, vel dies quindecim per vires posse superesse*, cui cùm aliquis bono vt esset animo insusurraret, spem esse, eo ipso die aliquoties pro eius animâ rem diuinam factum iri; tunc ille lætitiâ gestiens; *Ita*, subdit, *ita fiat*; nec plus tribus horis dilato potitus est voto. Tum, vt feruor vnumquemque agebat, manus, pedes, caput oscularj; barbæ aut cani verticis pilos sibi acquirere, thesaurique loco habere. Quod ipsum vir illustris, per eos dies B. P. Nostri Asceticis vacans, piè est æmulatus.

IX. SVBIICIAM statim beatæ Patris huius morti aliam discipuli cuiusdam nostri, ex Hybernia oriundi, multò quidem funestiorem. In infima classe Grammatices litteràs addiscere cœptabat optimus adolescens, in quem cùm aliquando non procul ab vrbe incidissent latrones tres, noctis obtecti tenebris adoriuntur, eumq; crudeliter confossum in scrobẽ, regestâ temerè terrâ demergunt, immaniterque proculcatum, & ad-

Digitized by Google

huc spirantem sepeliunt. Ex eâ nocte, quæ fuit Decembris Anni CIↃ. IↃC. IIX. vigesima septima, ad decimum Ianuarij, omnibus vbi esset, ignaris, integro ibi incorruptóque corpore mortuus delituit. Repertum tandem cadauer, manus paululum ex terra extantis indicio, certísque signis agnitum, ab Hybernis dies aliquot est asseruatum. Erant labra rubentia, genæ viuaces, oculi propè viuentis, fœtor nullus, immò ex pectoris vulnere vno atque altero die purissimi sanguinis guttæ aliquot stillauêre. Auxerunt stuporem, quod dies ipsos quindecim aurâ Martiâ, subtepidâ & humidâ defossi membra omnia lenta & mollia, neque minùs, quam si viueret, flexilia fuerint. Sacræ Theologiæ Doctor, qui viuo triginta asses quot mensibus suppeditabat, post fusas ad DEVM preces, iugulati manum est osculatus. Nam eius Sanctimoniæ id miraculi tam ipse, quàm cæteri, qui eum nouerant, adscripsêre. Singulari erat in ægros charitate adolescens, insigni modestiâ, fide tantâ, vt cum eius consanguineus Londini in Angliâ mercator, omnium bonorum hæredem scribere eum vellet, si fidem dimitteret, maluerit dimittere hæreditatem. Cœdis auctores vno post patratum facinus mense deprehensi, pœnas dedêre.

X. SODALITATES omnes cum scholis feruent, & florent. A multis è flore ciuium efflagitatum subinde magnâ sollicitudine, filioli eorum in Sodalitium, quod ab Angelis nominamus,

Digitized by Google

mus, vt adoptarentur. Mouit optimos parentes horum Sodalium illustris pietas. Ex his pepigêre nonnulli cum domesticis, vti se domi præsentibus nemini alij stipem ferre pauperibus, quàm sibi liceret. Quidam pueros proforibus mendicantes, præter stipem ordinariam, doctrinâ formandæ Crucis, aliorúmque Christiani hominis rudimentorum Eleemosynâ donauit, his maiora se daturum pollicitus, si aliàs gnari, atque obseruantes horum reuerterentur. Magna meo iudicio sunt hæc in tam paruis. Exercitia B. P. Nostri complurium torpentem in via salutis spiritum excitarunt: quorum iuuenis vnus, cùm parentibus ob insolentiam vitæ esset admirationi: *Quid*, inquit; *Admiramini? Dæmon ipse in istorum Patrum manibus conuerteretur ad meliora.* Cúmque feruentis propositi æstu alia omnia, quàm priùs egerat, promitteret, ipsum permouit iam grandæuum parentem, eandem vti culturam experiretur: Quin & Rustici aliquot sub eadem disciplina profecêre. Vir quoque grauis, & nomine & officio Ecclesiastico celebris, discedens ex hac schola, aureos centum Eleemosynam Collegio reliquit. Appensa in templo diues admodum Tabula, in qua imago B. ALOYSII GONZAGÆ nobilis pictoris manu effigiata; ad cuius aspectum multorum incaluit Religio, vt cereos virgineos in amoris pignus Beato obtulerint.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

XI. Dvo sunt Antuerpiæ domicilia, quorum vnum geminato cõtubernio septuaginta vnum continet, partim veteranos, partim Tirones. Alterum domicilium siue collegium quadraginta sex complectitur. Iam de priori. Adauxit huius habitationis spatium adiecta area, cui cingẽdæ aula, coquina, triclinium à fundamentis ad culmen hoc anno assurrexêre. Est autem ea ædificatio centum quadraginta pedes longa, quæ tam foris collegij frontispicio splendorem, quã intus varijs porticibus, atque ambulacris distincta & suffossa penuarijs, magnas officijs domesticis commoditates præstat. Excipiendis hîc cõfessionibus vix assidui septendecim Sacerdotes sufficiunt: diebus solemnioribus, cùm & alijs in templis, Curionum rogatu, audiendæ sint, vix triginta.

XII. INTEMPERIIS agitabatur mulier diabolo ludibrium, quem pullâ veste amictum, loculos auro turgidos nominibus æris alieni dissoluendi ceruicali subiecisse affirmabat; insania mulieris apparebat, aurum nusquam: & addebat, se blandè inuitari, vt vel currum contenderet, vel in aquas se præcipitaret, aurigâ, aut vrinatore genio vsuram, ituram quò vellet. Maritus, memor se Nostrorum nuper auxiliante manu consilijsque vsum, per Sacrum Eucharistiæ pharmacum corporis animique ægritudinem euasisse, ad no-

tam

tam opem recurrit, implorat, impetrat. Vxor confessione lustratur; & spectrum denuò quidē ostendit se, sed eminus, sed elingue: mox iterato expiatu, post appensam collo cerei Agni bullam præstigias videre desijt. Tres Moniales quas Conuersas nominant, cœnobij apud Belgas non obscuri, cum pertæsum esset vitæ religiosæ, inaudito furore percitæ, viam esse putarunt molestias effugiendi, si per calumniam nomen suū, & septem sororum ad Iudices de magiâ deferrent. Quæstionibus habitis stabant pertinaces, ergo à Magistratu ciuili mors imminebat, & multò magis cœnobium deflagrâsset infamiâ, quàm ipsæ flammâ, nisi arte Nostrorum effectū esset, publicâ vti voce testarentur, se dicta omnia indicta velle, se sibi aliisque crimen falsò impegisse, se non iam pro magiâ, sed pro calumniâ expiandâ meritas capitalis supplicij pœnas dare: quæ verò huius incendij fax, & turbo fuerat, ea, vt in suo vnius capite, tam flagitiosæ factionis atrocissimâ animaduersione exemplum ferret, enixè à Iudicibus contendit, & tametsi repulsam tulerit, tamē hoc etiam illustre inter alia signum dedit animi verè flagitium execrantis. Appulit ad nostros è Germaniâ nobilis virgo profuga cœnobij, quod gubernabat. Fugam suaserant perditi Monialium mores, quibus ad bonam normam frugémque reducendis frustra operam posuerat: maior erat remedijs vis mali, & auxiliarem manum trahebat potiùs quam sequebatur. Ergò è fluctibus in portum se subduxit, in arctiorem Religionem cōuolauit, vbi nunc non maio-

Digitized by Google

maiore animi submissione, quàm pace iugum fert, quæ imperare assueuerat. Eandem Nostrorum diligentem operam experti sunt alij quoque Religiosi ordines. Antistes noster collapsam in quodam monasterio disciplinam reparare aggressus, auspicatissimum rebus gerendis auspicium fore duxit, si à sacris Exercitationum nostrarum commentationibus singuli exordirentur. Accessit item vrbi cœnobium Virginum, quod vocant *Annunciatarum*; suasu Nostrorum, atque operâ ea colonia huc deducta est è Monasterio Louanienſi fama sanctitatis per totum Belgium celeberrimo.

XIII. MAGISTRATVS Antuerpienſis sollicitè admodum iuxta nobiscum curauit, viditque, ne quid detrimenti per hasce duodennes inducias cum Hollandis, ex confinio commercióque Hæreticorum Respub. & Christiana Religio caperet. Frequentabatur vicinum oppidulum per dies festos à ciuibus Antuerpienſibus. Ibi non minori bonorum offensione, quàm malorum frequentiâ conciones hæreticæ audiebantur. Ergo exemplum statuit Senatus. Decanum, vt vocant, opificij mechanicorum, ob Sacramenti de fide Romana sanctè retinendâ dicti perfidiam, officio submouit, & pœnis propositis vetuit, si quis auriga nautáve operam suam transuehendis ad conuenticula Hæreticorum ciuibus locaret. Illud perilluſtre, non in Fide duntaxat, sed & in nostra tranquillitate conseruandâ ac propulsandâ testimonium. Noctu Iconoclastæ, nescio qui, non ferenda licentia detrũcauerant

Digitized by Google

cauerant manum sceptrigeram tutelaris D. VIRGINIS, quæ pro foribus nostris, edito loco, magnifico in puluinari consistit: alteram item manū statuæ ligneæ Marianæ, quæ in medio valuarum poste, velut ad salutandū intrantes, foribus præesse videtur. De hac re ad Senatum consules retulerunt. Senatusconsultum factum est, & solemni ritu publicatū; *si quis auctorem proderet, præmij loco sexcentos aureos habiturum: criminis item socios, si conuiciatores proderent, facinus suum impunè habituros, idem præmium ablaturos.*

XIV. NVMERVS puerorum doctrinam Christianam sexdecim in vrbe locis apud nos discentium, si ad calculum reuocetur, exæquat facilè summam auditorum quinque millium. Narratum erat exemplum orationis ante somnum præmittēdæ, quatuor sorores audierant, sub noctem ad idem cubile conuenerant, oratum est à tribus: quæ cum quartæ persuadere non possent, idem vt ageret, à blanditijs ad vim versæ, è lectulo, vbi decumbebat, reluctantem abstraxerunt, & communibus minis denunciārunt, non passuras se, vt communi in loco somnum caperet, quæ nollet cum ipsis habere DEVM precandi consuetudinem.

XV. HORIS locisq; diuersis aliorum atq; aliorum Sodalium conuentus sex habentur. Est & noua præ manibus Sodalitas, quę magno ambitu expetitur, puerorum mechanicorum, qui vitæ annum decimū & sextum non excesserunt. Istorum omniū iam moribus receptum est, vti deferendam ad ægrotos Sodales Eucharistiā octoni

denique

denive cum facibus præeant, multi deducant. Fuit, cùm quadraginta terniones longo agmine pompam Sodalitati honorificam, Catholicis iucundam, Hæreticis inuidendam facerent. Soror vnius à medicis depoſita animam agebat. Rogat ille & hortatur, ſpem ſuam vti reponat in Matre Viuentium, & aſſulas quercûs Aſpricollinæ, tot iam miraculis decantatæ, poculo intritas hauriat: hauſit, & quæ ſub ortum ſolis occaſura videbatur, ſole occumbente ſurrexit. Cæterùm, quæ horum aliorúmque in Gymnaſio diſcipulorum noſtrorum indoles, pauculis iuuat exemplis cognoſcere. Vnus Xaueriani æmulus facinoris, vt bene verteret, quòd Sodalitio B. VIRGINIS Angelico nomen dediſſet, ter ſune circumacto fidem DEIPARÆ obligauit, ſeſe hoc baltheo, lumbos obeunte, ſtrenuum ſub ipſius ſignis militem fore. Mox tamen attritis lateribus, exulceratâ cute, aſperior fuit dolor, quàm ferrent tantillæ vires: poſt trimeſtre ſpatium rem apud Magiſtrum cum fletu depoſuit; quæſiuit, num mitiore cruciatu acerba tormenta redimere liceret? E veſtigio Magiſter inolitum ſanguinolentæ pelli reſtem cultro abſcidit, monitúmque, ne inconſulto dehinc Confeſſario in ſemet animaduerteret, dimiſit, & gloriosâ puerilis ſanguinis purpurâ funem, pietatis trophæum, domi ſpectandum dedit. Alium inflammauit Magiſtri narratio de heroicis geſtis Diuorum, qui piâ auſteritate in ſe crudeles fuerant. Vix ſcholâ egreſſus calceos acutis ſcrupulis impleuit, donec plantis exulceratione tumefactis,

Digitized by Google

factis, parentis gressum impeditiorem notantes, acerbam pietatem viderunt, stupuerunt, vetuerunt. Ille idem accensus desiderio adumbrandi depictam à Magistro B. Elisabethæ reginæ modestiam, fecit, quod etiam de B. ALOYSIO traditum accepimus, saliuam vsque eò in templo retinuit, vt animo linqueretur. Magistro æstu quodam dicendi in obscœnorum dictorum factorúmque turpitudinem, ac pericula inuecto, decem assurrexerunt virginali innocentiâ pueri, qui vultu pudore rubenti, turgentibus oculis, vltrò se de exilibus accusarent, meliora sponderent. Eò libentiùs & diligentiùs narrauimus ista, quod ostendant, non modò quid iuuentus in scholis nostris præter litteras condiscat, sed etiam quantum boni ex arreptâ sæpe occasione Magistri præstare possint, si velint: immo velle ex instituto nostro debeant, si possint.

XVI. LYRA vicinum huic vrbi oppidum est. Eò Sacerdotes nostri per octiduum venerabili Eucharistiæ sacrum excurrerunt, itáque rem gesserunt, vti publico nomine per vtriusque magistratûs capita gratiæ actæ, & benuolentiæ tesseræ, vinum sit oblatum. Sed illud ne denique sileatur. Quidam multis annis Noster, ne in eâ vrbe stationem haberet, quò ab obedientiâ destinabatur, caussatus aëris intemperiem, maluit à Societate, quàm à sententiâ discedere. Ergo missionem Antuerpiæ à R. P. Prouinciali impetrauit. Certior de hac tergiuersatione redditus militiæ tribunus, quo familiariter aliquando vsus

Digitized by Google

sus erat, ad eum dentatas sanè expediuit litteras, in hanc ferè sententiam. *Et ego abdico amicitiam nostram: qui enim te amare possum, qui à sancta SOCIETATE abijsti, propter quam te amaui? Miser! vtinam tu quidem à me exempla sumpsisses, moriendum potiùs esse, quàm maioribus repugnandum. Ego id ætatis, & tot in Rempub. meritorum vir breui spatio quater sedem mutaui; & nunc in eâ arce, quam insalubribus circumfusam stagnis vidisti, ita dego, vt mihi & vxori meæ vix Antrum subterraneum pateat declinandis auræ iniuriis. Ita nos quidem sereniſsimis principibus, quod etiam mihi exprobrare solebas, leui mercede parendum putamus: tu pro æternâ gloriâ ad vllum obedientiæ imperium difficilis esse potuisti?*

COLLEGIVM LEODIENSE ET MISSIO MAZECANA.

XVII. VIXIT è Leodiensibus Pater vnus Ioannes de Monceaux, Bapalmensis, anno ætatis circiter trigesimo tertio, aditæ Societatis decimo tertio. Græcas litteras, quarum apprimè sciens erat, cùm alibi, tum hìc, annos aliquam multos cum laude docuit: exinde in catechesi, & confessionibus totus fuit: Instituti ad mortem vsque semper obseruantissimus. Antiqua est Leodij consuetudo è singulari ciuium in D. VIRGINEM amore nata, vti per totum eius in cœlum Assumptæ octiduum, certæ Litaniæ cum pijs canticis coram statuis eiusdem DEIPARÆ, quæ tota vrbe plurimæ, ac propè omnibus in vicis conspiciuntur, multis accensis luminibus

minibus publicè, atq; in propatulo à pueris sub noctem, vnà cum eis flexis genibus supplicante multâ hominum turbâ, concinantur. Eiusmodi statua, cum propè à collegio nostro ijsdem honoribus afficeretur, visum est P. Rectori aliquẽ è Nostris per eosdem dies mittere, qui, peractis precibus ordinarijs, pium aliquod exemplum, sublatâ voce pronunciaret. Sic multitudo, pietas, fructus, attentio accreuêre.

XIIX. Ex Discipvlis nostris (quorum ducenti admodum, & mille numerantur) triginta quatuor eóq; plures in varia cœnobia se receperunt. Ex Nostris Sacerdotibus in pagos & oppida sacræ messis colligendæ gratiâ exierũt subinde aliqui. Per complures pagos, tam Nostrum, quàm alienos veneficia maleficarum grassabantur. Ea solemni supplicatione, & cõsuetis Ecclesiæ ritibus, crucibúsq; ad extremos quatuor pagi nostri angulos surrectis, auerruncata. Sagæ ipsæ in quæstionibus & tormentis vim remedij sunt confessæ. Nulli proinde in agro nostro nefandi postea cõuentus, nullum adhuc à grandine & tẽpestatibus (quando vicinis plurimum offecêre) fuit detrimentum. Tum verò cicurati Nostrorũ consuetudine pagani, ac planè syluestres homines, vt iam scõmata, quibus principiò eos exceperant, mutârint in summam beneuolentiam.

XIX. Mazecanæ expeditio aliquot iam annis intermissa, rogatu Sereniss. Principis Leodiensis fuit resumpta. Ex eâ vero perspectũ atq; intellectũ prẽcipuè est, quantũ vnius duorúm ve piâ cõtentione serióq; labore, quàm breui spatio

Digitized by Google

tolli ex vrbe aliqua, siue publicarum, siue priuatarum dissensionum possit.

COLLEGIA TRAIECTENSE ET BRVGENSE.

XX. SIMILLIMA Traiecti & Brugis accidêre, si inter paucula excipias P. Ioannem Regem Helmontanum, cui illic natura & senium vitam ademit: septuagenarius enim erat, quatuor vota professus, Rectoríque munere aliquando non sine insignibus virtutum ornamentis perfunctus. Instituta vtrobique hoc anno Sodalitas, cui Angeli, & nomen dedêre, & normam viuêdi ingenti pueritiæ cum emolumento. *Eius est, quàm decentissimè sacris operanti ministrare: modestiâ, diligentiâ, pietate discipulis anteire: Angelos Custodes eorúmq; Reginam cultu, atq; obseruantiâ sedulò venerari.* In hanc adleguntur duarum postremarum Grammaticæ Classium pueruli, præcipuâ indole morúmque gratiâ commendati. Dederunt auspicium PP. Rectores nostri rem diuinam apparatu solemniori facientes, adhibito musicorum concentu, & pueris Angelico schemate præsentibus; tum deinde alia, quæ solemnitatem auxerant, addidêre. Quàm eximia in his eluceat Angelorum imitandorum cupiditas, testatur mirifica eorundem ad omne genus obsequij alacritas, exactáque inprimis legum suarum obseruantia. Inuisêre Traiectenses ægrotantem vnum; ibi de piæ historiæ narratiuncula ad le-

Digitized by Google

ad lectionem Thomæ de Kempis ventum: rogatus à Sodalitij Rectore infirmus (nam & ille tum fortè superuenerat) molestáne esset lectio? *Neq; si ad noctem*, inquit, *extendatur gratissima iucundissimaque est*: moxque ad matrem conuersus: *Emendus est mihi mater hic libellus.* Parthenij Brugenses à R. P. Prouinciali nostro, beneficij singularis loco, vt hebdomadariam ipsis exomologesin permitteret, expetiuêre, & iure quodam pietatis impetrauêre. Catechistæ autem discipulos mirificè excitant, libellus triplici linguâ editus, Latinâ, Gallicâ, Flandricâ, iunctis vnà musicis notulis, quo Christianæ doctrinæ institutionem iuuentus suauiùs libentiúsque discat, Sirenum modulos dediscat.

XXI. CONCLVSVS adhuc ciuili bello, intráque mœnia coarctatus Nostrorum labor, hâc tandem æstate per inducias libertatem in pagos oppidáque vicina recepit. Ingens vbique fructus. Brugis verò vrbe totius Flandriæ pulcherrimâ olímque florentissimâ triumphatum præcipuè, diésque illa promulgati fœderis solemni in templo nostro & modulata gratiarum actione, nox illustribus ignium spectaculis est excepta. Magna etiam fuit vtriusque vrbis in Nostros beneuolentia, & in promouendis ædificijs, quæ vtroque in loco strenue exurgunt, liberale auxilium. Traiectenses, etsi multo milite aliísque oneribus aggrauati, tamen præter magnam lapidum vim, in templi fabricam quingentos aureos attribuêre. Venerandi Canonicorum in D. Seruatij Decani ad numerum cen-

Digitized by Google

tum quinquaginta aureorum antè collatorum, & alios centum hoc anno, & sexaginta insuper tegularum millia adiecerunt: quin & altare nobis mille circiter aureis æstimandum compromisêre. Brugis vnus in noui templi ædificationem aureos legauit ducentos. Scholarum structura ampla sanè & augusta, iam ad culmen est perducta. Quam in rem magistratus Brugensis aureos mille, Franconatensis mille bis addixerunt.

COLLEGIA IPRENSE, CORTRACENSE, GANDENSE.

XXII. In His quoque collegijs non minùs bonas & beneficas Nostri quondam senserunt manus. Fuit pauperculus, qui in Iprensem fabricam buculæ pretiũ vltrò offerret. Virgo nobilis, & pietati in æde nostrâ egregiè addicta, dum sese religiosæ cupida paupertatis D. Claræ familiæ sociam aggregat, collegio aureos quingentos eleemosynam reliquit. Cortracense ædificium apicem habet. Fuit in istud magistratus vtriusque egregia benignitas; siue vrbani, qui omnes ædificio fenestras pollicitus est; siue agri Cortracensis, qui non mediocrem summam liberaliter obtulit. Voluptati verò Nostris omnibus Cortracensibus fuêre præsidiariæ Hispanorum cohortes, qui hebdomadâ sanctâ inter ponenda nouæ domũs fundamenta alacri labore terram certatim effodientes, præeuntibus è præcipua nobilitate duobus, insigniter suam in

Nostros

Digitized by Google

Nostros beneuolentiam declarauerunt. Quorum & aliàs mirifica semper, quamdiu hîc statiua habuêre, morum modestia, aduersus ciues amor, in templis adeundis diligentia emicuit. Itaq; non tantùm reuerentes Societatis nostræ, sed etiam amantes, sed etiam munifici fuerunt; non exiguam enim stipendiorum partem, cum hinc reuocarentur, collegio adscripserunt. Gandauiensis collegij vectigal creuit censu ducétorum aureorum, præterquam quod angustiæ domesticę mille hoc anno aureis aliũde sint subleuatę. Reliqua trium istorum collegiorum, tribus, quod dicitur, verbis expedire expedier.

XXIII. QVÆ Sodalitas Angelorum Traiecti, Brugis, alibi hoc anno vtiliter est instituta, eadem etiam Ipris, auspicium & faustam apprecationem dante R. P. Prouinciale nostro, initiũ sumpsit: fuitq; vnus è mortalibus istis Angelis, qui festiuis diebus, veritus, ne aliqui ex condiscipulatu suo diuini officij tempore aliud agerent, sacculum libellis precarijs plenum ad classem deportaret, mirantique & causſam scisciranti Magistro responderet; *id eò se facilitare, vti carentibus ad piam lectionem commodaret.*

Cortraci iuuenis quidam erat, viginti tres circiter annos natus, qui nullo parentũ amicorũmque hortatu ad SS. Synaxin induci poterat: Venit Sacerdoti nostro in mentem illa D. Augustini quæstio; *Quid esset causæ, quam ob rem homines nihil malum habere vellent; non terram malam, non segetem, non equum, non suem, &c. alia omnia bona, solum animũ malum?* Connictũ se hac ratione

fassus est adolescens: exomologesin instituit, ad cœleste epulum abijt, inde ad Confirmationis Sacramentum lœtissimis parentibus sese accinxit. Gandaui puella quædam menses nouem, mentito habitu seruus credita, nobili viro pellicem agebat, quæ cum huc illuc liberè sub eo schemate vagaretur, in vnum è Nostris bono casu incidit, à quo in vitam sinceriorem reuocata, pro cultu adulterino religiosam nunc personam meditatur. Alia (& Zelotypa hæc erat) in quodam cœnobio detenta, proprijs criminibus exitium sibi molita è trabe iam pendebat; cùm inuocatæ DEIPARÆ nomen, quod pendulæ fortè exciderat, etiam inuitæ vitam præstitit, nodóq; tortili dissoluto, confessioni & pœnitentiæ locum dedit. Tantùm potest pia consuetudo.

COLLEGIA INSVLENSE ET VALLENCENENSE.

XXIV. ARGVMENTA non exigui fructûs ex vtroque hoc agro reportati hæc sunt. Insulis quidem Sodalitas Parthenia cum Rhetoribus vniuersa hoc anno totius vitæ rationem & cõfessionem instituit: Vallencenensis minor discipulorum, sub titulo ASSVMPTÆ VIRGINIS, per diploma Pontificium nũc primùm allatum Romanæ est aggregata. Maior in corpus suum coooptauit vrbis Prætorem, haud multò pòst Patronæ suæ opem in rebus difficilibus expertum. Hìc iterum (Senatûs Prætorísque maximè operâ, qui tertio postquam renunciatus esset, die ad colle-

Digitized by Google

collegium officij caussà venerat, atque à P. Rectore, num quid publicè emendatum vellet, postularet) hîc, (Vallencenis inquàm,) & catecheseos vigor sustentatus, & sacrarum imaginum instauratio susceptа: hæc enim duo Noster præ ceteris commendârat; illic *Mons pietatis* iam tandem magno Insulensium bono atque exultatione erigi, bonáque donatoris, quorum precium sit octoginta millium aureorum, diuendi cœpta: sic vt citra vllũ fœdus, aut fœnus mutua tenuioribus pecunia concedi possit. Hic præterea subulcum paganũ inter alios traxit catechistes noster, quem tanta habuit audiendæ sacrę lectionis cupiditas, vti collegæ suo subulco aliquam assis partem dederit, qui gregem, dum ipse abesset, interea temporis solus curaret: isque iam in siluæ recessu, instructo in ædiculæ modum tuguriolo ceteris subulcis vitæ, doctrinæque exemplum est: illic tantùm effecit concionatorum alacritas, vt omnibus ferè Dominicis & Festis diebus ampliùs mille ducenti Sacrosancta Pœnitentiæ & Eucharistiæ mysteria frequentent. Hîc denique templo accessit elegans concameratio; collegio autem in sumptus extructi pontis ab Senatu aurei quingenti attributi: illic octoginta aureorum millia in ædificationum molem liberalissimè à Magistratu impensa.

COLLEGIA MONTENSE ET BERGENSE.

XXV. TIRO Societatis Antonius Bosquet

Digitized by Google

sui probandi caussà ex Tornacensi in Montense collegium missus, febrim ibi ardentissimam, & inde phrenesin reperit mortiferam. In isto verò adolescente disci potuit, quàm imbibita semel animo pietas, nulli neque morbi molestiæ, neque mentis alienationi concedat; adeò nihil, quod casto pudori, nihil quod reuerentiæ superiorum aduersaretur, in decemdiali illo animi errore vnquam commisit. Ad quatuor ferè duntaxat nomina, IESVS, MARIA, IGNATIVS, XAVERIVS oculis sursum sublatis erigebatur. Porrò extremæ vnctionis hîc etiam resplenduit virtus, quando inter eam perpetuò à mente abductus, mox eâ peractâ mentis compos articulatè loqui, respondere, veniam culparum ab omnibus postulare, votorum nuncupationem totis votis exposcere, eorum formulam, præeunte P. Rectore, ea pietate hilaritatéque animi, quæ lachrymas circumstantibus eliceret, recitare. Horas aliquot ea felicitas in viâ perdurauit, nunc, vt speramus, æterna est.

XXVI. IACTA sunt in hâc vrbe fundamenta (etsi non per Nostros, consilijs tamen Nostrorum) puellaris institutionis, quippe nonnullæ virgines opibus iuxta ac pietate florentes, quem frequentandis apud nos Sacramẽtis hausêre bene viuendi spiritum, eum cum alijs communicandi auidæ, amplissimas ædes, quatuor aureorũ millibus coëmêre, vbi quaslibet puellas legendi, scribendi, aliásque bonas artes, illi generi ætatique conuenientes gratis edoceant: præsertim,

Digitized by Google

tim verò timorem Dei, obseruationem mandatorum, amorem Sacramentorum, quasi aliud agentes, suauiter animis imprimunt. Viuunt itaque inibi illæ virgines certis legibus concordes, nunc sibi, nunc suo gregi distinctis horis sedulò inuigilantes.

XXVII. Hæreticvs adolescens primum comitate modestiaq; Patrum Bergensium inescatus, deinde auditu fidei nostræ de suâ conscientiæque suæ inquiete anxius, hæreseos & mundi repudium vnà animo voluebat. In hisce cogitationum procellis dum fluctuat, ecce tibi prima noctis vigilia, primóque decubitu totum cubiculum ipsius, quod alioqui luna illustrabat, subitò obtenebrescere; tum deinde pondus, nescio quod, lecto paulatim adrepere, sonus insuper talis audiri: *Cur patriam religionémque deseres, cur matrimonij bona negligere inducis animum?* Ad hãc ille vocem stupere primùm & exhorrescere, post resumpto spiritu, quidnam istud esset ponderis, confidentiùs attentare. Tandem tetrâ specie canem horribilem deprehendit, quem precibus repentè fusis, euanuisse animaduertit; ita cubiculo luna, menti sol, animæ salus est obortа. Simul enim diluxit, propositi exequendi auidus, omnis anteactæ vitæ pondus vnà cum hæresi deposuit, pacem inuenit.

XXIIX. In Excvrsionibvs ad oppida Burburgum, Ostendam, Neoportum, prauus error ereptus est Hæreticis viginti quatuor, isque ab eorum pleriſque coram Gubernatore Ostendano abiuratus. Malè contracta matrimonia in-

septem

septem coniugibus emendata; trium concubinatus thoro legitimo immutatus: chartæ superstitiosæ ablatæ militibus plures quingentis, in quorũ locum Agni cerei imago substituta. Conscientiæ à primis annis emaculatæ circiter ducẽtæ. Burburgi ad pleraſque Mercatorum officinas DEIPARÆ Effigies Noſtrorum forinſecus collocata, & ad eam ſingulis Sabbathis candelæ collucentes, atque ad VIRGINIS cultum incitantes, appoſitæ. Idem in binis platearum angulis impetratum.

COLLEGIA LVXEMBVRGENSE, ATREBATENSE CAMERACENSE, BRUXELLENSE.

XXIX. LVXEMBVRGI vitæ ſtadium abſoluit P. Ioannes Brixius ſexagenario maior, ab inita Societate anno trigeſimo ſecundo, à votis publicè nuncupatis octauodecimo. Semeſtris fuit in eo morbus, multò diuturnior patientia. Templum hactenus à collegio longè diſſitum, ſacri Sacramentorúmque cauſsá, magno & domeſticorum & externorũ incommodo iuuentuti noſtræ adeũdum erat. Hoc incõmodi aula ampliſſima his vſibus extructa, ſuſtulit; vbi iam à mẽſe Ianuario, & rei diuinæ intereſſè, & ſacramenta ſuſcipere pulcherrimo ordine, modeſtiâ & pietate occepêre. Decreta quoque ab amicis pro iaciendo noui templi fundamento ſumma aureorum mille. Vtraque Sodalitas tam Annunciatæ VIRGINIS, quæ ciuium eſt, quam Aſſumptæ, quæ

quæ ſtudioſorum, numero & pietate florent. De poſteriore, quæ hoc anno ab Romanâ primariâ in filiam quaſi adoptata eſt, præclara quædam habent litteræ Luxemburgenſes, è quibus hæc, pro noſtrâ breuitate exſcribere placuit, vnde formam quilibet, ac ſtatum reliquarum in Belgio Sodalitatum facilè deprehendere queat.

Cunctorum in eâ congregatione feruor mirificè adauctus. Delicta in Leges pœnâ vltrò ſuſceptâ, aut è Præfecto multis precibus exoratâ publicè expiant. Præfecti ipſi ad hæc duces. Fuit qui Tironum, quos ad Sodalitij mores erudierat, ipſo quo inſcribebantur die, pedes peteret oſculari ſingulorum, vt factis, inquiebat, nunc eos doceam, quod priùs verbis. Fecit, æmuloſq; concitauit. Nam & qui vniuerſæ Sodalitati præeſt, cum ſit Sacerdos, ſupplex ad genua accidit Directori, expoſtulauítque, vt idem ſubmiſionis genus in ſuos ſibi liceret Sodales exercere. Et aliquà tenus conceſſum. His alijſque exemplis mutuò incitant, & incitantur. Iidē errata ſua in medio cœtu ab iis, qui nôrint, poſtulant, emendationis ſtudio, euulgari. Nam illa inter eos vulgatiſſima: crebra ſui expiatio, productæ preces, volũtaria ieiunia, punctiones cilicinæ, aliáque ad glorioſum ſui triumphum, atque victoriam. Mediâ ipsâ nocte Natalitiorum complures nudis pedibus per niuem glaciémque feruidi ad templum adiêre, atque eo modo ſacris myſteriis, ad maiorē CHRISTI *recens nati honorem perſtitêre. Denique cùm vni ex iis grauiſſimè ægrotanti, vſuq; vocis propè deficienti, reuocatio in patriam ſpe ſalubrioris cœli, miſſúsque in hoc equus, & famulus nunciaretur, negare ille, quidquã, niſi ex Præfecti Sodalitatis nutu facturum, non ſui, ſed alieni iuris*

eſſe

Digitized by Google

esse velle. Re igitur ad Sodalitij Magistratum delatâ, eoque abnuente mox hominem & equum remittit, & ecce vnà remitti morbum sentit; biduóque post in templum de recuperatâ valetudine DEO Opt. Max. VIRGINIq; Patronæ actum gratias, venit. Iam verò vacationes à lectionibus, piorum vtilitate exercitiorũ non vacant; quippe quibus pro iucundissimo ludo est, vel ad sacellum aliquod oppido vicinum peregrinari, viáq; taedium piis de DEO Diuísque collocutionibus mitigare; vel pauperum casas ad doctrinæ Christianæ communicationem aditare: vel ægros debilésque inuisere, atq; ad Sacramentorum perceptionem moribundos inuitare. Hæc eæ litteræ, atq; his etiam plura.

XXX. CONSTANTER perseuerat Cœnobiarcha Vedastinus Atrebatensibus Patribus benefacere, ædificiq; eorũ, ante annos aliquot cœpta, sumptibus suis egregiè iuuare. Emerãt Nostri domũ suburbanã, relaxãdis per studiorũ interualla animis, sex aureorũ millibus, in eam sumptuũ partẽ vt veniret Antistes liberalissimus quater mille, quingentos attribuit. Certat cum eo Magistratus vrbis, qui in scholarũ ædificiũ aureos bis mille erogauit. Expeditiones hinc susceptæ (quẽadmodum etiam in prioribus quibusdã collegiis fecimus, & porrò faciemus) consultò prætereuntur, eò quòd etiam præclara & pulchra, si quotidiana & communia iam sint, legentibus tædiosa sint.

XXXI. PERINDE autem sileri, ac præteriri nõ debet Illustrissimus Archiepiscopus Cameracẽsis, Guilielmus de Berghes, cuius mors meritò Nostris lamentabilis fuit; Patris enim loco erat, curâ, amore, beneficentia, cuius præsentem ar-

Digitized by Google

ctis in rebus opem sæpe senserunt, præsertim cũ insulâ ornatus nihil priùs habuit, quàm vt Cameracense collegium, bellicis furoribus dissipatũ, quam primùm se Præsule instauraretur. Quã in rem annua ducentorum aureorũ pensio super Archiepiscopatûs vectigali à Maximiliano de Berghes (piæ memoriæ) olim assignata, nondũq; stabilita, per eum tandẽ suo & Capituli Metropolitani scripto est cõfirmata. Ad emendas collegij contiguas domos, siue ad æs alienũ dissoluendũ, ducenti aurei ab eodẽ dati; item annuus vẽsus aureorũ sexaginta, & (præter alias largitiones ipsi ordinarias) postremò aurei quingẽti. D. Baro de Gerimberghes eius hęres, insigne altaris ornamentũ, mille circiter aureis æstimatum ædi attribuit; Accessêre prẽterea ex aliorũ pia liberalitate, geminæ thecæ reliquiarię prægrandes, auro, argentóq; affabrè elaboratæ. D. Antonius de Gomicourz Antistes D. Andreæ, Sacerdotium quoddã, vulgo capellaniã appellatum, consentiente Religiosorum cœtu, atq; Illustriss. Nuncio Apostolico Guidone Bentiuolo sanciẽte, collegio adscripsit. Deniq; præter mille centum alios aureos in nouã quoq; scholarũ fabricam, hortatu Domini Ioannis de Riuas Gubernatoris huius vrbis trecenti aurei ab ordinibus Cameracẽsibus contributi. His tot tantísque beneficijs, vt grati sint nostri, labori nulli parcunt, magis in salutem omnium vnanimi studio collaborãt. Quibusdam vitam mortalem, quibusdã immortalem promeruerunt; & vt in nullâ ætate deessent virtutum exempla, duas Sodalitates excitaue-

Digitized by Google

citauerunt, B. VIRGINIS, quæ adultos, Angelorum, quæ pueros in officio Christiano excoleret.

XXXII. BRVXELLIS neglectâ iam castrensi expeditione, ob pactas cum Hollando inducias, domi eò alacriùs res geritur. Nuper fundatum domesticum sacellum, ad commuuem ciuitatis vsum, (interim dum templum exurgit.) exædificatum est. Opus excellens, & in hoc genere Belgij primum, elegantissimâ contabulatione affabrè laqueatum, ad cuius splendorem in picturâ sculpturâ, ceterisque fabrilis industriæ monumentis, summa operariorum ars contentióque laborauit. Inde autem hoc consecuti sunt Nostri, vt, postquam viginti annis in alieno sacello eóque perangusto, & extra collegij septa constituto, Societatis ministeria per quam incommodè exercuerint, tandem hîc in nostro, maximâ & domesticorum consolatione, & externorum, tutiùs eadem meliúsque obeant. Multus singularum functionum fructus; ab Hæreticis abducti plurimi: Exercitijs optimarum litterarum ab omnibus ordinibus honos datus. Sereniss. morum Archiducum Ephebi honorarij, qui priuatim ante hoc erudiebantur, iuuentutis nostræ, cui nunc adsciti, nobilitatem numerúmque auxerunt. Ferijs autumnalibus, ad celebrandam dedicationem, prodijt in scenam aliquoties Patriarcha Iacob, cum trecentis quinquaginta personis. Fuêre spectatores non tantùm indigenæ, sed etiam transmarini ex Hollandiâ Zelandiáq; fœderati. Deniq; ad publicam eam supplicationem,

Digitized by Google

bem, quia venerabile Sacramentum è vetere in sacellum nouum (quod biduò antè à Nuncio Apostolico erat dedicatum) transferebatur, ipsi etiam Archiduces cum facibus processerunt, suámque in nostros peracto Sacrificio humanitatem declarárunt.

MISSIO HOLLANDICA.

XXXIII. VINEAM Hollandicam excolunt Patres septem, quibus à dextris & sinistris audio fuisse pugnandum. Inde enim Catholicorum quorundam Sacerdotum æmulatio, hinc Hæreticorum malitia oppugnabat; vtráque tamen ex parte nonnullus factus est ad victoriam gradus; quando & isti obsequijs nostris amiciores facti, & hi, non paucorum ad partes nostras defectione, pauciores. Non suppetunt omnium litteræ; ex ijs tamen, quibus Patris vnius res ibi gestæ cõtinentur, fiet de sex reliquis, quorum par labor & fructus, coniectura. Erat igitur in terrâ illâ fidei pœnè inuiâ & inaquosâ, fames ac sitis multa. Clam *panis Angelorum* illatus, & mille ducentis impertitus, atq; inter eos, qui nunquam huiusmodi in vitâ delicias gustárant, fuère nõ pauciores centum. Innupta connubia sedecim, legitimo vinculo restricta & firmata sunt. Multi baptizati, multi ab hæresi liberati, prodigam vitam cum frugali commutare persuasi. Neque enim sunt Hollandi indigenæ adeò ad veritatẽ obuersi, quin & aliquas eius scintillas admittãt,

Digitized by Google

& cùm clariùs aliquando illuxerit, facili eam conuersione amplectantur. Virgo in his locis erat pia admodum, & occurrentium cœlestis lucri occasionum fidelis ad Patrem nostrum internuntia; quæ & hoc non rarò agebat, vt ad pœnitentiam aliáque Sacramenta, quoscunq; posset, hortando, suadendo, ope omni pelliceret. Hæc nescio cui aquâ intercute laboranti viaticum ad cœleste iter apud Nostrum procurauerat: quod cum sub noctem esset deferendum (neque enim claro die tutum erat) moribundus interea ab eo proposito resilierat. *Frustráne ergo*, ait Pater, *tam nobile ferculum apparauimus?* Minimè gentium, inquit illa, vetulam hîc scio octogenariã, propediem abituram, eius erat, DEO volente, hoc beneficium. Mox adit, persuadet, Nostrum denique accersit. Anicula tanto tempore immunda, se nunc primùm expiat, capit viaticũ, & velut ad hoc solùm tam diu vixisset, postero statim manè decedit. *Ita spititus, vbi vult, spirat.* Quid verò feminæ huic ad istam felicitatem subsidio fuerit, perscrutanti, nihil aliud succurrit, quàm quòd Diuorũ dies festos cordi præcipuè haberet, diligentérque obseruaret. Puella quædam alia vidēdorum Mysteriorum nostrorum curiosa, Embricam cogitabat. Perducta ea ad Patris nostri sacra, rogatur, quinam placerēt? Perfusa lachrymis; *ô perlubenter*, inquit, *quotidie ab omni cibo abstinuerim, dummodo mî liceat esse Christianæ, & his sacris frui: immò & lubens volens, quò expeditiùs* CHRISTO *deseruiam, mundo, si quà liceat, gestio valedicere.* Erat eidem Sacerdoti inter visitan-

sitandos Geldricæ Catholicos, cupido tentandi Dauentriam, ibique experiundi, sed qui peregrino hospitiū offerret præ metu erat nemo. Cùm igitur reditum pararet, ecce, qui virum quendam eius ciuitatis locupletissimū, ex vrbe Monasterienſi iam nunc in vrbem reuersum, & futurum hospitalitati commodum renunciat. Arripit Noster, velut oblatam diuinitus opportunitatem, seque illò insinuat, & *orationis domum* facit. Primò qui domesticorum propter hæresin cauendi erant, iidem fide feliciter capti sunt; deinde alij, atque alij, nobiles, ignobiles CHRISTO adiuncti, vt iste vir & illa domus, iactis inibi tam felicibus pietatis fundamentis, toti vrbi, & sint, & futuri sint salutares. Dabit enim DEVS Opt. Max. vti confidimus, tam ibi, vbi periculum maius, quàm alibi locorum, vbi Societatis operæ curant, pretium laboris, & fidei incrementum.

Digitized by Google

PROVINCIA AVSTRIA.

Continentur in hac Prouinciâ, Collegijs decem, vnâ Tirocinij domo, ſedibus ſeptem, Miſſionibus aliquot, ſocij omnino quadringenti ſexaginta duo. Vitâ functi ſunt quatuor; acceſsêre Tirones vndetriginta.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Viennæ fuerunt.	XL.	XVII.	VII.	V.	XI.
In Reſidentiâ S. Bernard.	IV.	III.			I.
In Lincenſi.	VI.	III.	I.		II.
In Inferiore Vngariâ.		II.			
In Superiore.	IV.				

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholaſt.	Adiutores.
In Tranſyluaniâ		II.			
In Colleg. Græcenſi.	XCII.	XXVI.	IV.	L.	XII.
Milſtadij.	V.	IV.			I.
In miſsione Paſſauienſi.		II.			
In Alſolyndvvanâ.		II.			
Pragæ.	XLI.	XIX	III.	VII.	XII.
Bernardici.	IV.	II.			II.
OLomucij.	XXXV.	XIV.	V.	IX.	VII.
Crembſirij.	II.	I.			I.
Brunæ.	LXVI.	IX.	IV.		X.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Crumlouij.	XVI.	VI.	V.		V.
Commotouij.	XVI.	X.	I.		V.
Nouodomi.	XXIX	X.	IV.	VIII.	VII.
Labaci.	XVI.	IIX.	III.	IIX.	V.
Plectriæ.	V.	II.			III.
Nissæ.		II.			
Clagenfurti.	XVI.	IX.	III.		IV.
In residentiâ Eberndorf:	XIIX.	XV.			III.
Glacij.	XV.	IX.	I.		V.
Zagrabiæ.	XII.	V.	III.		IV.

Ad fidem Catholicam ex varijs sectis traductiſunt Noſtrorum diligentiâ mille centum viginti quinque.

De totâ vitâ noxas confeſsi ſupra octingentos.

Atroci diſsidio inter ſe digladiantes compoſiti triginta vnus.

Ex libidine aut illicito concubinatu ad honeſtatem perducti viginti duo.

Oleo ſacro malè habentes ſanati tres.

Agno DEI duodecim.

Reliquis & imaginibus B. P. N. Ignatij quinque.

Conſuetis Societatis noſtræ commentationibus præter cœnobium integrum exculti homines vndecim.

Digitized by Google

COLLEGIVM VIENNENSE.

I.

DIVTIVS ALIQVANdo in Austriâ lectorem detinebimus, tum ob ipsos agrorum latiores terminos, tum verò ob res quasdam mométi maioris, quæ accuratiorem visæ sunt desiderare explanationem. Extulit Viennense Collegium virũ, quales Societas nostra merito lugeat, in promouendâ hominum salute planè indefessum, Ioannem Aucupẽ. Talis ei semper fuit virtus, vti ad labores euocatus, imbecilliorem suam, quâ vtebatur, valetudinẽ, nunquam prætenderet impedimentum. Mors illum inopinatum quidem non tamen imparatum inuenit. Eodem enim die (in D. Matthæo sacer erat) quo diuinis operatus, confitentibus aures ad horam vsque prandij dederat, duos ex hæresi ad Romanam fidem traduxerat, funeríq; nobilis cuiusdam viri, quem & ipse Catholicum antè fecit, interfuerat, ab Hæmorrhœa in ipsis laboribus, ac veluti statione interceptus, quinq; hora-

Digitized by Google

horarum interuallo post sacram vnctionē fortiter piéque occubuit, ætatis suæ anno quadragesimo primo, apud nos actæ vicesimo. Reliquis autem Nostratium, qui omnes commodà fere valetudine huic supervixêre, mirè quàm fauit diuina clementia, laboréque eorum, ac conatus omni hominum generi fecit esse salutares, maximè vero correctis ad frugem & fidem Nostrorum operà, tam Hæreticis, quàm Hebræis: Et quamuis aliquot Prædicantium filios in partes nostras traxerimus, fuit tamen fructuosiùs aliquanto, & in multorum bonum efficaciùs laboratum in duobus, qui inter sectarios Triarij censebantur. Quorum vnus annis octo verbi Miner, alter Magister Tubingensis erat. Prior ille, postquam in summâ vrbis æde ex suggestu ad frequentissimam concionē duabus integris horis rationem facti sui exposuisset, Catholicum se esse ex formulâ palàm omnibus professus, publicéque à Reuerendissimo anathemate solutus, incredibili non minùs gaudio & gratulatione omnes orthodoxos, quam dolore Heterodoxos affecit. Ex alijs, qui in gratiam cum veritate redière, eorum potissimùm mentionem aliquam faciemus, qui vel terrori exemplo suo esse poterunt reliquis, vel, si mallent, documento. Fuit, qui cum inconstantiâ suorum in rebus fidei diu anxius iactaretur, illàmq; D. Pauli repentinam in Actis Apostolorum vitæ commutationem fortè legeret, DEVM obnixè rogare cœpit atque obtestari, vt si à vero exerraret, simili quodam modo, vel in corpore etiam admoneretur. Ra-

Digitized by Google

tas habuit DEVS Opt. preces. Extemplò enim vires hominem liquêre. Adest vocatus à domesticis medicus, cõsultúsq; eo super morbo, quid sentiret, nullum ait in corpore vitium se deprehẽdere, animũ proinde curaret, si sanus esse vellet. Æger re, cuius ipse solus sibi cõscius erat, dissimulatâ, hoc etiam oraculi loco habuit, sanitatémque apud Nos cum fide recepit.

II. FLVCTVABAT & alius in perfidiâ. Qui cùm & ipse ardentissimis votis fidei semitam quæreret, nocte quâdam dormienti, tale obiectum est visum. Sedebat CHRISTVS pro tribunali, Iudicis habitu. Senatores erant Apostoli; inter ceteros autem, qui sistebantur iudicandi, & hic visus est sibi ad tribunal rapi. Cũmque multos gloriam cœlestem præmij loco capessere cerneret, se quoque, vt cum illis in partem veniret, accelerasse. Verùm ecce, CHRISTVM Dominũ iectâ ipsius brachio manu facessere iussisse, Lutheri gregem ad sinistram pertinere, quę comminatio non somnum tãtummodò homini hæretico, sed & errorem ipsi repentè excussit. Alius item à Nostro quodam de hæresi abiurandâ sæpiùs interpellatus, libellísque pijs fidei res controuersas compendio docentibus, & sacrâ Agni cerei icone ab eodem instructus, nihilominus tamen, vt eiusmodi homines solent, eò vsq; procrastinabat negotium salutis, dum lecto affixus, rẽ seriò agi animaduertit. Amicis ergo, qui tum fortè officio suo aderant, in partem secedere iussis, ipse secũ solus de summâ salutis cõsultat. In eâ cogitatione altiùs defixo, ecce tibi, clarâ die cœle-

Digitized by Google

cœlestis Agni cera, quam pectori appressam habuit, clariore luce circumfusa appareat. Necdum ea lux reuanuerat, & nubem iam lucidam super se bipartitò descendentē conspiciebat: hinc cœlestes Genios, illinc coniugem suam olim functam cum liberis, omnes decoro habitu, & miram vultu præ se ferentes hilaritatem. Hoc spectaculo admodū recreatus æger, Nostrum citari iussit, réq; totā ex ordine expositā, in album Catholicorū referri, magno animi sui desiderio, postulauit, obtinuit. Vir quidam natione Thuringus, cum lacte hæresin imbiberat, iamq; diu submanu medicorū nihilo valentior, pro deposito tandē relinquebatur. Ad commune igitur Christianorū omnium Asylum DEI MATREM salutari consilio confugit, votóq; peregrinationis ad sacram ipsius ædem, quatuor passuum millibus Viennā distantem, multis præsentibus, & facti nouitatem stupentibus, se obstrinxit: tum ad adstantes versus; *Vos*, inquit, *amici, vnum rogo, Sacerdotem Catholicum primâ luce facite, vt habeam, apud quem vitæ anteactæ maculas cōfessione expurgem.* Res mira. Momento pœnè eodem morbus hominē reliquit, ille lectum: & quem domū suam vocari paulò antè expetierat, iam ipse alacer intemplo adijt, & prout tempus ferebat, in fide instructus, & ab hæresi expeditus, votum mox VIRGINI MATRI lætus persoluit.

Prudenti cuidam, & nobili loco natæ feminæ, imprudens alicuius, sed dignū Euangelico præcone responsum saluti fuit. Hæc cùm exiguam, aut nullam pœnè rationem eorū, qui ad vesperi-

nam

nam hæreticam se præparabant, à Prædicantibus haberi cerneret, adeò, vt deni aliquando, & eò amplius vno tempore simul, præsentibus etiam arbitris sese accusarent, nec remedium vllũ ad sanandam vulneratam conscientiam, aut acciperent, aut expectarent, quadam die conqueri apud Ministrum est ausa, quòd nullum omnino examen perperam actorum iniret, & ad sacra tamen Mysteria, vt ipse loquebatur, sordidissimos quosque absque delectu admitteret. Iustam matronæ nobilis querelam ita excepit Minister: *Iudicum & Carnificum, non sui esse muneris eiusmodi examina instituere.* Responso tam indigno grauiter offensa mulier, Sacramenta etiam sua sibi extemplò habere iubet, totóque triennio ijsdem abstinens, a Nostris demum errores, clam marito hæretico, dedocta, iam letatur plurimùm, eos se hactam animi medicos, quales inter Hæreticos optare, reperire nunquam licebit. Similis in dissimili quodam genere aliûs prædicantis deliratio occasionem duobus dedit, ad nos vt transirent. Oppidum est in Marcomanis Triglauia. Hic quidam in desperationis barathrum præcipitatus se suspenderat; scelere vulgato vecordis hominis vndique turmatim concurrētes vicini, feralem laqueum præcidere properant. Vocatus & Minister adfuit illicò cum cœnâ suâ profanâ. Statuæ similem reperit hominem, inclamat tamen, nihil ille percipere; trahit, vellicat, pungit, ille nec moueri. Credere iubet; nullum ille fidei signum exhibere Operam denique perdidit, & oleum importunus, periculúmque

Digitized by Google

que erat, ne cum suo bolo execrato, domum esset illi redeundum. Id ne cogeretur facere, homini, vel potius trunco, nec dum sibi præsenti, nullúmq; doloris, aut fidei signum prodenti in os bucceam ingerit. Quod factum adeò offendit spectatores, & inter illos Heluetium quendam ex Caluini schola, atq; non ex plebe alium quendam, vt ab istis vulturijs secessionem facere non dubitârint.

Mutauit demum & alia quædam femina Germanici Rudimoderatoris coniunx religionẽ hâc occasione. Inaudierat illa à Nostris, quàm malâ fide Lutherus biblia sua germanica vulgârit, quâ sensum quâ litterâ: detraxisse, addidisse, inuertisse multis in locis, prout aut vertigo hæretica, aut mala causa suadebat. Hoc Lutheri studiosissima ægrè inprimis credere, tum etiam sponsione cum Nostro factâ contendere, *vt si res ita sese haberet, ipsa protinus se Catholicam profiteretur. Sin, Lutheri in verba Noster iuraret.* Acceptat hic conditionem, venitur in rem præsentem; manta & mutria primùm, deinde etiam assuta & redundantia collatis codicibus ostenduntur. Deprehensâ fraude sagax, & ingeniosa mulier, promissis suis repentè stetit, nec inuita; indignum rata, illius sequi in rebus fidei sententiam, cuius etiam biblia mentirentur. Sed ab Hæreticis ad meliores tandem digrediamur.

III. Hoc eodem anno tentatum à Nostris, magno totius ciuitatis bono, quod ante hunc diem ausi nunquam sunt: effreni nimirum ad indigna quæque, liberalium tempore bacchantiũ, licen-

Digitized by Google

licentiæ, publicâ comprecatione, indicto etiam Iubilæo, Societatis nostræ tẽplis à summo Pontifice concesso, obuiam itum. Sub initium orationis Illustriss. sedis Apostolicæ Nuncius sacrũ fecit, quo finito, populo, qui frequentissimus aderat Sacrosanctam hostiam adorandam proposuit. Dictum ex suggestu ad Concionem eo triduo diebus singulis ter: confluebant autem non Catholici tantùm, sed etiam Hæretici rei nouitate permoti. Sereniſsmus quoque Matthias II. Vngariæ Rex, cum Germano suo Maximiliano, nihil cœlo inclementiore retardatus, aliquot horis præsentiâ suâ Viennensium pietatem auxit; quin & idemmet auctor fuit, pro eâ, quâ in diuinissimũ CHRISTI corpus Domus Austriaca fertur reuerẽtiâ, vti pompâ solemni sacrũ illud ferculum in templo circumferretur. Pium hoc, non tantùm pijs, sed & impijs visum spectaculum. Iam verò diuinorum vsus Mysteſtriorum Pœnitentiæ maximè, non minùs corporibus frequẽter, quàm ipsis etiam animis medela fuit. Quidam triennio toto cum graui confligebat morbo, vt nullus, vel medicorum optimorũ, quod genus id esset, dispicere sat posset. Ratus ille diuturnã Confessionis neglectionem causſam malo dedisse, reuocatis in mentem totius eius temporis delictis, Sacramentũ obijt, sicque expetitam sanitatẽ recuperauit. A viginti annis alter Sacramentis abstinuerat. Cœpit & ille malè tandem habere: immò bene; Nam quòd morbus præceps non erat, templũ identidẽ inui-

Digitized by Google

Inuisit; & fortè accidit, vt cùm nostrum Ecclesiasten graui oratione vitia insectantem audiret, mens eius percelleretur, & pestē, qua laborabat, delictorum eiectans, repentè conualescerēt.

IV. AD B. P. N. Ignatij gloriam illustrandā, duo hæc memorabilia acciderunt. Primum, domus ciuis Viennensis, quā Catholici cum Hæreticis mixtim incoluerāt, spectro nocturno infestabatur; Iam hominem referebat; aliàs in nebulam euanescebat; sæpiùs strepitu solo, aut jactatione importunâ sese prodebat. Mox stragula & puluinaria ceruicibus subducere; fugientes lapidibus insectari, tum pedibus quoque per diuersa obuium quemq; raptare, lychnuchos euertere omnia miscere & perturbare. Malū patiebātur domestici omnes, magis tamen seruus familias; Prædicantis cuiusdam Ratisponensis filius, quem semel ex auriculis apprehensum, non nisi maximo cum tumore, ac dolore reliquit. Qui ex familiâ, vel sacram Agni cerei effigiem penes se habuêre, vel aquâ lustrali se conspersêre, tuti erant ab eâ infestatione illi quidem, sed ita tamen, vti per interualla negotium ijsdem denuo facesseret. Iam mensis finierat, & consiliū à Nostro demum expetitur. Is re intellectâ, imaginē B. Parentis nostri, ianuæ eius conclauis, in quo familia maximè turbabatur, affixit, illicóque funesta lamia disparuit, tumultus omnis, & inquies nunquam regressa totâ domo exulauit. Et hanc lemurum proscriptionem Beato nostro nō Catholici tantùm, sed ipsi etiā Hęretici attribuerūt, auditísq; de more testibus iuratis publicā au-

câ auctoritate Magistratûs Ecclesiastici litteris est consignata. Alterum. Viro nobili equus, calce in ipsum cranium illisâ, lethalem plagam inflixerat. Id ille infortunij negligentiæ suo in voto Diuæ Lauretanæ persoluendo tribuebat. Itaque cum mortis sententiam à Chirurgo accepisset, Sacerdote accersito labes animi sui per sacram exomologesin detergit, & voto nouo sese B. Ignatio adstringit, si superstiti esse contingeret, sepulchrum eiusdem Romæ accessurum se, & honorandę illius memoriæ cereum ardentem oblaturum. Vix vouerat, & ecce meliùs iam ille habere, atque in has illicò lætabundus voces prorumpere; *superis laus, bene mihi, promissis stabo:* Tantúmque eodem die virium recuperauit, vti postridie eius diei nullius ope adiutus, quà vellet solus & sanus ingrederetur.

V. SODALITATES tam D. Barbaræ, quàm DEIPARÆ cum annis crescunt. Huius syllabo præter insignes alios, Illustriss. Cardinalis Forgach, Archiepiscopus Strigonienſis, vnà cum Fratre Sigismũdo, suâ se manu præsens ipse inscripsit. Ex minorum cœtu pernobilis adolescẽs hydropisi grauiter tentatus, eius opem poscendâ existimauit, cuius se tutelæ dudum commiserat. Nec frustra. Nam signo in aurorâ ad salutandam Virginem dato, cum spe plenus eidem diceret *Aue*, visus est non obscurè sibi videre Patronam suam brachijs filiolum gestantem, atq; hisce ægrum vocibus compellantem: *Confide fis; valebis.* Vanam hanc non fuisse vocem, secuta pòst paulò valetudinis restitutio manifeste videtur

Digitized by Google

tur demonstrauisse. Hæc domi. Ex ijs, quæ foris gesta sunt, id vnum narrabo. Sereniſſimo Regi Prouincias Austriam ac Moraviam lustranti, Sacerdos quidam noster vnà cum socio comitatus, Lincium venit. Ibi à primoribus vrbis ijsq; Hæreticis, varia, ad Regiam Maiestatem pro dignitate excipiendam, instituta, & inter cetera, vt in triumphali arcu, qui à sacrâ æde seduceret, rhythmis Germanicis salutatus, inde ad arcem rectà, deduceretur. Subolvit ea fraus Sacerdoti nostro, atque ideò dolum malum meliore excepit. Regi, quæ molirentur Hæretici expositis, eludēdique eorum conatus consilium apertum. Mox Præsules, quos Rex in comitatu habebat, officij gratiâ Lincium præmissi; hos subsecuti ex composito, regij symphoniaci, tum cornicines, qui omnes partim mitrati, partim linteati, alijsque sacris ornati vestibus aduenientem Regem, decantato DD. Ambrosij & Augustini hymno magnis vocibus induxerunt. Sub arcum illum, cuius modò mentio facta, Regia Maiestas cùm veniſſet, iamque personati in scenâ salutationibus suis exordium facerēt, audire se, propter tubarum & tympanorum strepitum, dissimulans, ad templum perrexit, frendentibus, & tantùm non ruptis Hæreticis.

VI. INTER eos denique, qui in nos benefici fuêre, facilè princeps est Illustris femina D. Margareta Lasso de Castillia comes. Ea enim cùm Mediolani (vbi nunc degit) acerbum nuntium de exusto flammis Viennensi collegio, olim sibi vnicè culto accepisset, luctuosam Societatis vi-

Digitized by Google

cem miserata, eidem prædium quoddam tribus & quadraginta millibus aureorum à se antè cõparatum, certâ sibi pensione in vitam reseruatâ hoc anno donauit: iamque in eorundem possessionem bonorum Reuerẽdissimo Antistite nostro multùm adlaborante Societas deuenit. Quidam etiam moriturus essem totũ, quatuor millia florenorum Collegio legauit. Qui fabricam, tẽplum, remque domesticam varijs auxère, & promouêre beneficijs, ij nec pauci fuerunt, nec illiberales, vt à funesto illo incendio (quod DEO acceptum inprimis ferimus) respirâsse nonnihil videamur.

RESIDENTIA S. BERNHARDI ET LINCENSIS.

VII. IN RESIDENTIA S. Bernhardi Nostri magnâ ex parte anni domo profugi (Miles enim Hæreticorum ea loca tenebat) pauca potuerunt præstare: quæ etiam, quia nihil à consuetis variant, ad Lincensem declinamus.

IIX. IN EA non agendi tantùm, verùm etiam, & multò magis patiendi occasio: fremẽtibus in nos vndique, & qua possent, in ouile CHRISTI irrumpentibus lupis. Exemplum Pater quidã cum socio est; Qui cùm aliquando sub noctis crepusculum ab institutione hæreticæ feminæ redirent domum, intercepti à milite aduersariæ factionis, repentè audiunt: *Et Diabolus Iesuitas nondum omnes hinc abstulit?* Indignationem districtus è vaginâ gladius secutus, caput fratris petijt;

Digitized by Google

petijt: ille impiger interiecto brachio ictum e-
fusit, eodémq; impetu furibundum hominem
tantisper repressit, dum vtríque illæso, pedibus
gnauiter reperta salus & domus est.

IX. HÆRETICORVM igitur his in partibus, & aliquanto iam tempore venti secũdiores, & Ministrorum verbi in ciuitates passim irrepentium triumphi insolẽtiores, in vicinas quoq; Prouincias famâ peruenere, adeò, vt quendam etiam ex claustro desperati animi Religiosum per posticũ eduxerint. Qui quidem positâ personâ, Lincium sub vesperam ingressus, Coriphæo Prædicantiũ sese continuò stitit, operámque suam (concionator enim erat) reformatis (vt ipse loquebatur) illuminatus scilicet, obtulit. Sed quæ DEI prouidẽtia est, Apostatam Hæreticus, nescio quo tũ distentus negotio, paucis & siccis à se verbis dimittit, posterà luce si quid vellet, redire iussum. Aduena igitur ignotus, locorũmque imperitus, publicas cauponas in vrbe adire cogitur. Vbi etiam (quod mirêre,) à sex diuersis repulsam passus, homo alioquin bene nummatus, vestitu non plebeio, tametsi marsupium præferret. Per DEVM, per suum sanctum obtestaretur propositum, surdis tamen cantillabat fabulam, audit explorator, proditor. Itaque vbique eliminatus, concubiâ iam nocte iuxta ædes fabri cuiusdam ferrarij, in trabe ad quietem se extendit, abnoctantem sub dio, frigore pœnè rigentẽ, domo fortè egressus seruulus reperit; rogatus aliquem saltem ab hero inter Vulcanos angulum intromisso obtineret; fecit, sed ipse ad peregrinũ

Digitized by Google

progressus faber, cum hospitium rogaretur: sese quàm mox ipsi bene calidum procuraturum nõ illepidè respondit. Inde ad vigiles nocturnos, & stationes militum citato pede decurrens, index est, proditorem patriæ nescio quem pro foribus suis sibi molestum esse. Captus igitur, abductusq; miser, eam noctem in custodiâ publicâ transegit. Manè rem totam Prætor ciuitatis, vir Catholicus, & nostris peramicus, Patri cuidam exponit, eidémque aditum ad captiuum per suos facit: si quo modo ad saniorem mẽtem reuocare desperabundũ posset. Sed plus ille non effecit, quam vt triduum pro deliberatione in tanti momenti re accepturum se promiserit. Vix digresso Patre, abducitur & ille ad tribunal & conciliabulum Prædicantium. Ibi sapientissimi illi Aristarchi homini inprimis exprobrant, quòd cum Iesuitâ egerit; tum deinde quòd exploratoris præ se faciem ferre videretur; eum proinde in vincula compingi extemplò iubent: in quibus vltra mensem malè habitus, & nisi per lictorem quendam ei subinde à Nostro necessaria ministrarentur, sæpiùs fortè quàm antè in cœnobio ieiunus pernoctâsset. Interea variorum ad carcerem accessus; diuersæ in eo curæ: Catholicorum, qui suos, Hæreticorum item suos qui adiuuarent. Et bene cecidit, vt Sacerdote Nostro militem quendam ad mortem disponente, idem cum Lutherano Prædicans sacrilegè faceret. Eius enim perfrigidus, & à proposito absonus agendi modus, adeò de repentè mutauit animum Religiosi, vt se sibi, Ecclesiæ, ordini

Digitized by Google

ordini reddere decreuerit, idque mox è cataſtâ, adiuuante Noſtro, reipsâ præſtiterit.

X. HI noſtri hîc, & cum his labores; quos ſemper magiſque promouere ſuâ in nos liberalitate ſolet Rex Sereniſſimus Matthias, cuius beneficio Monaſterium Pulgram, pro collegij fundatione traditum, poſſidere cœpimus ipſis Idibus Nouembris.

MISSIO INFERIORIS VNGARIÆ.

XI. POSTQVAM ſuperioris anni Comitijs inaugurando nouo Regi indictis, inopinatè Societatis IESV domicilia ac bona, iuſque omne eadē redipiſcendi, fuiſſet ademptum; duo illa inprimis viſa ſunt ſuperioribus omni ſtudio procuranda: primum, vti innocentiæ noſtræ conſcij, amicis inimiciſque iuxta teſtatū faceremus, nullam à Societate cauſſam fuiſſe præbitam, ob quā atroci hac ſententiâ feriremur: Alterum vt pro virili noſtrâ ijs etiam opem operámque impendere porrò adniteremur, qui morbo quodam exitiali, medicas ſacráſque manus refugere omnino videbantur. Quamobrem ſæpiùs & voce & ſcripto conqueſti ſunt Noſtri, præter omnem iuris ordinē, nec accuſatos, nec vllius noxæ conuictos, confiſcationis bonorum ſuorum pœnam ſenſiſſe. Status quoq; & Ordines Catholici iterum, ac tertiò Regiam Maieſtatē ſupplices adiēre, Actoréque ampliſſimo Cardinale Strigoniēnſi, ſummis apud Regem precibus contende-

Digitized by Google

runt, vt ne insontes, antequam meruisse dignoscerentur, multari paterentur. Additis item litteris, non sine insigni commendatione Societatis, exposuerunt, quibus potissimum de causis, nec iure, nec absq; graui Catholicæ Religionis iacturâ fieri posset, vt rescissis pientissimorum Regum decretis sua iuste possidentibus adimerentur. Et quanquam ipsa regia Maiestas suapte sponte, egregiè aduersus Societatem animata, æquitatem caussæ nostræ facilè perspiceret, minimè tamen Hæreticorum furori obsistere, tum quidem potuit. Nec in eo quieuêre præsidenter audaces aduersarij, quod Societatis homines infami proscriptione notârint, sed longissimè insuper ab Vngariæ finibus abesse voluissent, nisi DEVS Opt. bona causa, & Catholicorum vis id adhuc impediuissent. Turbatis ergo retinendorum domiciliorum consilijs, visum est Nostris Vngariam minime tamen desperandam, sed qua vnicâ ratione licebat, Missionibus inquam, auidè expetitis, animarum lucro ibidem insudandum.

XII. QVOCIRCA duo petitore Illustriss. Cardinali Strigoniensi (cuius in Viennenses Socios beneuolentem animum iam aliquoties prædicauimus) his in laboribus relicti, quorum industriâ ac studio multi in fide nutantes confirmati, plures ad Sacramentum pœnitentiæ adducti, adeò vti non nemo ab ipsis Turcarum finibus exomologeseos sacræ faciendæ huc profectus, tranquillitatem diu fluctuantis animi sese recuperâsse affirmârit. Par coniugum longa aliena-

Digitized by Google

alienatione mentis odia inter se alebant, nec ad concordiam reduci posse vllo modo videbãtur; adeo multorum reconciliandi laborem luserat peruicacia; iamque eò res deuenerat, vti alter, sexu & robore mentis fractior, spiritu præcluso mortem sibi consciscere moliretur. Hæc animo volutãti adest Cacodæmon hominem mẽtitus, dubitantem confirmat, eoque impellit infelicem feminam, vt in profluentem præceps ire decreuerit. Furore igitur percita properè se domo proripit, acceleratóque cursu ad Vagum (id fluuio nomen) pergit, ac nisi ab insequentibus vi fuisset retracta, natasset. Indead Nostros perducta, DEI benignitate, non solum à tam nefario consilio est deterrita, verùm etiam marito pacatis animis reconciliata. Cerea quoque cœlestis Agni icuncula hîc loci vim suam luculenter ostendit. Cùm enim in oppido quodam superioris Vngariæ (Liskam indigenæ vocant) repentè exortum fuisset incendium, tectáque straminea vorax flamma latè depasceret, omni ope humanâ deploratâ, præsens toti oppido periculum imminere videbatur. Igitur ab vno è Nostris iniectâ Agni cerei particulâ, populatricem flammam adeò compescuit, vti ne vicinam quidem casulam arido stramine contectam attingere auderet. Quæ res non admirationem modò, sed & magnam propensionem ad Catholicam Religionem in animis Hæreticorum reliquit.

Digitized by Google

MISSIO TRRANSYLVANA.

XIII. INIQVITATE temporum factum, vt prioris anni, litteræ ex Transyluania haberi non potuerint, ac proinde duorum iam annorum coniugare oporteat, præsentis & superioris. Fuêre in Transyluania Sacerdotes è Nostris duo. P. Valentinus N. ex eorum numero, quos Stephanus Botczkay rerum in Vngariâ & Transyluaniâ potitus, inde excedere pro imperio voluit: sed studio & intercessione integerrimæ Dominæ è Catholicâ Vaselinorum familiâ, & olim Stephani Csiaky coniuge hic vnus potestatem remanêdi à Botczkay impetrauit. Mirum est quanto solatio huius præsentia in Castro Adorian fuerit, tam ipsi viduæ, quàm alijs Catholicis, seu quos illa Botczkayana dominatio carceri incluserat, aliôve modo acerbè multauerat, seu qui adhuc Varadinum, Somlio, hísque contermina loca, in extremis Transyluaniæ & Vngariæ partibus longè latéque incolunt. Varadinenses enim Catholici, cum leucis non ampliùs duabus absint ab Adorianis, ipsíque exercitium Religionis à Caluinistica potestate domi sit ademptũ, eò ad Patrem sacra Mysteria obeundi crebrò & populatim cõmeant; & iam eiusdem Dominæ Csiaky operâ effectum, vti ex Adorian, ipsi quoque Patri in arcem Somlio aditus pateſcat. Hic tamen optatus Catholicorum successus adeò vsſit Caluinianam nobilitatẽ, vti duabus viduis, Csiaky & Bat-

Digitized by Google

& Rectoræ renunciârint, ad concionẽ ære ciere populum desisterent, sacrificulos suos domi foríque in alienâ messem falcem immittere prohiberent: non se laturos hominum licentiam, cum minis etiam protestati. In comitijs Prouincialibus item Claudiopoli coactis, Patrem, quãuis tacito nomine, & Sacerdotem alium criminosè insimulârunt, ipsos ex arce foras prorumpere, circumcursare, sacra Pontificia, & alia id genus Romana obire. Denique quò calumnia numeris absolueretur suis, eos aliquando propalam per animam conuitiari: quod Vngaris supremum & grauissimum omnium habetur conuitium. Risum propinauit cordatis tam ornatum, sed incredibile accusationis Epiphonema. Neque Magnates Catholici tam criminoso obiectu innocentissimorum hominum lacerari famam sunt passi, sed eos in ampliſſimo Procerum consessu, quà verbis, quà factis animosè defenderunt.

XIV. ALTER è Societate Pater Georgius Forro in ipsis Transyluaniæ visceribus CHRISTO laborat. Discedente enim P. Argento, cui per Sigismundum Rakocium Successorem Botczkay diutiùs manere non licuit, ipse à Principis coniuge pijssima femina postulatus, & in Albano Societatis antea collegio velut semper repositus, ex antiqua Cathedra ædis sacræ (quæ sola inter tot rudera & ignes salua constitit) Ecclesiasten egit. Inde cum Principibus extra fines etiam Transyluaniæ longiùs excurrit, eáque occasione Catholicos passim sparsos officij, & forti-

Digitized by Google

tudinis Christianæ commonefecit, donec tandem cum ijsdem Albam Iuliam coactus est reuerti; Vbi Rakocius timore periculi perculsus, quod illi à tumultuantibus Heydonum copijs imminebat, Magistratu se abdicauit, atque in Vngariam ad peculium suum reuersus, principatum certa lege Gabrieli Battorio tradidit.

In hac ergo miserâ rerum vicissitudine jam abiturientem ex Transyluaniâ Patrem, vt retinerent, multis cum precibus, & promissis ab Illustrissimâ Proceres Catholici impetrarunt; eorum sub manu & fide saluum futurum. Accepit paulò pòst Pater à nouo Principe non tantum potestatem, & diploma ibidem consistendi, sed etiam cum solo familiariter congregiendi. In eo accessu primùm Pater Transyluaniæ regnum sanguini Battoreo debitum gratulatus; bene Principi eiusque imperio deinceps à DEO immortali precatur. Addit laudes Illustrissimæ Battoreæ familiæ, & nunquam ingrata obliuione delendum eius benemerendi studium. *De Religione Catholicâ æque, ac de Societate IESV commemorat Battoreos primùm Societatem in Transyluaniam aduocâsse; Battoreos eam velut suis humeris eò portasse, fouisse, defendisse. Battoreos proprio ære bona Abbatiæ Monasterienses, quæ iniuriâ temporum pessum ierant, redemisse, Societati addixisse, amplioribus bonis auxisse, tabulis et priuilegiis stabiliuisse: eáq; fortunâ rursum Societatem contra omne ius, & fas superioribus temporibus exutâ, ex totâ Prouinciâ exulare iussam esse. Iam verò vbiq; locorũ magnâ spe teneri omnes Principes Christianos, futurum sub*

eius

Digitized by Google

eius bene auſpicato Magiſtratu, vt & Societas in priora ſui iuris domicilia reuocetur, & Religio Catholica à laudatiſſimis eius maioribus ad emolumentum gentis Vngaricæ his terris inſerta refloreat, ipſeq; eorum feliciſſimis veſtigiis inſiſtat. Sub hæc ille Patri gratam eam ſibi fuiſſe gratulationem ſignificat. Deinde reſpondet Religionem Catholicam, quam Stephanus Polonorum Rex, Chriſtophorus, & Sigiſmundus Battorei Tranſyluaniæ Principes defendiſſent, meritiſque cumulaſſent, eandem ſe protecturum, Socioſque Patris, qui hinc forent proſcripti, curæ etiamnum futuros.

Quædam in eo ſermone vltrò citróque addita ſunt, quæ conſcientiam Principis & ſalutem attingerent. Vtinam ſpes ambiguæ conualituræ aliquando Tranſyluaniæ non ſint inanes. Sed reliqua expediamus. In vniuersâ Tranſyluania præter noſtrum vnum, Sacerdotes alij omnino ſunt quadraginta, eos, quia Epiſcopi auctoritas in officio continere non ſatis poterat, præſertim cùm non aduerſariorũ modò, ſed ipſius etiam Nobilitatis Catholicæ fauore fulcirentur, Pater noſter ad modeſtiam & concordiam vno die omnes erudiuit, vti mutuis deprecationibus præſente Epiſcopo ſuum errorem, magnâ bonorum omnium gratulatione, deteſtarentur. Ex quo colligas quantum ſæpe poſſit, vel vnius boni viri induſtria. Hac certè virtute Sacerdotis noſtri excitati Primates Catholici, in vltimis Prouinciæ comitijs, ſeriò & conſtanter apud Principem eiúſque Proceres egerunt, liceret eis homines Societa-

Digitized by Google

cietatis in Prouinciam accersere, quos si in Mõstor & Albæ prioribus ipsorum locis nolint habere sedem, saltem domi quisq; suæ ex peculiaribus bonis possit alere. Nihil obtentum tunc quidem, sed ad anni insequentis Comitia negotium hoc Religionis ampliùs disputandum reiectum est.

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

XV. LABORATVM hoc anno domi foríſq; in Academiâ, & vrbe non pœnitendo cum fructu. Ea quippe fuit Sodalitatum (quarũ hîc loci quatuor sunt) pietas, ac feruor, vti ciues etiam Olomucenses exemplo suo accenderent. Dederant Sodales in magnâ hebdomadâ pauperibus epulum, ministrantibus nobilissimis quibusque, & inter eos Baronibus octo. A mensâ pedes loti cum osculo: additi singulis Eleemosyna Philippici singuli. Non tulerunt eam sibi laudem negari ciues permulti: imitati ergo hæc illorum, tam Christiana officia, inuitationibus pijs, & donationibus Sodales propemodum etiam superarunt.

XVI. ADOLESCENTVLVS ex infima Grammatices idémque Parthenius, officium Beatissimæ PATRONÆ suæ, quod integris, tum viribus recitare frequens consuêsset, id in summa quamuis ægritudine faciendum multo magis putauit. vt qui morti propior esset, & mercedi. Legere ergo pro more suo preces dum conatur Marianas, claudun-

Digitized by Google

claudūtur oculi, & ille ad Sodalitium Diuorū euocatur, pertinaciter adeò intra digitos inhærente libello, vt quod ei commodè extorqueri non posset, cùm eodem articulis sic impedito, teu tessera sui in DEVM & VIRGINEM pietatis fuerit sepeliendus. Talis erat innocentis pueri, sed longè dispar duorum adultorum ex hac vitâ discessus. Filius & gener ciuis cuiusdam Olomucensis anno præterito præfractè obstiterat Sacerdoti nostro, ne ciuem illum lethali morbo decumbentem conueniret, cuius ad veritatem reducendi magnam spem conceperat. Vterq; postea intra breue tēpus malè perijt; Filius quidem gladio à milite inter iurgia: gener autem virulenta potione putatur sublatus. Ita

Raro antecedentem scelestum deseruit
Pede pœna claudo - - - - - -

Sed horum improbitatem egregie quidem aliorum constans integritas restituit, quo in genere specimīnis loco, vel vnicam Viraginem cōmemorasse necessitatem putauimus. Orta illa hæreticis parentibus ante biennium veritati manus dederat. Hoc autem anno in patriam sex milliaribus Olomucio distantem reuisens, matrem, vt in Religione secum sentiret, hortatur. Illa bene suadenti, non tantum inobsequens est, sed insuper filiæ ægriùs quò faceret, carnes ei die nefasto apponit. Mox rei indignitate commota filia, elixam cum scutella ex mensa deturbat, verbísque in facinus matris grauiter inuecta, cōuasat, & abductam secum sororem alteram Olomucium redux Catholicam efficit. Vtramque

Digitized by Google

insecuta mater lymphatæ similis, Magistram virtutis verberibus salutat, adiectis minis capite luituram, sententiam ni mutaret. Non mutauit, & nihilominus caput non perdidit animosa Virgo.

XVII. MISSIONES tres præcipuæ fuêre. Vna vetus Cremsirienſis, aliquot iam annis continuata. Altera Oppauienſis in Silesiâ, Moraniæ contermina, quæ quidem interrumpi debuit, non sine magno Catholicorum dolore, apud quos ingens sui desiderium Patres reliquerunt. Tertia Topolchanenſis in Vngariâ in quâ pagi quinq; Slauonici sub ditione Illustris D. Sigismundi Forgach Romanæ Ecclesiæ restituti. Tentatum est aliquid in nido Caluinistarum Commiati, spes est in semine; auctórque huius soluendæ Missionis discedentibus Nostris, magno Catholicæ rei bono, subitò extinctus est.

COLLEGIVM GRÆCENSE ET MISSIO ALSOLYNDWANA.

XVIII. DIES B. Auctori nostro sacer hoc demum anno cum externis apud nos cœpit esse communis. Spirans sane ille è vultu, & oculis omnium pietatis sensus, qui quemuis non pessimum commoueret, satis indicauit vim humanâ maiorem Beati interuentu animis præsertim sese insinuâsse. Vir Illustris & militaris principi præsidio in his oris præfectus, nobiscum tum prandens, inter mensam vt fit, pij quidpiam ex libello audierat lectitari; solutúsq; in lachry-

mas;

Digitized by Google

mas Optandum sanè, inquit, *Patres, grauissimorum quorumq; flagitiorum reos, vobiscum aliquando conuiuari: næ illi vestro cum pane salutare pœnitentiæ ferculum gustarent.*

XIX. Cvm Externis præterea actum, quà publicis, quà priuatis sermonibus perquàm fructuosè. Tres e Mahumetis tenebris in lucem producti; ex his vnus in æde nostrâ ipso Pẽtecostes solenni die à Sereniſſimo Maximiliano è baptiſmi fonte ſuſceptus, dieque poſtero, quo ei Confirmationis Sacramentum collatum, ipso Sereniſs. Ferdinando Patrino vſus eſt. Quod officij genus religioſiſſimi principes compluribus infimæ ſortis hominibus, atque adeo è ruſticanâ plebeculâ vltrò accitis magno ſæpe exemplo præſtiterunt. Quidam non minus genere, quàm hæreſi nobilis ante annos ſeptem huc ex imperio venerat, Noſtrum controuerſam in Religione quæſtionem pro concione diſcutientem audierat, adiecerátque ad Orthodoxos animum. Sed quoniam nuptias cum hæreticâ ad Carinthios cogitabat, tantiſper diſſimulandum exiſtimauit. Abiens tamen Noſtro fide interpoſitâ pollicetur, ſe eidem ante mortem de peccatis confeſſurũ. Plenum periculo videbatur augurium, ſed proſperum fecit euẽtus Elapſum enim ſeptẽnium erat, cùm eum è Carinthiâ neſcio quid negotij Græcium exciuit; hic in morbum grauem incidit, Noſtrum, à quo ignem olim diuinum conceperat accerſiri iubet. Adeſt vocatus, reperit hominem elinguem, exſenſum; orat aliquantiſper cum ſocio. Interea recipit ſe ho-

Digitized by Google

se homo, Patrem compellat; confitetur, & breui interiectâ morulâ iterum. Sub hæc duobus vltimis munitus Sacramentis, ad Nostrum; *Hoc est*, inquit, *O Pater, quod tantò antè & optaui, & vaticinatus sum; Reuerentiam vestram meos mihi oculos clausuram.* Nec multò pòst, ita vt dixerat, in eiusdem Sacerdotis manibus plenus solatio expirauit. Eundem Sacerdotem Serenis. in superiorem Styriam assumpserat sibi Comitem, ibi multa è re Christianâ præclarè gesta. Locus erat vetus quòdam Lutheranæ factionis hospitium, cuius sibi incolæ, nescio quas, reducendi Prædicantes spes concinnabant. Has ijs Noster efficaciter sanè pro concione excussit: *Eo esse Serenis. animo significans, vti suam & suorum iacturam cuicunq; Religionis dispendio sit posthabiturus.* Atq; hæc quidem contestatio magnam à Sereniſſimi præsentiâ & tacitâ quadâ approbatione vim habuit & energiam. Nec illud silentio hic inuoluendum, arbitror, quod Sereniſſimorum nostrorũ pietati comitatique perilluſtre fuit. Pagus quidam finitimus, Hæreticis vndequaque cinctus, & à Dominis ob fidem multa & grauia passus, à vero dimoueri nunquam potuit. Hunc solandi, atque in proposito confirmandi, sereniſſimi non sine suo incommodo ex itinere nobiscum inuiserunt. Noster habitâ ad inquilinos oratione, ita eorum molliuit animos, vt indices lætitiæ lachrymas in imperio nec haberent, nec finem gratijs Nostro agendis facere possent.

Quod sequitur, pias Catholicorum consuetudines, ac cæremonias commendat. Quidam ob conten-

contentiones nescio, quas in carcerem abstrusus malo consilio arreptum cultrum gulæ iamiam infixurus, audit ad salutandam DEIPARAM æris campani sonum. Dilato igitur scelere provolvitur in genua, siue vt consuetudini faciat satis, siue vt extremum atque æternum DEI Parenti diceret vale. Hoc agit, & redit interea homini mens melior, vt ab immani facinore depulsus, malum animum bonâ pœnitudine eluerit. Fuit & sodalibus suis auxiliaris eadem Virgo. Ex minorum, id est Innocentium albo desperatâ quidam valetudine votum in Cellas suas nuncupauit, cuius repentè damnatus, ad id persoluendum è lecto sanus discessit.

XX. E COLLEGIO in nouam Academiam munificentiâ, ac liberalitate Serenis. Ferdinandi ædificatam hoc anno commigratum est. Ædificium omne ita est ad vsum & splendorem factum, vt non sit in his oris secundum. Structura è latere coctili, solido ad delicias vsque pariete. Ea iam, quæ scholis incumbit contignatio Aulæ Academiæ tota cessit, quæ tametsi nondum ad omnem suum qui paratur, ornatum deuenit, datâ tamē sub studiorum instaurationem Hesterâ, tria spectatorum millia biduum ipsum commodè simul tenuit ac iucundè. Nobis porrò illud ab hâc nouâ Accademiâ accessit cōmodi, vti laxatis collegij angustijs, & alumnis nouâ in Conuictorum eductâ cōtignatione ex parte expeditis, inter omnes Actionum Academicarum & Dramatum strepitus, domi nostræ liceat esse quietis. Neque verò scholis solùm

Digitized by Google

sed & templo suum additum est decus; Ara nimirum sculptilis D. TRIADI sacra, quæ nouam loco intulit Maiestatem.

XXI. ALOLYNDWANA oppidum est quarto à Canisiâ milliari Turcis conterminum, sub ditione Magnifici D. Christophori Banffij è magna & perantiquâ Baronum familia. Hic vbi inductus maximè illâ triumphali Eucharistiæ pompâ (vt est in Zagrabiensibus anni superioris) ad religionem nostram redijt, nihil habuit priùs, quam in eadem fidei statione sibi subiectos, & si quos posset alios, collocare. Eam in rem impetrauit duos è Nostris Sacerdotes, quorum operâ in illâ gente omni pœnè sacro præsidio destitutâ plurimorum salus vigorem suum recuperauit. Nam vt omittam ea, quæ inter domesticos quasi parietes gesta; Sacrificij inquâ Romani quotidianum vsum, cui ipsi etiâ Hæretici adgeniculantes adsunt, renouatum, aulicos mores à licentiâ vindicatos, cõpotationes intempestiuas, & id genus liberioris vitæ cõsectaria inhibita, spatio quatuor mensium eiuratâ hæresi, centum octoginta nouem Ecclesiæ sunt restituti. His Haydones quatuor & viginti, cũ Castellano ad arcem excubias, adde, qui quauis hæretici, tũ ipsa vicinis vsitatũ, & ipsi, quoties vel manè aperiebant, vel noctu portas recludebant, toties SS. IESV nomẽ ter repetitis vocibus ingeminabant: hi iam nunc omnes ad fidem reducti, MARIAM cũ IESV iungentes, sacris exclamationibus dies noctesque auspicantur. Mulier etiam, cui inter Hæreticos Cacodæmon varius terrori frequenter erat, ea apud nos agni cerei, & aquæ lustricæ armata præ-

Digitized by Google

ta præsidijs, ipsi Cacodæmoni cœpit esse terrori.

COLLEGIVM PRAGENSE SEDES BERNARDICENSIS.

XXII. GRAVEM habuerunt hunc annum Pragēses, & multis obnoxiū tēpestatibus; Res enim publica iactata priuata quoq; nostram in partem periculi traxit. Vnde altiùs nonnihil, & ab ouo, quod dicitur, exordium petendū. Principiò igitur inusitatum quoddā vulgi vniuersi in Nos, nescio quâ de caussâ, conceptum odium, ceu atra quædam, & procellosa nubes circumsistere nos cœpit; inde mox prænuntia tēpestatis quasi fulgetra, & longinqua dubiæ famæ demurmurantis tonitrua, quæ longè latéque diuulgauerat, Iesuitas ex Bohēmia exturbandos, eorum collegia, aut euertenda, aut in alios vsus conuertenda. Neque prorsus è vitro, aut vacua nūbe hæc prodibant. In ipsâ Pragensi vrbe mediâ, palam in faciem eiusmodi minę, atq; his etiam atrociores frequēter nobis intentabātur. Non ferè quisquā Nostrūm in publicū se dabat, quin à proiectissimo quoq;, ad restem, rotā, omnem malam crucē per ludibrium addiceretur. Sub initiū anni rebus nec dū adeò exulceratis, Germanicus noster Orator cū Academico Procācellario, vt vocāt, in frequenti arcis Cæsareę vico Ratschin dicto, mediā die ambulans, à temulento quodam sed robusto Aurigatore primùm conuitijs, mox grandi saxo eminus, ac tandem cominus cultro escario petitur; aderant complures huius spectaculi admiratores egregij: Admiratores inquā: Nam qui vel

Digitized by Google

manum moueret, nemo. Profuit Patri celeritas in cohibendâ ictum vibrantis manu; sed non potuit tam cautè, quin acie cultri perstringeretur. Postea tamen à Magistratu diligenter conquisitus sicarius, & in carcerem abductus, precibus læsi libertatem recuperauit. Huiusmodi verò amicas scilicet prensationes, tum Nostri, tum aliorum Religiosorum Ordinum homines crebriùs deinceps experiebantur; vt eos plerunque, vel dissimulanter adequitans quispiam, virgâ quasi in equum adductâ secundum caput percelleret, vel præteriens cubito, pugnis aut calcibus insectaretur. Et nostrâ quidem caussâ, DEO laus, nihil grauiùs accidit, quamuis non defuerint Catholici, qui tales aliorum Religiosorum iniurias vulneribus, ac cædibus vltum irent.

Tandem vero & publicus armorum terror incubuit, cum nouus creatus Magistratus aliquot millia tam equitum, quàm peditum conscribere cœpit, nominatim vt nouitiæ Religionis defensores; sed vulgus promiscuum disertè clamabat, omnem hunc militem auctorari contra Iesuitas. Persuaserunt insuper sibi, nos quoque clam militem scribere, & arma contra parare. Itaque ridiculis eâ in re suspicionibus laborabant. Turriculas quoque templi, (quoniam anno abhinc altero ruinam minitantes reparatæ fuerant opere subitario, remanserántque in eis cauernæ, quæ immissis tignis operas sustinebant,) tanquam recens factas, de industria ad explodenda tormẽta aduersus impugnantes pro certo crediderunt, & nobiscum publicè eam ob rem in Comitijs expo-

Digitized by Google

expostularunt. In Conuictorum item domicilio nescio, quæ foramina ad portam pessulo claudendam fieri oportuit: etiam hæc ob defensionem similem parari ad ignes, & globos iaciendos vsque adeò persuasum fuit, vti nobilissimi Barones priùs eam persuasionem non ponerent, quam oculis in rem præsentem venirent. Plenissima erat Praga aduentitio milite, ita vt sexaginta, octoginta, alibi etiam centum, in vno contubernio numerarentur. Exciuerat enim eos vndique vel spes certæ prædæ ex templorum & monasteriorum direptione, vel etiam studium iuuandi Imperatoris, qui & ipse delectum habiturus putabatur. Quæ caussa posterior plurimos bonos alioquin viros huc aduocârat; id quod diuino nutu accidisse crediderim, vti meliorũ permixtu, minùs auderet deteriorum temeritas. Certè ipsimet harum motionum auctores, cum viderent tantâ conuenarum militum frequentia ciuitatem laborare, ne vel in suam ipsorum perniciem, res redundaret, timuerunt; quare de eâ quamprimum minuendâ, seriò cogitare cœperunt, sed antequam id fieret, in primo tantæ illius procellæ fluctu, cùm nemo quem exitum res essent habituræ, posset dispicere, nihil aliud ferè hominum sermonibus celebrabatur, quàm vt Iesuitæ è medio tollerentur: his hostijs, ventis velut placatis, malaciâ certo certiùs esse sperandam. Insederat enim ea omnium mentibus bene firma opinio, cunctationem Cæsaris, & reliqua contra nouam Religionem consilia à Nostris, vel solis proficisci. Et agebatur interim,

vltrò citróque cum Imperatore per Legatos. Ad V. Idus Maias accidit, vt legati statuũ ad vespertinum vsq; crepusculum apud Cæsarem morarentur; accepit hinc vulgus occasionem suspicãdi ad pœnam illos detineri: metu quoque an de industriâ spargebatur, appulisse equitum turmas de Bauariâ. His fretos armari Cæsarianos, primúmque omnium pontem occupaturos, vtpote locum opportunissimum, minoris vrbis & Cæsareæ arcis tuendæ; quare anteuertendum eorum consilium, præoccupandum pontem, & inprimis Iesuitarum Collegium, quod est in põtis capite. Id consilium, quamuis falsis innixum rumoribus, mirum quantâ subitò exceptum approbatione est. Concurritur ergo ex tota nouâ ciuitate, forum antiquæ completur armatis, vt inde acie compositâ pontem & Collegium versus tendant. Nos interim crebris ac certis monemur nuncijs de periculo; eam noctẽ occupando, ac diripiendo collegio esse constitutã: illinc omnes adeò plateas ad forum vsque armatis scatere, neq; per eorum cuneos, quemquã sese penetrare posse, voces, animos, pedes omnium in Iesuitas ferri. Et certò postea cognouimus, conspectos esse è vicina domo longâ trabe ceu ariete onustos, quibus conuenerat valuas primarij nostri S. Saluatoris templi quatere, & illac aditum porrò ad Collegium aperire. In hac trepidatione dimissi è domo Nostratium plurimi, ad amicorum, in minore vrbe priuatas ædes, vt si quæ vis grauior Collegio ingrueret, auxilium implorarent. Pauculi quidam intra septa remanserant, ad ea

Digitized by Google

ql ea videlicet nos cõparantes, quæ furori populari, DEO in nos permittere placuisset. Inter omnes autem curas prima fuit, SS. Eucharistiam, ne quâ contumeliâ afficeretur, in reconditiorẽ locum abdere. Redierant iam ab Imperatore legati honorificè dimissi: cum his aderant primi etiam Regni proceres, qui fluctus frangerent; nihilominus tamen duas ipsas in noctem horas tempestas tenuit, omnibus ad aggrediendum ducem & signum expectantibus. Nec intentata profectò res abijsset, nisi ipsi motuum primipili turmatim obequitantes, pedestrem turbam suorum corporum obiectu à ponte longiùs repressissent, donec tandem ad sua dilaberetur. Id in nostram gratiam ab se factum, sæpiùs ijdem sunt apud amicos nostros gloriati: vt facilè pateat diuinitùs tunc fuisse seruatos Patres. Hoc publico periculo defunctis, omnibus tamen non licuit carere iniurijs. Nam tertio pòst die statuam lapideam Saluatoris, quæ in templi nostri Bohemici summo vertice, quà pontem respicit, collocata est, sic disploso manuali tormento quispiam deformauit, vt totum ferè vultum simulachri abraderet, & dextræ aliquot digitos comminueret. Orbiculos vitreos fenestrarum, Cruces in templorum apicibus, ipsa adeò nostra, Conuictorum atque alumnorum pauperum cubicula (in eadem enim insulâ degunt) sclopis quatere, quotidianus interdiu atque internoctu ludus fuit: adeo quidẽ vt interdum plenæ volæ plumbearum glandium in solâ studiosorum areâ colligerentur: quan-

Digitized by Google

quam quæ DEI singularis est prouidentia, nemo vnquam sit læsus. Iam verò postquam à sagatis respirare nonnihil posse videbamur, non minor á togatis etiam in Nos tempestas excitari cœpit. Postulatum enim in Comitijs, vti quæcunq; hactenus in regno Societas possedisset bona stabilia, ea Regio fisco addicerẽtur vniuersa. Domus illæ nouendecim, quas in Sancti Clementis insulâ, collegio exædificando, coëmisset, ciuitati: Templum S. Eligij ibidem situm Aurificibus, quorũ aliquando fuit, restitueretur. Noluerunt præterea quasuis, siue inter viuos donationes, siue legata in testamento Societati legitimè fieri posse. Omnes census perpetuos quauis ratione fundari, aut stabiliri in regno vetuêre. Ad extremum ipsa Fundationum, Priuilegiorum, Immunitatum instrumenta in comitium adferri, & publico examini, sintne secundum iura Regni concessa, subijcere mandauerunt. Nec defuêre aliquot etiam Catholici nominis Proceres, qui hæc postulata quà conniuendo, quà promittendo fouerent. Sed enituit trium potissimùm magnorum virorum pro nobis constantia. Illustriss. videlicet Quæstoris Palatij (quem Cancellariũ vocant) Zolenkonis Adalberti Popelij Guilielmi Slauatæ, & Iaroslai Borzitæ de Martiniz: qui vt Religionis negotio facilè capitis, honorum, fortunarũmque omnium pericula posthabuêre, neque apicem vnquam vllum in præiudicium suæ fidei subscribere voluerũt; ita etiam vt Societati sua iura permanerent, omnibus quibus potuerunt viribus, pene soli Interregni Magi-

stratus

stratus elaborauerunt. Sed & Illustrissimi Nuncij Apostolici Antonij Caietani, nec non Balthasaris à Zuniga Regis Hispaniarum ad Imperatorem Legati spectatus est aduersus ordinem nostrum amor & sollicitudo, qui non solùm insignem in hoc negotio nauârũt operam, sed Principum quoque suorum apud Imperatorem interposuerunt auctoritatem, ne quid vnà cum Societate Respublica Catholica detrimenti caperet. Quibus rebus perfectum est, vt ipsemet Imperator (apud quem alioqui offendisse ab annis pluribus vulgò credebamur) sese admodum strenuè, tum Catholicis quibusdam nobis aduersantibus, tum verò Statibus diuersarum Religionum pro sartis tectis habendis Societatis nostræ priuilegijs opponeret, tandémque peruinceret, ne quid eorum, quæ superiùs efflagitata commemorauimus, Comitijs decerneretur.

XXIII. In His turbinum forensium iactationibus nõ minus ad naufragium res nostra familiaris spectabat. Prædium enim Coponiense anno superiore à militibus direptum, & abacto omni ferè pecore exhaustum vix se alere, nec dũ Collegio subsidia solita suppeditare poterat. Fundationis censum, quidam nobis vectigales, spe certâ proscriptionis nostrę è Bohëmia, deuorauerunt, ac proinde solutionem nectendis de industriâ moris, toto Comitiorum tempore differebant. Quæ omnia diuinæ in nos bonitatis fauorem fecerunt illustriorem. Enimuerò sub ipsius anni exordium, cum ne teruncius quidem

Digitized by Google

domi esset, excitauit bonus DEVS ex ciuitate Lunensi Religioni Romanæ admodum infestâ, hominem tametsi cetera humanum, in fide tamen cum suis ciuibus sentientem, qui legatum quingentorum Philippeorum piæ cuiusdam viduæ, anno priore debitum, persolueret. Profuit etiam res Tragica de quinquẽni blasphemo ex Dialogis S. Gregorij mense Februar. in scenã producta; Eam enim vbi spectassent primẽui Proceres, ipsi sese ad cœnulam nostram inuitarunt, quam cùm tenuem admodũ, & pœnè terrestrem pro tenuitate nostrâ acciperent, symbolas quoq; suas leuandæ inopiæ dignati sunt adijcere. Chartam ergò vltrò ipsi adferri iubent, scriptóq; promittunt alius dolium vini, cereuisiæ alius, pisces, pecunias, singuli singula: nec diu pòst pollicitis liberaliter stetêre. Sereniſſimus Sigismundus Battorius in hac nihilo minus quàm in pristinâ fortunâ erga Societatem propẽsus, præter centum oues, alia etiam maioris armenti capita donauit restaurando prædio. Nec in profanâ modò, sed & in sacrâ supellectili admirabilis DEI perspecta est prouidentia; quæ quidem auiditati Martiali, tam secretò subduci abdique non potuit, quin quosdam vultures aduerteret, qui conceptis verbis iterùm, ac tertiò coniurauerant, primâ opportunitate, ædes Baronis, apud quem rem templi deposueramus, inuasuros. Totus ille coniuratorum manipulus, aut Lutherani erant, aut ijs non meliores, præter vnicum, cuius Religio ceteros latebat, recens enim ad bene credentes transierat. Is etsi initiò

tiò idem iurâsset, postea tamen, cùm serias videret sociorum ad audendum molitiones, religione tactus, periculũ alteri cuidam nobis amicissimo, qui nos moneret, significauit: & fuit cura cauere. Illud verò non sine damno; Nocturni fures, cum intempestâ nocte ad hortum nostrum nauigio appulissent, atque effractis fenestrarum claustris, nec non interioribus armariolis sacelli, spiritibus cœlestibus consecrati, reliqua omnia compilâssent: supellectilem tamen argenteam thecasque reliquiarum, fabrè & sumptuosè antiquo opere factas, asserculo solùm, eóq; hianti à cæteris rebus distinctas, non deprehenderunt. Vt meritò credant Nostri se suaque superis curæ, ac cordi singulariter fuisse, qui post tot rerum discrimina, scopulos ac syrtes, littus tandem salui terrámque spectant.

XXIV. ATQVE in his perturbationibus, nihil ideò officij, neq; domi, neq; in scholis, neq; in foro intermissum. Neq; domesticorum fuit, qui maioribus etiam periculis se libẽter, atq; hilariter non obtulisset. Idem fuit & discipulorum, Sodalitatum, præcipuè Italicæ, atque adeò communis populi Catholici sensus, quòd constans semper tam in Gymnasio, quàm in tẽplis auditorum celebritas satis declarauit. Magistrales laureæ, & annui laboris, ac diligentiæ præmia suis quoque temporibus, etiam maiore, quàm aliàs celebritate distributa. Quin ad excitandam in iuuenilibus pectoribus virtutem, aut etiam, si res & DEVS ita ferret, ad fortiter pro æquo ac bono moriendum, data est in scenam Iustus

ſtus & Paſtor Tragœdia, tanto fructu, vt nihil ad ſummam gratiam motúmque animorum requireretur. Quadraginta horarum comprecationi apud nos ſub ieiunium vernum illuſtrandæ, Illuſtriſ. Balthaſar à Zurigà candidos cereos, triginta quinque pondo ſuis ſumptibus accendi iuſſit: Sed inter omnes illos maximè luxit Sereniſ. Leopoldus Auſtrius, qui cum per idem tempus apud Imperatorem ageret, nõ modo horam ſuam ſupplicabũdus tranſegit; ſed etiam CHRISTVM in pompâ euchariſticâ cũ clero deducere ſibi glorioſum putauit; Et vt, quod in Principe Chriſtiano pulcherrimum eſt, cæſareo ſtipatus ſatellitio, rei diuinæ palam intereſſe voluit: Et cum in noſtro templo Confirmationis Sacramentum adminiſtraretur, aliquot ipſemet Baronibus teſtis ſuſceptórque aſſiſtere. Poſt cuius abitum nihil æquè rebus turbatioribus profuit, quam ſupplicatio quædam magno comitatu ad ædem B. VIRGINIS Brandiſienſem inſtituta, quæ non ſolùm periculis, vt timebatur caruit, ſed pericula quoq; propulsâſſe, ſerenitatem bonis reddidiſſe creditur. His & ſimilibus piorum heroicis actibus, res aduerſariorum, Huſſitarum maximè, labefactatæ, multis cauſſam dederunt exuendæ perfidiæ. Cùm enim viderent ipſis cum annis & Curionibus, in nouam ſemper faciem, ac monſtrum Religionem ſuã transformari, Templum etiam illud, quod Bethlehemiticum indigetant, in quo Ioannes Huſs primò omnium ſua ſomnia ſomniauit, eáque inde ex cathedrâ peſtilentiæ (quæ huc vſque in eius

ibidem

Digitized by Google

ibidem memoriam, magnâ scilicet Religione asseruabatur) audientibus prodidit, iam Fratribus Boleslauiensibus esse traditum, amplissimâ lanionum in vrbe veteri tribus petijt à Franciscanorum Prouinciali, Concionatorem Boëmum, pro templo S. Iacobi; quamuis enim Catholici non essent, malle se tamen, aiebant, Catholicum Sacerdotem, quàm ex suis quemcunque audire. Prouincialis ergo ille, cum idoneum non haberet, vnum aliquem à Superioribus nostris, pro suâ erga Societatem confidentiâ, popposcit; sub Decembrem impetrauit.

XXV. ADOLESCENS filius Illustrissimi in aulâ Saxonicâ viri, factus in Gallijs non Catholicus solùm, sed & Capucinus, breui fractus, Ordinem rursus, fidem tamen noluit deserere. Reuersum ad suos Polycarpus Leiser adoritur disputatione primùm; cum ea falleret, maiorem subruendo illi machinam admouendam ratus, triduum totum cum ipso helluando & pergræcando adolescentem fatigat; callidus nimirum noui verbi interpres. Tum deinde quarto die, necdum satis exhalatâ crapulâ, suam ipsi cœnam ingerit, vicerat videlicet. Sed adolescens paulò pòst magis sobrius cœpit ex bolo illo grauiter, quà corpore, quà animo turbari, factique admodum pœnitens discedit indignabundus è Saxoniâ Pragam. Vbi diurná nocturnáque mentis inquietudine aliquãdiu cùm fluctuasset, nihil tamen magis, quàm medicinam, & sceleris expiationem refugiebat. Compensauit autem eam cunctationem secutus feruor & sincerit-

Digitized by Google

XXVII. DECVMBENTI ex morbo iamq; omnibus munitæ sacris honestæ cuidam feminæ aderat cõsolationi Noster: quam cum ille ad spem vitæ erigere conaretur, id quod vultus, vires, alia omnia suadebant: Ego verò (inquit secretò ad Sacerdotem mulier) mi Pater de rebus meis, tanquam breui eas æternùm relictura, disponere instituo. Bis enim ex quo viuere cœpi, simili cum morbo conflictari habui, & vtroque in periculo DEI GENITRICEM Virginem mihi visam memini, ita affantem: *sanabere.* Sed & hoc tertio in conflictu dignata est me accedere, aliâ quamuis voce: *Veni.* Quare omnino me morituram credo. Dicta confirmauit quarto post die secutus, præter omnium opinionem, felix obitus.

DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

XXIIX. QVAMVIS hoc anno peregrinationes consuetæ ob variarum motus Prouinciarum intermitti debuerint, atque adeò in campum patientiæ prodire non licuerit, habuerunt tamen in castris suis Tirones, quod discerent à Veteranis. Labores istorum duo maximè adiuuerunt, salutare pœnitentiæ Sacramentum, & perspecta Agni cerei vis. Quendam à longo iam tempore sacris Misterijs abstinentem, Genio libertatique perditè operantem, mali auctor Cacodæmon spectabilis aggreditur, suadétque Consultor pessimus mortem, vel ipse sibi alicunde præceps,

Digitized by Google

ceps, vel filio natu maiori parricidâ conſciſcat. Neutrum vt faceret, ſacra peccatorum exomologeſis perſuaſit. Eadem alium quendã ab vxore ſua, de genere furiarum aliquâ, in deſperationis barathrum cõiectum, è piſcinâ, quam animæ extrudẽdæ delegerat, felici hamo retraxit. Duo alij eodẽ amuleto non animis ſolum, ſed & corporibus curati ſunt. Nec minora Agnus cœleſtis potuit. Prægnantem à partu in paludem à malo Dæmone præcipitatam à periculo, à ſpectris vexatam, pueros denique à morbis varijs liberauit.

XXIX. CRESCIT ædificium, & exornatur templum liberalitate maximè Illuſtriſ. Cardinalis à Dietrichſtain, qui bis mille philippeis opus egregiè promouit, vt iam nunc ad noua habitacula, noua Patrum Concionatorum colonia ſit deducta, & ſperare liceat primo vere totam veteranorum claſſem ſubſecuturam.

COLLEGIA CRVMLOVIENSE ET COMMOTOVIENSE.

XXX. AB VTROQ; Collegio cùm intra tum extra mœnia, res more ſolito, id eſt ſtrenuè & vtiliter geſta. Commotouienſibus tamen maior fuit cum Hæreticorum ambitioſâ perfidiâ lis & labor. Diuulgata enim ſub initium Auguſti Religionis libertate, omnibus totius dominij Sacerdotibus, qui octo ſupererãt, renunciatę paroeciæ, atque eorum vices prædicantes, & pleriſq; pagorum ludirectores ſubſtituti. Commotouienſes

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE BIBLIOTECA Digitized by Google FACULTAD DE FILOSOFIA Y LETRAS

enſes illo noui Euangelij muſto calefacti, vt ſimul omnẽ veterem DEI cultum abolerent, Muſicæ iuxta, ac Organo præfectis debita mox ſtipendia denegauerunt; Curioni quartam penſionis partem cum horto & ſuburbanâ domo abſtulerunt, ipſóque D. Iacobi die æra campana ſibi canere iuſſerant, mutato Æditui, qui gemino pulſu, duas ferè horas durante, auſpicatum illam diem atque officium ſuum ſignificauit; attonantibus paſſim maioribus ex ferro fiſtulis, in ſignum triumphi, quaſi iam tum debellatum eſſet. Paucis hinc interiectis diebus, ſiſtunt ſe Magiſtratui ex Imperio Catholici, proponitur ipſis ob eorum paucitatem de relinquendo curiali, & Principe templo: illi dicere, id integrum ſibi non eſſe: peterent à Collegio Patrum & ijs, penes quos foret ius patronatûs, vt ipſi loquebantur, ſe ſine expreſſo Imperatoris mandato nec poſſe, nec velle reſignare. Hîc quidam grauiſſimè commotus, eos transfugas, & infami nomine Nomalucas, iiſque peiores, qui cum Turcâ contra ſuos irent, appellitare, Senatum ea talia beneuolentiæ cauſsâ rogare potiùs voluiſſe quàm imperare, non defuturas vias, quibus templum ſuum facerent: Cogitarent Commotouienſium hoſtes iam paſſim fractos, & ita quidem attritos, vti de reliquis victoriam ſperare facilè poſſint: viderent etiam, atque etiam, ne Sacerdotibus, ac Ieſuitis nimiùm fidant; imprudentium eſſe, in ijs collocare præſidium, qui iam aut ipſi pœnè iacerent, aut præſidio indigerent; proinde ijs ſeſe iun-

Digitized by Google

iungant, ac morem gerant, quorum Societas securitatem, indignatio & vis non mediocre malum esset positura. Hoc tamen ore nihil territi Catholici in sententiâ suâ perstitêre, communicatâque nobiscum re totâ, visum est aduersariorum machinationes, quàm citissimè apud Imperatorem anteuertere. Quod dum fit, Commotouienses moræ impatientes, decimo Calendas Septembris, qui in Dominicum incidebat, templum sibi vsurpandum decreuerunt. Diluculò igitur in arcem conueniunt, occupantésque consuetum pulsum Senatu præeunte, & viginti quatuor alijs ex plebe delectis, suos Prædicantes in templum deducunt, psallunt, concionantur, aliâque hæretica solemnia ritu peragunt.

Hîc demum quasi de victoriâ certi, Curionis domum lacerant, amplum in ruderibus ædificium inchoant, ac multiplicatis operis promouent, quò nunquam deessent noxij seruuli, per quos errores radicati propagarentur. His omnibus Pragam ad Regios Administratores delatis, citantur sex è Senatu Commotouienſi, proponitur ipsis atq; exprobratur insolentia facti: illi se excusare; malè à Nostris de Magistratu narrari, quod populus auctor fieri voluisset. Nihil tamen apud Consiliarios Cameræ ea valuit declinatio. Ad templum, quod attinet, reprehensi primò de temerariâ inuasione, illud & quæcunque iure antiquo secum traheret, in integrum restituere sunt iussi, eo ordine & modo, quo antè idem occupassent;

Digitized by Google

tum deinde Cantori, Organœdo, Parocho, electis iterum ex eorum possessione Prædicatibus, pensiones imminutas redintegrarẽt, ablata redderent, domum resarcirent. Cum hoc decreto summáque potestate duo ab Imperatore Legati ipsorum Commotouensium sumptibus nono Calend. Octob. vrbem & senatum ingressi executionem imperant: *illi refragari, id nomini suo atque auctoritati dispendiosum fore, seditionẽ & tumultum prætendere, in omnem denique partem se torquere, ne quod sententiâ decretoriâ iuberentur facere, clauésq; nobis ademptas in publico restituere cogerentur.* Vrgentibus dein Cæsarien sibus, cauerent, ne remissa necdum prioris delicti pœna, grauius quoddã sibi ac Reipublicæ malum hac nouâ contumaciâ accersant, illi nihilomagis moueri. Legati itaque protestatione facta, se officio suo non defuisse, cum illi nollent, acceptis clauibus ad templum pergunt, atq; in ipso cœmeterio plurimis ad spectaculum effusis P. Rectori, Imperatoris nomine, claues in manus tradunt; is actis pro ea beneuolentia gratijs, Curioni deinceps eas porrigit, inde in templum ingressi, personante ære campano, TE DEVM, pro recepta possessione, modulatis vocibus, *Laudare* cœperunt. Amisso ad hunc modum loco sacro, impeditáque scholarum fabricâ, fracti plurimùm sunt aduersariorum animi; nam cum in vicinis ciuitatibus eadem dudum molirentur, & ad audendum nihil deesset præter exemplum, in Commotouiensibus sanè habuerunt. Sed quod minimè sperabant, tam inauspicatum, vt eo territi manus deinde

Digitized by Google

inde ab eiusmodi sacrilegâ rapinâ abstinêdas iudicarint. Vt autem quoquo modo de nobis sese vlciscerentur Commotouienses, negauerũt Curioni reponere, quæ antea detraxerant, vsum itẽ campanarum sibi vendicantes, noluerũt dimittere. Sed diu factum non est, cùm impetrauimus alterum ab Imperatore decretum, quo cum graui interminatione iussi sunt, vtrunque præstare, ac quoties campanis vti vellent, Curioni significarent ipsi: curiq́ue debitos ea propter reditus persoluerent. Vsq; adeò tamen contumaces fuerunt, vt maluerint aliquot hebdomadibus funera sua carere pulsu, quam vel minimum quadrantem ad commune rei Catholicę bonum conferre.

XXXI. DVM his & similibus pro iure nostro tuendáq; Religione laboribus distinemur, multis præterea periculis atque incommodis obijcimur: vt enim hæc talia Societatem apud Catholicos commendabant, ita apud alios in magnam trahebant inuidiam: Nec in nos solùm conuicia ibant & calumniæ, sed Curionẽ insuper & litterarum studiosos attingebant; nunc nostræ, nunc illorum ædes lapidibus impetitæ, fenestræ quoque, dum, vel concio, vel sacra peragebantur, exoculatæ, alia multa malitiosè tentata. Percrebuerat sub mediam æstatem fama; non dissimilis illi, quæ & Pragam nuper impleuerat, conscripti nimirum militis à Collegio, tantũmq; apud nos armorum occultè cõgestum, vt duobus millibus armandis sufficeret; adhæc maiora tormenta in ædificio, quà forum spectat, ad disturbandam

bandam ciuitatem, disposita: qui rumor viso in fenestra quadam antiquæ & diffractæ rotæ tubo, vsque adeo auctus est, vt è Senatu tres ad nos venirent, quæsitum in quem finem tormenta, tantúmque armorum congeramus apparatum? Responsum illis, *mirari nos quinam eam in suspicionem Senatus induci potuerit, cum neque globi, neque gladij, neque plumbum, neque ferrum, aut alia apud nos arma comparuerint*: atque, inquiunt, conspecta heri in parte illâ sunt, quæ foro imminet, tormenta maiuscula: quibus Rector: *Bene omnino res habet Domini mei, & oculis ipsis coram arbitrari iuuabit, quàm istic armati simus*: eò igitur deducti, cum nihil præter vulneratam fenestram reperissent, tota fabula in risum vertit.

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

XXXII. DEBITVM humanitatis persoluit P. Theodorus Busæus Nouiomagensis Belga, quatuor vota professus, anno ætatis supra sexagesimum septimo, initæ Religionis vndequinquaginta. Posteritati cõmendat eam singularis quædam innocentia vitæ, & mira Iuuentutis tractãdæ dexteritas. B. Stanislai Rostkæ, cuius iam olim Viennæ in humanioribus litteris Magistrũ egerat, commemoratione mirificè delectabatur, & quod oculis in eo viderat, ore aliis ad imitationem magno cum fructu proponebat. Nec minore arte in Hæreticorũ animos sese insinuare poterat: cuius vnius operâ cętum tum Lutherani

rani tum Caluiniſtæ ſapuerunt, qui omnes ſe ſuâ ipſorum manu, in libro quodã, qui poſt eius obitum repertus eſt, Catholicos ſcripſerunt. Colebat è Diuis Cœlitibus principe ſtudio purpuratas martyrio Virgines Vrſulam & Barbaram, in quarum peruigilio quotannis certa quædam pietatis officia præmittebat. Totis vndequinquaginta annis, quibus nobiſcum vixit, etiam cum per ætatem, aut corporis inualetudinem exciperetur, nunquam in quadraginta diali ieiunio cœnitauit. Crebrò ac familiariter Noſtratibus dictitare ſolebat; *Neminem tranquillo animo futurũ, aut in diuino ſeruitio perſtituru̇m, qui conſtanti exactiſſimæ obedientiæ ſtudio ſerio ſe non applicaret.* Viatici diuini oleique ſacri beneficio affectus, cum aliquoties MATREM GRATIÆ ET MISERIDORDIÆ ingeminaſſet & illa Pſalteæ verba, *in domum Domini ibimus*, repetiſſet, vltimum ſpirauit, nouus, quod ſperamus, cœli incola.

XXXIII. CÆTERVM Nouodomi quoq; contra ſectarios feliciter itum, qui iam dudũ oculos adiecerant ad ſuburbanum D. Triados templũ, atque idcirco non ſumptuoſis itineribus Dynaſtas quoſdam adiere, quorum patrocinio atque auctoritate fulti, illud Lutherano Præconi aperirent. Horum cupiditatem non parum acuebat fama longe latéque edita, Ieſuitas non ex hac ſolum vrbe, ſed ex vniuerſo Bohemiæ regno propediem exulatum mittendos. Et hæc quidem omnia in gratiam Prædicantium, noſtrum verò odium vulgò concinnabantur. Non defuêre tñ ex Catholicis, qui ora in noſtrum nomẽ debac-

Digitized by Google

chantium, & effrenem procaciam linguarum petulantium acriter coërcerent. Immò cõperti sunt complures, diuersa licet à Nostris tuentes dogmata, qui secessionem potius à suis faciebãt, quàm vt consilia cum rebellibus cõmunicarent, palàm professi, se cum nostræ Societatis concionatoribus, quàm optimè contentos esse, nec pretiosas nouorum rabularum voces (certa enim ad eos alendos pecuniæ pensio à singulis exigebatur) nundinari velle, si vel renuncio possent, addiris insuper diris, malísque imprecationibus, quibus venales eiusmodi buccinatores deuouebant.

XXXIV. NEC de Hæresi tantùm, sed & de illius fatore ac parête aliquoties triumphatum. Quidam cum Cacodæmone pro nummis animam pactus, schedam proprio sanguine conscriptam Negotiatori pessimo asseruabat. Non diu latuit ea res Nostrum, qui tam sacrilegi pacti rescindendi syngraphæque nefariæ flammis cremandæ auctor fuit. Alius cui idem Acheronticus Proteus hominem se ostendit, in rabiem actus, vxorem liberos, obuium quemque lanienæ destinabat, adeóque ferociebat, vti à quatuor robustissimis viris eius cohiberi vix impetus posset. Tandem cum Sacerdos Noster aduocatus, Agni cerei aliásque Diuorum reliquias collo insanientis appendisset, factus ille pacatior est, & pristinam sensim cùm animi, tum corporis recepit tranquillitatem.

XXXV. SCHOLÆ ex illa fugâ, quam superiorum annorum pestilens contagio imperauerat, hoc

Digitized by Google

hoc præsenti sese reuocauerunt. Incidit nihilominus tamen hîc in mortiferas Parcarum manus, quæ nusquam omnis exulat Nobilis quidam Adolescens, Sodalitati Partheniæ adscriptus, quem subitâ febriculâ extinctũ cœlo transmisisse creditur. Cuius rei argumento est, quòd ad vltimam luctam Christiano more instructus, Cerberum nigerrimum canem scuticâ iusserit abigi, vti Beatis. VIRGO, quæ eius sese obtutibus offerebat, accessum haberet liberiorẽ, quam etiam lecto iam adstantem manibus iunctis venerabundus sic alloquebatur. *ô VIRGO, ô MATER, ô Patrona mea dulcissima, tuum ne desere tibi Castimoniæ voto obstrictum, in horâ mortis suscipe.* Dixit, repetitóque aliquoties gemino salutis nomine, cum eâ ad superos discessit.

COLLEGIVM LABACENSE ET SEDES PLECTIACENSIS.

XXXVI. Ex MVLTIS, quos in Catholicismo instruximus, miles quoque erat, alexipharmaci contra omnis generis venena peritus. Is pestem quamcunque cum suo antidoto innoxius hauriebat. Quare ciui cuidam Labacensi, non infimæ conditionis viro, sed tamen noto, occasio fuit, vt sumpto temerè veneno animam perdiderit. Captus igitur mali creator, nihil aliud, quàm mortem præstolabatur, quàm, vt feliciter obiret, Catholicorum ritu damnatâ hæresi ad eam se diligenter præparauit. Sed interea Iudicum sententiâ absolutus, hoc summo vitæ peri-

Digitized by Google

culo fidē sibi videtur redemisse. Mulieris quietem perturbabant frequenter defunctorum apparentes vmbræ, quas peracto apud nos sacrificio, nunquam deinde ampliùs conspexit. Sollicitatus aliquoties ab impudente mulierculâ castus Musarum alumnus, vti iuuenibus formam quandam, ac typum daret, quâ comitate eiusmodi excipiendi hospites, eam pugnis ac colaphis non perfunctoriè contusam dimisit".

XXXVII. COLLEGII huius Sereniſſimus Fundator Ferdinandus, ante annum ſcholis noſtris eam immunitatē dederat, vti ne quis illarū auditor ab alijs, ſeu ciuium, ſeu nobilium Magiſtratibus moleſtia vllā pœnāve afficeretur, quam Noſtri hoc anno, repetito quodam ex publico carcere, qui ſcholaſtici iuris erat, cœperunt vſurpare. Reuerendiſs. Noſter Labacenſis templo Hierothecam capaciorem, ob multitudinem Conuiuarum CHRISTI; Parochus quidam calicem & quæ ad Sacrificium neceſſaria alia ducentis philippeis æſtimata donauerunt. Addidit poſterior ſuam Bibliothecam non parui pretij. Triclinio quoque inſtruendo ſeſquicentum aurei collocati. In ſede Plectriacenſi Religioſi cuiuſdam Monaſterij ſacris noſtris commentationibus vtiliter ſe occupauerunt".

GLACENSE COLLEGIVM.

XXXIIX. ETSI continuâ quaſi in acie res Collegij totius pœnè anni decurſu fuerint conſtitutæ,

stitutæ, quod cum Aduersarijs feliciores nobis successus inuidentibus, ancipiti & desperato propemodum euentu acriter fuerit decertandum: auspicante tamen ac protegente clientes suos clementissima DEI GENITRICE, cui locus hic peculiari pietate consecratus est, omnes ferè difficultates euictæ sunt ac superatæ. Nihil non tentarunt Glacenses vti Societatem solum vertere cogerent. Quare dum ineunte anno Pragæ dieta regni magno Procerum confluxu celebraretur, hinc quoque Legati amittuntur, qui status Bohemicos ad consilia sua contra Societatem promouenda, & ad optatum exitum perducenda sollicitarent. Verum cum nec Bohemi, Imperatore constanter repugnante, contra nos quod petebant, obtinuissent, Glacenses quoque frustrati domum redière.

XLIX. INTEREA temporis nihil à Nostris de consuetis Instituti muneribus est intermissum. Et licet Catholici extrema ferè patiantur, ne latum tamen vnguem à suo recedunt feruore: immò sæpenumero se vitam, potiùs, & chara omnia deserturos, quàm fidem, sanctissimè asseuerauerunt. Illustre eius animi specimen dedere in celebri illa SS. Eucharistiæ vicatim circumlatæ pompâ: dedêre aliud in Diuam VIRGINEM Wartensem supplices peregrinati, inspectantibus aduersarijs, & tantam Catholicorum frequentiam pietatémque admirantibus. In templo nostro, quod DEIPARÆ sacrum est, nonnemo voti damnatus, valetudinē tam animi, quàm corporis recu-

Digitized by Google

recuperauit: cui etiam ornando quidam è Silesiâ nobilis philippeos centum reliquit. In parœciis nostris, quarum tres sub Collegio sunt, pari pietate certatum. Rusticus, cui sæpe Cacodæmon ingentis instar molossi sese videndum præbuerat, iusque in animam ipsius habere propter multas sacrilegè factas Confessiones asseruerat, retrogressus memoriâ omnem suam vitâ, quidquid latebat scelerum in lucem coram Sacerdote produxit, & molestiam quâ ipse ante premebatur, in monstrum illud Tartareum exonerauit.

XL. DISCIPVLORVM nostrorum ille est in pietate profectus, vti iam alios etiam docere possint; Fuit ex illis qui parentem ipse suum, cum in patriam reuertisset, abstinentiâ suâ singulari eò vsq; tenuit, ac cepit, vti filij exemplo die Sabbathi ab esu carnium sibi, quod antè nunquam fecerat, cum totâ familiâ temperârit. Alius matrem docuerat, quod ipsa filium debuisset, animum non conceptis verbis, sed recensitis sceleribus expiandum; quod & fecit.

COLLEGIVM CLAGENFVRTENSE.

XLI. NONNVLLIS aduersâ valetudine tentatis vnus Nicolaus Mediēsis, ignoto medicis morbo sensim confectus occubuit: annos natus sex & viginti, quorum tres in Societate cum laude posuit. Iuuentus nostra vt pari in litteris & pietate passu incederet, hoc demum anno, quod diu omni-

Digitized by Google

omnibus votis expetierat Sodalitatem Partheniam instituit, & à Romanâ ceu matrice confirmatam, & ab alijs munificâ manu non parum exornatam. Feruet opus, vt omne principium, Sodaliúmq; vnus duos repentè ab hæresi dehortatus est, qui vterq; sumptâ à nobis fidei Catholicę tesserâ, iuuenem illum salutis suæ auctorem omnibus deprædicant.

XLII. CIVIVM Catholicorum is est in Religione feruor, vt cùm hominum sermone increbuisset, suæ factionis omnes ex vrbe eijciẽdos, paratos se dicerent, & domo & bonis, atq; adeò totâ priùs prouinciâ cedere, quam vel auitam fidem deserere, vel diuinis in ciuitate officijs carere. Conuenerant hîc nobiles supra septuaginta, Hæretici omnes, vt in commune, remotis Catholicis, consultarent: priusquam verò conuentus ille dissolueretur, in qualibet ciuitatis portâ statarios aliquot collocauerant, qui diurnas pariter, ac nocturnas agerent vigilias: quæ res mirum est quantos excitauerit in plebe motus. Vna omnium vox erat, Prouinciales idcirco conuenisse, vti occupato templo (quod vna cum contiguo ædificio ciuibus restituendum à Sereniſſimo nostro nequidquam sæpiùs ante efflagitauerant) nos hinc exturbarent; Et qui nostri Ordinis amãtiores erant, identidem nobis aures vellicabant, malum vt occuparemus, eò, quod iam de nobis conclamatum omnino videretur. Fabula quoq; illa Pragæ & Crumlouij in Nostros cusa, hîc denique recusa est, nos ad vim vi repellendam in Collegio militem clam ex Italiâ euocatum

Digitized by Google

nocatum alere : Et hoc Clagenfurtenſes adeò pertinaciter ſibi perſuaſerant, vt à peregrinis & aduenis fortè interrogati, quid ſibi vellent tam exactæ ad portas excubiæ, cum nullus ſit in Prouinciâ hoſtis; reſponderent conſtanter eſſe intra ipſa vrbis mœnia, contra quos excubarent. Vt meritò gratulari ſibi Societatis Patres poſſint, quos ſcilicet non arma, ſed ipſa aduerſariorum ferro fortiora mendacia tuentur.

XLIII. INTER hos tamen tumultus Noſtri de more ſuo nihil remisêre, ita vt nec in templo aſſiduitas, ſcholis induſtria, neque denique in vllo eorum, quæ Inſtituti ſunt, opera, vigilia aut fructus ſit deſideratus. Mirabantur ipſi ciues in medijs quaſi ventis ædificia ſuperiore anno inchoata ad culmen properare, templum arâ nouâ, & tribunalibus Confeſſariorum illuſtrari. Deducta eſt ex Parœciâ ad noſtram ædem pro impetrandâ pluuiâ ſupplicatio, quæ quo maiorem Hæreticis manè riſum mouit, hoc deinde maiorem à meridie incuſſit pudorem. Nam cum multorum dierum interuallo nō pluiſſet, poſt ſupplicationem viſum eſt repentè cœlum obnubilari, & continuò tanta vis imbrium eſt effuſa, vti terram circumquaque arescentem ſatis ſupérque magno agrorum bono humectârit.

XLIV. HÆRETICI autem quamuis alia noſtra non velint, iuuentutis tamen inſtitutionem non probare non poſſunt; adeò quidem vti Proceres Carinthiæ chariſſima ſua pignora ſub diſciplinatum noſtrum miſſitare incipiant. Alij item

item in vrbe primarij ad scholicas exercitationes inuitati, & libenter comparent & frequẽter commendant; ad quas conciliandas, actiones comicæ non semel profuerunt. Ex ijs qui ad ouile CHRISTI redierunt, fuit vnus aliquis, qui non, nisi ictus voluit sapere. Hic tribus luculentis vulneribus ab eo quem amicissimum putabat, confossus, Sacerdotem nostrum, (quem antea pro inimico fugerat) accersiri iubet, ab eóque de certis totius vitæ noxis in gratiâ cum DEO, & Ecclesiâ restitutus, extremò inungitur. Res mira, cui per cataplasma obstructus sanguis copiosè per os narésq; ex corpore ebulliens prorumpebat, & qui nihil aliud, quam ne anima sequeretur fluuium timebat, sacra illa vnctione ad id breui robur profecit, vt in patriam profectus, patrocinióq; inde secum assumpto reuersus, hîc inter Catholicos catholicè valuerit.

SEDES EBERNDORFFENSIS ET ZAGRABIENSIS.

XLV. EBERNDORFFII, vbi ij versantur, quibus tertium annum ad roborandum spiritũ Societas nostra cõcedit, festus B. Parentis N. dies quadraginta horarum comprecatione exceptus est, binis in horas singulas orantibus, propositis etiam, quoties ordo in se redibat, certis Beati Patris virtutum capitibus ad meditandum pariter, ac imitandum. Is ab Ignatio in Patres hinc transiuit calor, alios etiam vti accenderent, concionibus, catechesibus, priuatis colloquijs multa

Digitized by Google

multæ prauæ consuetudines impeditæ; bonis iterum via facta. Iam passim Diuorum memoria celebrior, Sacramentorum vsus frequentior. Dies illi qui templorum dedicationibus sacri, non nisi saltando & compotando impiè traducebantur. Ab eâ insaniâ multum conquieuerũt.

XLVI. ZAGRABIÆ tribus primis Grammaticæ classibus augente discipulorum, & numero & industriâ, poësis hoc anno multorum rogatu adiuncta est. Laborant etiam multi boni & magni viri, vt sedem hanc in iustam Collegij staturam educant. Et inprimis Magnificus D. Nicolaus Istuanfi Regni Vngariç Propalatinꝰ egregiè declarauit, quo semper fuerit erga Societatem animo ac propensione. Nam cum domus hæc nullis adhuc esset certis stabilita reditibus, prædium quoddam Nobis Pauco Vereh, hoc est Pauli mons dictum, viginti duobus adiunctis colonis, cum omnibus agris, siluis, pratis & vectigalibus perpetuò iure possidendum donauitꝰ. Ad sedem hanc pertinet illustris illa Caluiniſtæ cuiusdam nobilis ad fidem vocatio. Internis excitatus stimulis, saniora amplectendi studio ex Vngariâ Zagrabiam contendit. Cuius voti tanto citiùs, ac faciliùs quo fieret compos, apud Ecclesiasticum quendam hospitari voluitꝰ: sed æger vnde antidotum sperabat se accepturum, maiorem inde hausisset pestem, nisi diuina eum bonitas singulari modo protexissetꝰ. Nam visâ inter cœnandum indecenti compotatione, & eorum maximè, quorum status ob sacram manuũ impositionem sublimior est, adeò offendebatur, vti

Digitized by Google

vti à salutari proposito pedē referre super mensam statueret, secum identidem hæc volutans: *Si oculi & Ecclesiæ Catholicæ lumina, tenebræ sunt, quantæ prô DEVM immortalem corporis totius noctes erunt? Et si pastores vsum rationis in poculis submergunt, ouibus quid fiet, quorum prudentiæ ac vigilantiæ commissæ sunt? Non his ergo animæ meæ pignus, non vitæ rationem concedam, suam illi SANCTAM crepent Ecclesiam, ego in qua natus & enutritus sum, ad extremum vsque halitum perseuerabo.* Sapienter equidem philosophatus, nisi vel inter Hæreticos eadem fierent, vel CHRISTVS facta potiùs, quam verba scribarum attendenda præcepisset. Sed vide obsecro cœlestem in homine prouidentiam! Die proximè sequenti, cùm Zagrabicâ in suo errore magis offirmatus domū famulis duobus comitantibus eques iret, & iam ad sacram columnam, quæ in ciuitatis termino locata est, peruenisset, viso ibi CHRISTI de cruce pendentis simulachro ita exhorruit, vti de mentis potestate simul, & equo deiectus humi aliquandiu supinus iacuerit, tam famulis, quàm iumento immobiliter obstupentibus. Vbi spiritum nōnihil resumpsit, vestibus protinus omnibus ipso etiam indusio se spoliat. Famuli insanire Dominum conspicati, fugá sibi consulūt, veriti ne quid incommodi postmodum ab heri dementia in se deriuaretur. Peropportunè autem eodem pœnè temporis momento, quo hæc agebantur, Reuerendissimus Quinqueeccleſiensis illac itabat, qui hominem deuestitum atque insanum miratus, quem familiarissimè nouerat,

Digitized by Google

famulitio suo imperat leuare, tegere, domum suam abducere. Eodem mox per ministrum vocatus sequitur Noster, qui salutaribus consilijs moribundum præueniret: simul ille Sacerdotem videt, sui iam potentior, diuinas laudes exordiri, nec satis verbis exprimere potest, quàm sit horrendum à DEO prosterni. Nec fuit difficile post hæc Caluinum illi ex mente eripere, vltrò ipse detestabatur, nec deinde, quotiescunq; Zagrabiam, & ad nos perueniisset, pro tanto accepto beneficio gratiarum agendarum finem facere vnquam poterat.

XLVII. SVNT extra vrbem templa non pauca, sed olim & à Turcis & Hæreticis ita deformata ac deuastata, vti eorum vix speciem hodie agnoscas. Quæ cùm ab huius loci indigenis etiam neglectui haberentur, vnius ex Nostris assiduâ industriâ pertinacique labore in pristinum, & nitorem, & cultum sunt restituta. Sed neque Petrina, finitimum regni huius contra Turcas præsidium, Nostrorum accursu caruit. Tantum ibi familiaribus Societatis munijs effectum, vt cùm Pater discessum adornaret, turmatim incolæ omnes ad præsidij Capitaneum confluerent, obnixè rogantes, abire eum ne pateretur, cuius operâ tantopere indigerent. Est præterea tractus peramplus Zagrabiæ vicinus, in vastam se planitiem diffundens, Turopoliam incolæ dicunt, inter Sauum & Colapim fluuios celebres medius, amœnitate solique vbertate nulli totius Vngariæ secundus. Is ab Hasan Bassâ, celebri exercitûs Turcici Ductore, ita superioribus temporibus

ribus ferro & igne direptus, ac deuastatus fuit, vt hominibus, vel in seruitutem perpetuam abductis, vel trucidatis, vel etiam in diuersas prouincias fugere coactis, nullum non dicam pagi alicuius vestigium, sed ne hominis quidem reperire vspiam licuerit. In hoc itaque loco, postquam DEO propitio Petrina è manibus barbarorum est erepta, sublato vtcunque periculo, non solùm reliquiæ, quæ superauerunt, ad pristina redière, sed complures etiam aduenæ pinguedine, atque agrorum fertilitate illecti sedem fixerunt: vnde tam frequentibus nunc vicis atq; castellis incolitur, ac si nũquam hostiles faces pertulisset. Huc frequenter magnis precibus euocati Nostri, copiosam animarum sementem faciunt; siquidem præter nostra, Curionum etiam officia omnia obire (cùm illi desint) coguntur. Aduentantem Nostrum ita confestim occupant esuriẽtes animæ, vt ei vix spatium curando corpori relinquant: discedentem verò ad mille, & ampliùs passus honesto comitatu prosequũtur, nihil magis à P. Prouinciali postulantes, quàm vt eum intra fines suos perpetuum habere possint. Tanto est in precio Societas, vbi operariorum pauper.

tas.

Digitized by Google

Fuit Sociorum in Germaniâ Superiore quantum nunquam antea: locis octodecim quinquaginta ſupra quadringentos cenſebantur: vixêre octo; bis octo in Societatem adſciti.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Ingolſtadij.	CIV.	XXIX.	V.	LIV.	XVI.
Dilingæ.	XXXII	XXII.	III.	II.	V.
Monachij.	LVII.	XXIX.	VI.	VI.	XVI.
Auguſtæ.	XXXII.	XIV.	IV.	VII.	VII.
Oeniponti.	XXI.	XI.	IV.		VI.
Halæ.	XV.	IIX.	II.		V.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Lucernæ.	XX.	XII.	II.		VI.
Friburgi.	XIX.	X.	IV.		V.
Ratisponæ.	XIIX.	IX.	II.		VII.
Bruntruti.	XIX.	XI.	III.		V.
Constantiæ.	XX.	XI.	III.		VI.
In Tyroc. Landspergensi.	LII.	IIX.		XXVII.	XVI.
In sede Eberspergensi.	XVII.	XII.		I.	IV.
In Oetinganâ.	IIX.	IV.			IV.
In Biburgensi.	V.	III.			II.
In Wallesianâ.	VI.	IV.			II.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
In Miſsione Eluacenſi.		11.			
In Danuwertanâ.	111	11.			1.

Ad Catholicam fidem traducti ex hæreſi quadringenti quinquaginta.
Generales Confeſſiones numeratæ quingentæ quindecim.
Suo domino reſtituti aurei mille quingenti.
Exercitijs B. Ignatij exculti quinquaginta.
Parturientibus duabus B. P. N. Ignatius imploratus faciles partus à DEO impetrauit.

Digitized by Google

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE CVM ede Biburgensi.

I.

INGOLSTADII MAgnum Societatis nostræ, immò totius Germaniæ lumen extinctum est, P. Paulus Hoffæus, cui finis anni præcedentis finem vitæ dedit. Superauit quartum & octuagesimum, quinquagesimũ in Societat, domo Germanus in agro Moguntino Bingæ natus; Embricæ, Coloniæ Agrippinæ, & Romæ litteras humanas & diuinas cõplexus, inter primos Collegij Germanici, quod tũc B. P. Ignatius moliebatur, clientes adscitus, paulò pòst ab eodẽ Societati trãscriptus est. In Collegio Romano, Sebastiano Romæo Rectore, Ministrũ egit, indeVienã missus, Ius diuinum Theologus interpretat⁹, ocios ibidẽ rexit, vti & Pragæ, vbi quarto se votorũ vinculo Societati & Põtifici obligauit. Sed & Ingolstadij põfuit & Monachij: in totius verò Prouinciæ nostræ põfecturâ versatus est annos tredecim. Principibus tum Austrijs, tum

Digitized by Google

Boicis ob existimationem virtutis & sapientiæ singulari veneratione cultus. Certè huic & Petro Canisio conseruatam in Boicâ Religionem in acceptis retulêre. Lustrauit Visitator Germaniam Superiorem & Rhenanam, decennium antea Romæ Assistens, quo tempore Generalium Responsa Prouincialibus, & locorum Præsidibus data, vsq; ad annum M. D. XCVII. concinnauit: quatuor conuentus generles adijt: ter ad Societatis Præpositum Generæm dicendum. Vltimâ senectâ redijt Ingolstadium, vbi tamen onus Collegij gubernandi recoit, quoad fractus, tantùm non sub onere concidit. Emeritus tandem annos extremos DEO tcos & patientiæ cõsecrauit, quam in tantâ varitate morborum, podagræ, chiragræ, calculi nobis insigniter probauit. Quo in statu corporis, spiùs omnes præteritæ vitæ labes confessione eleuit: Et quamuis chiragra ferè cõtinua digitorum vsum negaret, per eos tamen dies, quibus confessionem litteris pro more consignare decreuerat, indulgentior fuit.

Peractâ igitur eâ confessione, vltimisque Sacramentis & postulatis & impetratis Socios postremùm vt putabat, allocuturus, *omnes inprimis orare veniam, vellent esse, quo ipse in vniuersos esset animo.* Eos dein ad liberaliter DEO fruiendum omnes hortatus; seipsum abijciendo, omnes ad spem æternæ salutis erexit; poste bene omnibus precatus, gratias egit, q præsti fuissent sacra percipienti. Cõmendari deniq; sectiam atq; etiam à superiore petebat, R. P. Generali, & P. Prouinciali;

Digitized by Google

nínciali; *quibus seruisset, vt potuisset. Gratæ haberent, quæ præstitisset.* Significauit etiam per confessarium, cupere se eos, qui deinceps ægrotanti adstaturi essent, sermonis esse modicos; *decrèsse se reliquum, quod superesset tempus, cum DEO, Patronis suis, aliis cœlitibus transigere.* Sui ob vitæ errata doloris magna signa dedit. Inter alia, quòd superiori propè assidenti dicere quam demissimè solebat: *adeo se malum fuisse, vt meritò salutem desperare posset, nisi tam clementem se nouisset habere Dominum.* Quo etiam suum parendi in omni vitâ studium testatum fecit, cùm in morbo ita difficili & acerbo, nihil quidquam agere, ne surgere quidem, aut confessionem Generalem instituere vellet, absque Superioris consensu. Quæ virtus cum alijs magnam ei Sanctimoniæ opinionem meritò conciliauit apud Nostros, quâ inducti pro se quisq; suas peculiares animi corporísque difficultates illi, certo velut Patrono commendárunt. Mensem ita integrum ferè exegit, dum tandem decimo sexto Cal. Ianuarij inter vota complexúmque Sociorum vitam ab Auctore vitæ acceptam reddidit. Sub eosdem ferme dies, triduo antequam Hoffæus graui illo morbo corriperetur, obierat religiosissima fœmina medici nostri vxor, quæ supremo die eidem Patri tria poma punica destinauerat; cui etiam statim ac migrauit, se obtulit, eum inuitanti similis, vt postea narrauit P. Rectori. Eam matronam nostri ordinis peramantem habuimus, neque verò vnquâ, multis nos sub Collegij primordia auersantibus, cuiusquam sermone, induci

Digitized by Google

duci potuit, vt in templo nostro Mysteria sacra frequentare desineret. Quotidie tria minimùm audire, octauo quoque die confiteri & communicari consueuerat, sæpiùs id factura, si per Confessarium licuisset, ad cuius nutum se totam finxit, quoad piè tandem satis concessit. Sed vnum illud præterea de Hoffæo non tacendum. Cùm Prouinciam obiret, & Lucernæ Collegij fundamenta moliretur, repentè morbo oppressus Augustam redijt, ibique post sacram vnctionem iam conclamatus, Sociorum votis ab ipso mortis limine (quod creditur) reuocatus est. Nam P. Ioannes Rastellus Anglus ad ædem Saluatoris ad octo millia passuum profectus, pro tam charo capite, suum ipse deuouit, sedulò DEVM precatus, votum vti hoc suum ratum haberet: & habuit DEVS: simul enim domum reuenit, decubuit & occubuit; surrexit alter, pro quo hostia piacularis fuit ille, ouis pro pastore. Patrem Hoffæum veteranum secutus est P. Iacobus Schacher Collegij Minister, in ipso æui flore. Bonus ille & religiosus vir, quasi extra ordinem ex vitæ statione euocatus est, omnes vt admoneret, perpetuò excubandum, ne imparati deprehendamur.

II. CÆTERVM promouit multum pietas Sociorum ex diligenti Visitatoris curâ, & B. ALOYSII domesticis vitæ exemplis, cuius studio æmulus nonnemo, quidquid habuit sacræ supellectilis, imagines inquam, & Agnos cereos, id omne ad Rectorem attulit, ne alieno affectu rei cuiuscunque etiam piæ tangeretur, quem volebat

Digitized by Google

bat soli DEO sanctum. Ad psalmum in Ieiunio quinquagesimum accessit Dominicis diebus narratio pia ex actis gestisque Sanctorum deprompta. Inter capitis damnatos nouo pietatis exemplo permotus quidam pridie quàm duceretur, puerorum turmas aliquot cogi iussit, quibus obsequium erga parentes, quod ipse neglexerat, commendauit, monuitque, vt à lusibus, quibus ipse in eam vitæ ac mortis infamiam incidisset, abstinerent. E nobilitate Polonicà generosum adolescentem inuaserat simul agmen morborum, diuturna febris, intestini rabies, neruorum conuulsio, Ischuria, Epilepsia, aliæque pestes corporis, vti iam deploratus ad mortem inungeretur. Sed vnctus, stupentibus cunctis, conualuit statim. Eodem morbo dierum plurium stranguriâ tactus, simul D. Nicolai oleo, quod secum Romà Noster attulerat, secundum affecta loca tactus est, meliùs habuit. Idem ex febri pristinâ tumore inflatus, cùm propiùs à morte iam abesse videretur, iussus commendare se B. P. N. IGNATIO, cuius tum appetebat natalis, studiosissimè paruit, & inter Sacrificium opem impetrauit. Debuisse quodammodo videntur Cœlites hanc Adolescenti gratiam, à quo toto quo decumbebat tempore, toties erant, & tam assiduis precibus fatigati.

III. AD AVGENDAM annuatim Bibliothecam quingenti à quodam Magnifico floreni donati. P. Iacobi Gretseri labor ex operibus constat, quæ ab illius Musæo prodierunt.

Volu-

Digitized by Google

Volumen II. quo Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis controuersas disputationes propugnauit.
Agonisticum de disciplinis.
Relatio Campilhomica castigata.
Fullo Rediuiuus.
Epistola Cnaptica contra eundem Fullonem.
Pharetra Tertullianea.
Vespertilio Hæreticopoliticus.
Lutherus Academicus.

IV. BIBVRGI in æde Allerstorffensi B. VIRGINI sacrâ & alterâ S. Leonardo dedicatâ, multi beneficia receptæ sanitatis impetrârunt. Paroeci munus toto ferè biênio functi sunt Nostri: Templum verò domesticum nostris vsibus commodiùs effectum, arísque inibi dedicandis adfuit Pontifex Ratisponensis, qui cultum sacrum, quo ipse vsus erat, munus templo reliquit.

COLLEGIVM DILINGANVM
CVM MISSIONIBVS SVIS ELWACENSI & Donawerdanâ.

V. DILINGÆ Pontifici Augustano æterno collegij altori, dum res diuina in Odeo Academico solemniter ipso S. Vrsulæ die fieret, oblatus cereus, fundati censûs index, Principem ita delectauit, vt luculentâ oratione suum erga Societatem animum declararet, dolerétque suæ voluntati non respõdere facultatem, quibus eam promeritis porrò ornaret. Neque interim facta à verbis dissentiunt; adest sucurritque nostris rationibus, quibus vijs potest: Socios adhibet in-

consi-

Digitized by Google

consilia, itinera, negotia, suam denique conscientiam nobis tractandam committit.

VI. TRIDVVM ante quadragintadiale ieiunium hoc demum anno precibus transcriptum, Bacchum melioribus sacris coëgit cedere, ad quam rem mirificè profuit ipsius Antistitis exemplū. In Academiá ex R.P. Visitatoris decreto, prælectiones auctæ; litteræ diuinæ ter in hebdomade explicantur, cùm antè semel duntaxat tractarētur. Hebrææ linguæ bis hebdomadatim, antea extra vacationes nunquam doceri solitæ. Accessit Philosophiæ Ethices, & Matheseos studiū quotidianum. In domicilio Conuictorum flos Academiæ spectatur, ducenti plerunque & triginta, vel nobilitate, vel Religione noti. Noui ex geminis hoc anno cœnobijs submissi, vnde nullos hactenus acceperamus; alteri præest Serenis. Ferdinandus Boiorum Princeps Coloniensis Pontifex designatus; alteri itidem Imperij Princeps, qui litteris suâ manu ad P. Rectorem datis, nobilissimum Iuuenem, Religiosâ simul disciplinâ & eruditione excolendum nobis cōmisit. Horum virtus & spectata modestia fecit, vt Reuerendiss. & Illustriss. Princeps ac Pōtifex Bambergensis nuper defuncto suffectus, cùm coram hic religiosissimam viuendi rationē miratus esset, mox vbi domum reuertit, duobus S. Benedicti Præsulibus persuaserit, vt tres lectissimos iuuenes, Religioni consecratos, huc ad cultum litterarum capiendum amandaret. Ita per annum hunc centum & triginta, ex quadraginta sex Asceterijs huc missi numerantur, vt etiam

Digitized by Google

iam triclinij parietes fuerint laxandi, quo tam illustris & religiosa iuuentus accumberet. Excitata priori anno intra ipsos contubernij muros ædicula sacra miris modis fuit exculta. Duodecim quotidie in eâ faciunt; sacræ paræneses, nũc ad Religiosos, nunc ad Ephebos inibi quot mẽsibus fiunt. Asceticis ad mores Sanctiores imbuti domi nostræ ex omni vitæ statu quadraginta. Dona Collegio, Anathemata templo oblata aureorum prope nongentorum. Ipse Episcopus centum quinquaginta solus, præter omnes priores reditus annuos, promisit: Virgo testamento quingentos, alienus hactenus à nobis centum obtulit, septingentos in vltimis ceris promisit.

VII. IAM non Elwacam tantùm, sed ad S. quoque Viti, vbi Collegium est Clericorum, profuit excurrere. Supra nongentos sacram Synaxin celebrârunt, cum superioribus annis ne vnus quidem consuêsset. Quindecim ex conuenis à laqueis Hæreticorum expediti. Nobile Principis castrum adeò manes vexabant, vti Præfectus arcis, cùm frustra tentâsset omnia, de deserendâ præfecturâ deliberaret. Accersiti Patres sacrificârunt, arcem aquâ consecratâ lustrârunt, quâ territi, qui priùs terrebant manes, locum cum ingenti strepitu deseruerunt. Eodem loco ciuis recens extincti vmbra lares suos reddidit infestos: fecit Noster vxoris rogatu pro salute mortui; quieuit tum quidem; sed in quintum diem postliminio reuersus spiritus, coniugi suggessit promissam ad D. Vdalrici peregrina-

Digitized by Google

grinationem : suscepit illicò vxor, atque in comitem viæ, & custodem sexûs filiæ in remotis ædibus degentis seruũ popoſcit. Renuit ille laborem, vti parum cum valemus ipsi, vicem alienam dolemus. Sed digressus ab vxoris domicilio defunctus, mox in filiæ tecta immigrauit, & seruum illum inertem adeò terrore impleuit, vti primâ luce accurreret ad viduam, & suam operam vltrò offerret. Spiritus inde voto & pœnâ solutus ad cœlum liber euolauit. Eadem occasione succursum Neresheimensibus & Wembdingensibus, vbi nostram fidem edocti nouem.

IIX. DE DONAWERDANIS paulò fusiùs dicendum. Status ergo vrbis illius, quam tres Nostratium excolẽdam suscepêre, varius: primò Magistratus Cęsarianus, postremò ciuilis. VIII. Cal. Augusti qui fuit S. Iacobo sacer, Cæsaris internuncij & Ducis Bauariæ legati, post concionẽ à Nostro ad frequentissimum populum habitam, proscriptionis tabulam sustulerunt, & Principi Maximiliano ciuitatem, quoad impensas belli compensaret, pignus addixerunt. Interim per totum fetè annum non parum Societatis industria retardata est, cùm vrbs Hæretica inter spem & metum fluctuaret, & modò inclinaret ad Ecclesiam, modò rursus à fœderatis Lutheranis firmaretur, ne ad Catholicas partes accederet, spem esse libertatis ante fores, Cæsarem clementiùs in vrbem consulturum, ipsúmq; Principi Boiorum de pecuniâ fide iussurum; quo non sine dolore Catholicorum factum

factum est, vt inter tam incertos rumores, ipsi quoq; suarum rerum incerti redderentur. Omnes tamen inani vicinorum spe alebantur, ne quidquam de mutanda religione cogitarent. Nihilominus Nostri in excubijs steterunt, ne cuiusquam salutem negligerent. Centum & quinquaginta à Luthero extorserunt; aliquos memorabili euentu, quem expono.

IX. VIR Consularis, & magnam olim partem Tragœdiæ quâ postea iactata est Donawerda, auctor, & acerrimus impiæ suæ sectæ propugnator, ædibus suis veluti liberâ tenebatur custodiâ; è quibus cùm descendere vellet, fallente vestigio in ipsis gradibus labitur, tam graui afflictus casu, vix vt gradum à morte abesse videretur. Cæsaris Propretores cognito miseri hominis casu, ad retinendam vitam amuleta, & per illa simul viam quærunt, expediendæ illius salutis. Submissus ergò ex socijs aggreditur iacentẽ humanissimè: sed ille auerso animo, & vultu aures claudit monitori, & spem simul totam Patris occidit, vt opus hoc summæ duntaxat, diuinæque adscriberetur potestati, cuius est non minùs vitam dare mortuis, quam viuis auferre: Noster desperatis humanis præsidijs, hortatur circumstantes, vt secum Numinis clementiam pro contumace propitiarent. Procumbitur in genua ab omnibus (omnes enim eundem sensum induerant) oratur, & æger manus illicò brachiáque sublata precantis ritu componit, confessionis faciendæ copiam, etiam atque etiam, quamuis intermortuis vocibus, flagitat. Auditur, expia-

Digitized by Google

expiatur, cœlo ſpe certâ adſcribitur, Catholicâ cæremoniâ primus omnium in Parœciâ tumulatur. Secuta virum eſt vxor annos nata ſeptuaginta, & eâdem religione eodémq; tumulo condita; ſupereſt filius & ipſe Conſularis, qui vtriúſque parentis pietatẽ, viuus mortuos imitari decreuit. Eandem tertius eiuſdem ordinis & dignitatis eſt ingreſſus. E militari quoque præſidio, nonnemo ad caſtra Catholicorum hac viâ ſe contulit. Pepigerat cum honeſtâ Virgine nuptias, quod ſi falleret, alteríque fidem ſuam dolo malo addiceret, tum Cacodæmon vltor adeſſet, & ſe ad primam ſponſam reportaret. Reſpondit malis moribus peior fides. Vix enim annus vertit, cum ſponſus idémque ſponſus perfidus, oblitus ſui, fidei, deuotionis diriſſimæ, alteri ſe emancipat ducendæ. Interceſſit ſanè fideiuſſor vindéxque periurij Diabolus, & in hircum verſus noctu militem in ſtatione excubantem, per mœnia aduolans, ſubire pedes, & velle aſportare incipit. Exanimatus derepentè eo obſequio miles, cum nulla occurreret defenſio, Crucem, quam deteſtabatur alioqui, (vtpote Hæreticus) pro haſtâ arripit, ſignatúſq; ad manipulares decurrit: ſequitur beſtia, & pro feneſtrâ contuberni imminet latenti. In ijs ergo anguſtijs deprehenſus, homo aliud non reperit aſylum, quàm vt per Noſtros ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum, vbi & tutus latuit, confugeret, & ad ſponſalia prima rediret. Fuit & in pueris ardor, qui clã parẽtibus Hæreticis, Catecheſin noſtram aliquando adeũt. Ex ijs retulêre nonnulli ad aures domeſticorum,

Digitized by Google

quæ ipsi fortè apud nos audierant. Iratus pater cuiusdam domûs, accipit filium, qui sub ipso tamen plagarum strepitu clamans, *non possum*, inquit, *aliud loqui, quam à Iesuitâ audiui.* Vicit parentis pertinaciam filij patientia simul & constantia, damnatísque erroribus filium suum doctorem secutus, ad nostram se contulit Professionem. Sed omnia priora superat hoc postremum, quo tanquam clarissimâ DEI significatione etiam aduersarij perculsi sunt, ne quenquam à suis ad nos transire conantem retardarent. Inter nurum & socrum res agebatur; illa ad Catholicos adspirabat, hæc retrahebat. Nam cum illa supremo conflictata morbo in æstiuam domum socru inscià Nostros euocâsset, non potuerunt Nostri adesse priùs, quam infelix mulier à propinquis ipsáq; socru lectũ instar lupæ vlulantis obeunte obsideretur. Vnde nihil ausa tẽtare ægra medicũ animæ dimisit. Ille statim renunciat Magistratui statũ feminæ simul & socrûs importunitatẽ, qui mox abscedere iussit intemperiẽ ab infirmâ, quò Nostrati pateret accessus. Nurus ergo Sacris omnibus ritè procuratis, extremam horam patienter expectauit: socrus autem illo ipso die, quo Sacerdotẽ à promouendâ hominis salute impedierat, ante nurum vitâ exturbata est: domestici omnes & vicini, qui mortem inexpectatam huius cognouerant, territi intra paucos mensesad nostrum consilium se retulerunt, nunquam inuitati socrûs religionem & mortem damnauerunt. Atque ita cessit velitatio nostra cum factione Lutheranâ.

X. NVNC

Digitized by Google

X. NVNC reliqua prosequamur. Templũ parœcianũ à situ & squalore repurgatũ, & quoad eius fieri potuit, ad nostrũ cultum, fixà Cruce, vexillo posito, ferculo Eucharistico exornatũ est. Cœmeteriũ item peramplum in vsum Catholicorũ consecratũ, reiectis in angulum profanũ Hæreticis. In çde ciuitatis principe (si cœnobiũ S. Crucis nobilissimũ, quod nunquã à fide & religione defecit, excipias) Nostri post meridiẽ p cõcione frequentissimum populũ tum vrbanum, tum ex omni circũ agro confluentẽ docent, tam auidum intentúmq; vt agrestes pleriq; neglecto prãdio, pane solùm in sinũ coniecto aduolent, & ad vesperam perdurent. Concionẽ excipit instituenda minor ætas, quæ nihil in frequẽtiã cedit maiori. Totam hebdomadã meditatur capita sacræ doctrinæ: sunt enim Ludimoderatores vtriusque linguæ patriæ & latinæ à nobis instructi, quibus modis iuuentus sit erudienda.

XI. CHRISTI nascentis, morientis, & reuiuiscẽtis memoria tam augustà ceremonia est peracta, vt Hæretici natu grãdes exclamarent: *Quam sanctæ (DEVS BONE!) Catholicæ cæremoniæ! cuius non intimas pectoris fibras penetrent!* Vltimo ieiunio tanta fuit Catholicorum & Principum ciuitatis ac Cæsarei quoq; Magistratũs religio, vt rursum omnium religionũ irrisores Hæretici se non cõtinerent, palámq; dictitarent: *Ab suâ parte nec toto anno tot fieri preces, quot vnâ nocte à nostris funderentur.* Quo die quondam infestus populus supplicationem Catholicæ plebeculæ incurrerat, signáque deiecta lacerârat, & simul omnia sa-

Digitized by Google

cra Catholicorum profanârat sustulerátque, eô ipso D. Marci die, instaurata pompa, & in vicinum pagum deducta, tantâ frequentiâ, vt extra templi septa dicendum fuerit. Omitto nunc per certos anni dies lustrata vicina oppida, vndè testimonia industriæ retulerunt Nostri, præsertim Wembdingâ, vbi cum decem sagæ flammis exurendæ à Nostro bene mori docerentur, miratus Lutheranus Præco; *Tu verò*, inquit, *strenuè laboras, vt animas ex orci faucibus ereptas cælo transmittas.* Denique, (quod hîc videtur significandum,) intra & extra pomærium confitentibus aures datæ sunt hoc anno bis mille, octingentis. Concludam memorabili facto rem totam. Matrona dum vterum ferret, non admodũ partui vicina, repentè Epilepsiâ correpta est: Obstetrices curriculò vocatæ, & matrem & fœtum desperauerant, curritur ad Nostros, fœmina interim vitâ cedit: Nostri sæculum cum B. P. N. reliquijs appendendum marito tradũt: qui dum etiam defunctæ collo sacrum pignus admouet, illâ quidem rigente, infans repentè manum vtero profert, tanquam sacro fonte tingendam; tingitur & extinguitur.

COLLEGIVM MONACENSE CVM SEDIBVS EBERSPERGANA ET Oetinganâ.

XII. P. GEORGIVS Federus, quatuor Societatis vota professus, nec incelebris etiã exteris nationibus Mathematicus, cœlum propiùs hoc anno,

Digitized by Google

no, quod credimus, videre cœpit. Is Philosophiæ spatijs ter decursis, cùm aliquâdiu in Theologiâ operam fecisset, supremam ætatem partim Confessionibus excipiendis, & visendis ægris, partim pueritiæ ad leges Christianas formandæ, aliisque hoc genus studijs impendit. Memorabile habetur, quod Orphanotrophium apud Monacenses condere primùm, post etiam impensis amplioribus locupletare instituit, vbi ad quadraginta hodie pueruli seorsim, ac puellæ educantur tantisper, dum illos aut opificio matura ætas asserat, aut honestior clientela excipiat: quibus quidem omnibus, quam gnauiter consuluerit Pater, haud facilè est explicatu. Effecit, vt de publico ærario, & singularis Magister conduceretur, qui prima illis elementa traderet, & matrona, cui de puellis curæ esset, vt lanam facere, atque acu pingere illæ scirent. Hic ergo Pater sub extremæ veris iciunia foras ad labores profectus, domúmque ob laterum dolorem reuectus, exiguam medicis spem tulit. Lætus tamen ille & dolorum patiens, cùm paucis ante obitum horis à Principibus nostris rogaretur, sui vt apud Superos meminisset, hilari vultu promittit. Inde in contiguum cubile digressum, stantem etiam dum atque ambulantè adorta mors pœnè momento exanimat: plùs enim spatij non reliquit, quàm, vt socij vnius brachio ceruicem immitteret, humíque depositus, accursum R.P. Rectoris opperiretur, quo cõmodùm ingresso, benéque precato, ille velut datâ iam missione decessit.

Digitized by Google

Felicem prædicauerunt eum aliqui, quod non tantum eo die, quo ipse CHRISTVS olim, sed eâdem insuper horâ expirârit. Annos vixit vndesexaginta; in Societate supra quadraginta duos. Vir rarissimo animi candore, libertate, atque alacritate ad ægros vndique iuuandos primus; charitate denique aduersus homines à peccatis vindicandos singulari.

P. Georgio comes cœlestis itineris fuit P. Ioachimus Rætius, qui olim præter humaniores litteras, cùm Philosophiam & Theologiam, quæ mores spectat, docuisset, tribus votis in Societatis Professione nuncupatis, extremum septennium huic Collegio à Confessionibus fuit. Nihil diceres hominis animo quietius, nihil morum antiquitate antiquius: nemo aut alieni curiosum vidit, aut sui negligentem; & vt totum dicam, magnæ virtutes nusquam in minore pompâ habitârunt. Bibliothecam procurare iussus, incredibile memoratu est, quàm impensè pauerit, ferè in pertinaciam vsq; diligès, ne quid partium suarũ negligeret. In hunc talem virum iam crebros impetus facere cœperat siue senectus, siue morbus; dum deniq; in ipsa Bibliothecâ nescio quid pro more facitantẽ, ac fortè puluiſculos de summis forulis conuerrentem, extremus inde casus supinũ afflixit: clamare tamen auxiliũ, aut æger nequijt, aut modestus noluit. Receptis pòst aliquantũ viribus in angulum loci subrepsit, ibíq; acclinis dum residet, in somnũ dilabitur, sed qui propemodum illi æternus fuisset. Excitatus tamen ad cubiculum secessit: neq; ad id locorum

Digitized by Google

corum quemquam mortalē infortunij ſui conſcium habit. Breui igitur poſt ſuſcepta Sacramenta confectus animam exhalauit, annos natus quinquaginta ſex, de quibus ſex & triginta Societati dedit. Sed iam ad paulò lætiora.

XIII. AB HÆRESI reuocārunt Monacenſes octuaginta quatuor. Frequentia confitentium & cōmunicantium coëgit Superiores noſtros prouidere, ne à templo vnquam abeſſent, qui affluētibus aures præberent: Sacro namq; CHRISTI Epulo accubuēre hoc anno ſeptuaginta quinque millia, quantū poſt conditum Collegium nunquā. Duo ergo minimū in ſacro tribunali ſemper verſantur ad audiendū parati. Quinq; templa poſt meridiē occupat pueritia à nobis inſtructa. Quinq; item hoſpitalitias ædes adeūt, nec quidquam eſt, quod populus magis cōmendet, quàm cùm miſeris omni ope deſtitutis ſucurri videt. Inſtitutum de integro eſt, vt mendicabula extra vrbem, quibus plurimis viæ pontes obſidentur, ſuum è Noſtris curionem haberent, qui ad ſalutem neceſſaria doceret ſingulos. Habet ea res gratiam in populo & admirationem.

XIV. IN QVADRAGINTA horarijs per Bacchanalia precibus Sereniſ. Principes magno reliquis fuēre exemplo. Nam ij omnes cū vniuersâ Nobilitate principiò ſtatim ſeſquihorā humi incubuerunt: atq; iterum, vbi vltimo die, quo decretum erat celebritatē finire, errore factum eſt, vt principij hora renūciaretur: quâ appetente Nobilitas aulica à ludis, ab equis, à rhedis momento abſtracta cum Principibus adeſt, intrá-

Digitized by Google

que ipsas ædis valuas agmini supplicanti occurrit. Eo conspecto Principes nihil morati, repentè cùm albicantibus tædis huic rei domo allatis, se multitudini ingerunt, pérque reliquum templi spatium comitantur: & quòd quadragesimam precum horam exijsse modò cognorant, ipsi de integro præstolante totâ aulâ ante summam aram accidunt, horámque arbitrariam piè precibus impendunt. Et quia Principum incidit mentio, non possum facere, quin de illorum erga nos singularibus meritis, & vniuersam Societatem affectu cultúque in B. P. Ignatium memorem. Vetera tamen omnia & quotidiana sileo; hoc insigne est. Serenis. Maximilianus datis ad Pontificē Max. litteris studiosè constantérque egit, ne B. Ignatio parenti nostro cœlestes vltra honores differrentur, atq; vti eum, vel inter Superos adscriptum palàm renunciaret, vel publicis tantisper precibus deuenerandū ediceret. In quod item argumentum Cardinalibus tredecim potioribus singulas seorsim epistolas conscripsit, docuitq; quantum ea res non solùm emolumento cæteris, sed etiam sibi gaudio foret. Emeruisse videtur optimus Princeps, cuius desiderio cùm integrè non posset, in parte fieret satis.

XV. IN ÆDE D. Sebastiani Eberspergæ tam multa, & varia à S. Martyre ægris & miseris mortalibus præstita, vti singularem Scriptorem expectent. Itum longiùs à Tertianis patribus in alpes Noricas & Rhętias, de quibus anno superiore fusè satis perscriptum.

XVI. OE-

Digitized by Google

XVI. OETINGA magis ac magis celebratur. Accurrit nonnemo ad nos ab vsque septuagesimo milliario Germanico cum peccatorum sarcinâ, quam hic ponere voluit. Visi sunt etiam inter peregrinos, Principes Boiorũ sex cum Leopoldo Austrio, qui suam erga Nostros benevolentiam muneribus se dignis declarauerunt. Infestus à malo Genio miser quidam haud parum negotij per biduum creauit Nostris, ad quem tamen arcendum vltimas Ecclesiæ machinas, & execrationes admouẽdas non censuerunt priùs, quàm se per Confessionem purgaret. Paruit ille, indéque ad Sacrarium VIRGINIS (à beneficijs in peregrinos innumeris celebre) deductus, ad ipsas fores exanimatus concidit; sed stolam sacram collo iniectam sequi coactus, ad intimum sacellum pertrahitur. Vbi cùm hostia denique salutaris in Sacrificio tolleretur, sibi restitutus mentem & corpus ad sani hominis habitum composuit, & cœlestem pro inferno hospitem in Eucharistiâ accepit.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

XVII. AVGVSTÆ Vindelicorum res nostræ ita geruntur, Hæreticis vt displiceant; eorum ad ouile CHRISTI reuocati supra quinquaginta, totidem ferè nutantes in statu fidei confirmati. Illâ nocte, quæ Natalem CHRISTI diem præcedit, matutinis precibus musico concentu pro nostro more celebratis, ex errante Hæreticorum

Digitized by Google

grege, nescio cuius ductu, interfuit adolescens, qui Cœlitum positas ad CHRISTI cunabula imagines contemplatus ita permotus est, vti post octiduum Præconibus suis valere iussis, Catholicorum se partibus palàm adiunxerit, ne ab Angelorum societate seiungeretur. Vbi id familia resciuit, pater stricto mucrone impetum in filium facere aggreditur: interritus adolescēs, caput discrimini vltrò offert, eóque facto libertatem credendi quod vult obtinet. Memorabile & hoc est, quod turpissima improborum mēdacia refellit, cùm publicis scriptis calumnientur, nos refugere cōsuetudinem pauperum, & sures confitentibus negare. Augustæ ex decreto Magistratûs maleferiati errones per certum Apparitorum genus (regulos, inquam, mendicorū) deprehensi ducuntur in compedes, collaribus & pedicis illigati, in quibus pro culpæ ratione, velut olim ob æs alienum nexi, coguntur opus facere ad duos, tres, aut ampliùs menses. Hi omnes quamcunque sectam profiteantur, vno ergastulo coërcentur. Catholicis ergo summâ Procerum Augustanorum commendatione prospectum à Nostris, quando octauo quoq; die visuntur, doctrinâ Christianâ (sunt enim maximam partem rerum omnium ignari) imbuuntur, Sacramentis etiam prouidentur, stipe collectâ subinde etiam iuuantur. Mouit id Nostrorum studium animos etiam Hæreticorum, vt nostro exemplo suis succurrerent, præsertim cùm intellexissent, Præfectum ipsum carceris eâ charitate Nostrorum impulsum execrato Luthero se nobiscum

Digitized by Google

biſcum coniunxiſſe. Quare petierunt à Senatu aditum ad eoſdem, & ne locus ſitu & ſqualore fœdus horrorem & nauſeam delicatis Verbi miniſtris crearet; rogârunt honeſtas ædes, in quas ſub horam adhortationis educerentur. Aditus à Magiſtratu conceſſus, locus alius negatus. Rabula deſignatus, vbi ſemel bisve miſeros vidit, plicâ credo veſtis turbatâ, aut graueolentiâ offenſus, nullis precibus potuit adigi, tertiò vt rediret: ita cum riſu etiam ſuorum cœptum opus reliquit.

XIIX. ALIA Societatis munia per vniuerſam vrbem ſtudiosè obita. Ex ijs vero, qui ſacris meditationibus fuerunt inſtituti, duo Illuſtres fuerunt: quorum alter ex Reipublicæ ſeptemuiratu Collegij magnam partem conditor & auctor adeò totum huic vni curæ ſe addixit, vti neque reſponſa à Senatu admitteret, neque filiorum Italiam obeuntium litteras reſignaret. Agnouit hic DEI & Societatis in ſe beneficium, cui ſe parem nunquam futurum dixit. Catecheſis præterea noua hoc anno in vrbe cœpta: nouus item Sodalium cœtus à Natali VIRGINIS nuncupatus. Sed & in circumiacentes etiã quaqua verſum agros CHRISTI ſigna circumlata: itum Fridbergam, Kiſſingam, Lechuſium, Andexum, Mindelhaimium, Bobingam, Kirchaimiũ, Deibachium: ad Cœnobia itẽ Virginum, & caſtra nobilium; magna vbiq; meſſis collecta. Inſtitutæ Sodalitates, quæ à SS. CHRISTI corpore nomen ferunt, & cum principe Auguſtanâ ſociatæ. Illuſtriſſimus Princeps Franci-

Digitized by Google

Franciscus Gonzaga, nostri B. ALOYSII Germanus, per Germaniam in Italiam reuersus, nobis nobile pegma, quod ALOYSII partem ossis non exiguam continet, dono misit. Alia item templo donata. Calix aureorum quinque & sexaginta, vestis sacra, papiliones, chlamydula cum coronâ ad ferculum Eucharisticum &c.

COLLEGIA OENIPONTENSE, HALENSE, LVCERNENSE, FRIBVRGENSE, Ratisponense cum sedibus duabus Wallesianis.

XIX. CVM PVBLICO DEI Opt. Max. honore curatum Oeniponti, vti iam sacrum Eucharistiæ ferculum ad ægros non sine honesto ciuiũ comitatu, secus quàm ante fieri consueuerat, deferatur. Deinde præter correctos Hæreticos, Hebræa quoque femina paternarum legum doctissima cum geminis suis filiabus publicè sacro fonte abluta, marito statim per litteras nuntium quà fidei, quà tori, quà contubernij remisit. Tertiò res diuina in Odæo Gymnasij ex P. Visitatoris decreto instituta, nobilissimam iuuentutem ad nouum virtutis amorem pietatémque accendit. Postremo beneficiorum, quæ tum ciues à B.P.N. Ignatio, tum Nostri à ciuibus accipiunt, non exiguum fuit pretium. Vxor viri cuiusdam, & litteris & auctoritate pollentis, fœtus intempestiuos iam sæpiùs effuderat, neque spes erat aliquando maturi partûs. Venit interim marito in mentem, quod aliquot ab hinc annis in

Digitized by Google

in Calabriâ acciderat, cùm votis parentum per B. P. N. Ignatium proles masculà obtenta, quæ nomen Ignatij tertiò articulatè expressit. Obstrinxit ergo, & hic se cum coniuge Sacramento, si virilem stirpem obtineret, illi Ignatij nomen inditurum; obtinuit, Ignatiúmq; admirantibus propinquis nuncupauit. Ea quæ nostri acceperunt, sunt aureorum quadringentorum, quorum trecenti ex Moldauicis legatis quotannis cũ censu redeunt. Serenissa. Anna Austriaca sacrum CHRISTI ferculum diademate gemmato insigniuit. Illustris & generosa Domina Anna à Spaur, octauum & vigesimum annum vidua, Collegij huius propè parẽs ad beneficiorum remunerationem est euocata. Meruit sui memoriam, non tantùm, quia sacram templi vestẽ triginta ipsos annos gratis ipsa lauit, sed etiam quia religiosissimè vixit, & exemplo Euangelicæ illius Annæ tanto tempore ab æde nostrâ nunquam ferè discessit.

XX. HALÆ præmium laboris è domesticis Socijs accepit Georgius Tyrschenbachius, senex eximio animi candore, fide, probitate, & præsertim aduersus B. VIRGINEM cultu insignis. Eius corpus Sereniſſimæ Principes in suum cõditorium, propter sanctitatis existimationem voluerunt inferri: annos in Societate exegit triginta tres. Qui hîc sub signis cœlestis Reginæ militant, tam egregia virtutis documenta dedêre, vt soli librum facerent; præsertim ipso die VIRGINIS Salutatæ sacro, quo nouo more, Confessione primùm generali se lustrabant, deinde

Digitized by Google

inde ignauis à pio exercitu abesse iussis, formulam, quâ se primùm VIRGINI dedicarant, cum nouo sanctè viuendi desiderio iterabant. In vrbe matrona quædam in miseros haud patùm misericors, & sicubi egentem nouit, ad auxilium parata, versatur. Huic se in viâ fortè obtulit vir quidam vultu senili & togâ promissâ venerandus, qui se iam diu cibo caruisse diceret; deductum illa domum suam mensa excipit, sed post alteram patinam, cùm tertiam inferre pararet, peregrinus abiturit, ne (vt præ se ferebat) alijs molestus esset. Prosequitur hospita abeuntem, & inter oculos repentè vanescentem requirit. Quis ille fuerit, cuilibet fas erit arbitrari; feminam certè ingenti animi gaudio delibutam reliquit. Hortus Collegio à Serenis. Maximiliano attributus.

XXI. DONA vero Lucernenſibus facta præter Crucem & altaria duo, liberalitate Illustrium Pfifferorum posita, atque à Legato Pontificis, nos ter quoque in Triclinio nostro humanissimè excipientis, consecrata, sexcentis aureis æstimantur. Rusticus quidam grati animi ergo bouem Lucernam, & domum nostram adduxerat. Dono reiecto amicum veterem virum prætorium adit, queritur Nostros recusare munus. Suadet ille bouem vendat, sibi pecuniæ tantum de illo adferat, quâ vitulum comparet: illum vbi admisimus, admodum gratulatus sibi bonus homo, nos animi sui medicos impensiùs cœpit amare.

Vene-

Digitized by Google

Veneficij postulata femina, quamuis innocens, cupiebat tamen rogo imponi, vt alias præteritæ vitæ noxas breui supplicio dilueret, ne æternis inferorum flammis addiceretur. Rogauit ergo Sacerdotem nostrum, licerétne non aduersari quæsitoribus, & sententiam Iudicum perinde, ac si nocens esset, affirmare? Responsum, quod ius diuinum dictat; memorandam tamen feminæ pietatem iudicauimus. Iam aliquo tenus etiam in Walesiam proficiscamur.

XXII. SEX itaque Nostratium ibi versantur. Aragni Religio nostra situ & senio quodammodo squalens, in dies, DEO prosperâte, reuirescit. Incolæ non pauci inter Hæreticos educati, & litteris prauè instituti cõceptum virus aut celant, aut expiant. Certè cùm in Comitijs nuper fama attulisset, dies festos aliquot Sanctorum in operosos migraturos, decreuerunt, si aliter ius Sanctis obtinere non possent, armis defendere. Patres nostros tantâ veneratione prosequuntur, vt absq; verecundiâ & rubore vix colloquãtur. Affirmant passim, si olim & tales verbi diuini Præcones, & Curatores animarum habuissent, numquã hæresin apud se tam altas radices acturam fuisse. Euocamur crebro de die, de nocte, per medias imbrium niuiúmque tempestates, nec absque præsenti periculo angusta viarum montiúmque abrupta traijcimus. Prædicant ergò nostram charitatem, & extra Paschalia, quod hîc portento simile, maioribus anni festis Eucharistiam sumunt.

Ponti-

Digitized by Google

Pontifex Sedunensis non tantum labores nostros, litteris ad nos crebrò datis, solatur, sed nos etiam apud populum conatur in auctoritate, & gratiâ ponere, maiori vt cum fructu rem geramus. Penuriam nostram verno ieiunio submissis alimentis subleuauit. Iuuenem nuper profligatâ vitâ in vulgus etiam notum cupiebat sacris ordinibus initiari, sed morum improbitas & infamia obstabat. Nobis ergo dedolandum excolendúmque sacris meditationibus commisit, vti iam initiatus dignam Sacerdote vitam ducat. Nec dici potest, quæ omnium gratulatio, quæq; acclamatio populi in nos inde consecuta sit. Iubilæi præterea his in partibus mentione factâ, trepidare agrestes, hærere; perindéque se gerere, ac si ad furcam raptandi forent: explicato autem pro concione rei statu, ad se redîre, nuptias aut incestas, aut inconcessas dissoluêre, aliáq; aut minus licita, aut illicita emêdauêre. Gymnasiũ ante loco incõmodo, & sæuis Aquilonibus pulsato, situ commodiore permutatum est. In vtrâq; demum suum Incolæ erga nos studiũ, quibus possunt muneribus ostendunt, lactis copiam ingentem offerunt, & ægrè ferunt cùm non petitur. Atque hæc pauca sufficiant de sedibus, regrediamur ad Collegia.

XXIII. FRIBVRGI Nuithonum P. Canisij memoria in dies instauratur à ciuibus. Nuper in partu explicando laborans mulier, appenso Patris rosario feliciter enixa est, quod nunc alijs feminis beneficium prædicare non desistit. Triduo ante Quadragesimam supplicatum quadra-

ginta

Digitized by Google

ginta horis, omnibus ferè primùm obmurmurantibus: deinde (vt ferè solet fieri vbi res feliciter cedit) etiam commendantibus. Nostram religionẽ ex Hęreticis amplexi sunt sex & viginti. Nec prætereundum, quod prodesse adolescentibus & senibus potest. Quatuordecennis puer litteris hic operam nauans, inter studium natandi vi fluminis abreptus & oppressus, posterâ nocte reperto iam, & sepulto corpore, patri suo per speciem adstitit, monuitque, vti libros, quos vtendos ab altero acceperat, restitueret. Templo absoluendo legati aurei ampliùs mille. Creuit etiam varijs ornamentis sacra vestis.

XXIV. FRIBVRGO valetudinis caussâ Ratisponam amandatus P. Ioannes Bredanus domo Belga, tribus à Senatu viris honoratissimis ad P. Paulum Hoffæum tunc Prouincialem ablegatis, magnis precibus est repetitus, quibus ne satisfieret, morbus, & ipsa denique secuta mors intercessit. In Societate quartum supra quadragesimum annum exegit. In florente ætate populum pro concione mirè tenuit, in deflorente vel cõfessionibus audiendis distinebatur, vel morituris solatio adstabat, quorum ipse nongentis oculos clausit, donec tandem laboribus exhaustus, nec manum ori posset admouere, nec officio corporis vllo per sesquiannum fungi; illustre & viuendi & moriendi posteris exemplũ. Cœptum hoc anno Ius Canonicum doceri Ratisponæ, in vsum eorum, qui ad sanctiores ordines aspirant, ad quem finem excitatum quoq; tenuioribus domiciliũ, quod à S. Ambrosio no-

Digitized by Google

men habet, vbi piorum liberalitate aluntur. Auctus templi ornatus veſte, calice, propetaſmatis, Sereniſſimi Ferdinandi Auſtrij munificentiâ octingentorum aureorum. Cenotaphium ducentis extructum. Victus annuus censûs acceſſione creuit.

COLLEGIVM BRVNTRVTANVM.

XXV. DIFFICVLTER iudices. vtrum in agro maiorem Bruntrutani meſſem, an verò in vrbe fecerint; tantâ illic Magiſtratus & Parochi paſſim exceperunt lætitiâ, dimiſerunt triſtitiâ, hic tenuerunt reuerentiâ, coluerunt obſeruantiâ. Vel vnius Patris ſubmiſſio & ad pedes abiectio tantum potuit inter familiam profanè diſcordem, vt omnes cum eo ipſo profuſi humi, magnâ lachrymarum vi, ſimultatis etiam memoriam delêrint, DEOQ; & ſecundùm DEVM Noſtro immortales gratias meminerint. Deſignatus Pontifex Baſilienſis noſtrâ in æde à Ladiſlao Aquino Pontificis ad Heluetios legato ſummâ cæremonia gratulationéque eſt exceptus. Adeò nobis addictus eſt, vti ſæpe nobiſcum, contentus Ephebo cibum ſumat, quieſcat, præſertim vbi poſtridie cœleſtem cibum ſumentibus ipſe impertitur. Adhibet Noſtros in luſtrandâ Diœceſi, qui Societatis officia adminiſtrent.

XXVI. SVMPTIBVS Baſileenſium Canonicorum noſtrâ quoque in æde ſtat à dextra parte ſuſpenſa

ſpenſa moles, cuius baſim tres prominentes fulcium Atlantes, baſi vtrinq; incumbunt columnæ duæ: inter quas magna nigri marmoris viſitur tabula, in qua litteris auro liuentibus hæc leguntur.

HEIC EST SITVS REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. PRINCEPS IACOBVS CHRISTOPHORVS BLARER A WARTENSEE, EPISCOPVS BASILIENSIS. QVI CVM DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS EPISCOPATVM HÆRESI ET ALIENO ÆRE OPPRESSVM ADIISSET, EVMQ; SAPIENTIA ET SINGVLARI CONSTANTIA LOCIS PLVRIBVS VTROQ; MALO LIBERASSET, AC FORTVNAS EIVS AB AVIDA INSIDIANTIVM HÆRETICORVM MANV ADMIRABILI PRVDENTIA VINDICASSET, FRVGALISSIMA VITÆ RATIONE OPVLENTASSET, INCREDIBILI VIRTVTE AC PRVDENTIA CONFIRMASSET, COLLEGIVM ET GYMNASIVM SOCIETATIS IESV FELICITER ÆDIFICASSET, LIBERALITERQ; DOTASSET, VITAM HANC CVM MELIORE COMMVTAVIT XIV. CALEN. MAII. ANNO CHRISTI M. DC. VIII. ÆTATIS SVÆ, LXVI. EPISCOPATVS XXXIII.

Hæc ipſa tabula oſtendit, margines vero operis alia Principis optimi inſignia & ornamenta. Templo præterea Sacerdos ſuprema volũtate reliquit florenos ducentos, ad ceram nẽpe lumini in ara fouendo. Nobilis alius coronam margaritis, & auro diuitẽ dedit, quæ REGEM REGVM coronet.

Digitized by Google

CONSTANTIENSE COLLEGIVM.

XXVII. ECCLESIASTES noſter auditur in ſummo templo, frequentiſſimâ concione, quam æquè Hæretici, atque Catholici celebrant. Vrbi Præfectus ipſe codicillis excipit rationes, quibus aduerſariorum technas diſcat & refellat. Quare cùm ipſe abeſſe cogitur, curat vicariâ manu ſibi capita notari, quæ vſui loco & tempore eſſe poſſint. Sunt namque in ciuitate tenebriones quidam Lutherani, qui nuper conati ſunt ad libertatem aſpirare. Proinde faber quidam ærarius, & linguâ promptus, & à libris haud parum inſtructus, cœpit domi ſuæ præconium facere, ſtolidámq; plebem ita faſcinare, vt tantùm non pro vate coleretur. Alter vir opulentus Tiguro clam hæreticum rabulam euocauit, qui per tenebras & dolum in vicinos graſſaretur, & Zwinglij virus in aures ſimplicium effunderet. Deprehenſi ambo à vigili Magiſtratu, & in exilium acti. Septem ſupra quadraginta cenſurâ hæreſeos liberati. Ad quam rem etiam Catecheſes auxilio fuêre, quibus Hæreticorũ filij ſubinde ſe inferre conſueuerant. Eorum vnus quidam nouennis puerulus audierat fortè, neminem extra Eccleſiæ gremium in ſinum Abrahæ delatum iri. Retulit hoc domeſticis puer, & parenti ſæpe occinuit, ad omnia ſurdo. Euenit, vt idem Dominicâ quadam die cum cubitu ſurrexiſſet, & patri de more Aue diceret, illéque præter morem paternè reſponde-

Digitized by Google

sponderet, filius vsus occasione, se peramanter in patris sinum coniecit, arctéque collum complexus: *Mi pater*, inquit, *si me iuxta tecum amas, & salutem vtriúsque diligis, me sequere, dies dominicus est, neque te secutum pœnitebit.* Et ille: *Quò verò dues? Ad D. Conradi*, inquit, (ædes illa nostra est) *ad Confessionem faciendam.* Hìc Pater ab ore filij, & amore suspensus, & aliquandiu attonitus; *I præ nate, vicisti*, inquit, *duc quò lubet.* Secutus ergo filium pater se iam doctiorem, hæresin cum alijs peccatis apud nos deponit, constantiámque cum bonis moribus domum reportauit. Similium operá paruulorum, & alij, & copiosus mercator, quamuis à nostrâ fide alienus, ne tamen suorum quemquam offenderet, cineralia nostro modo celebrauit, sibíque à carnibus temperauit. Ludimoderator, & patriæ scripturæ Doctor trigesimum quartum annum Lutheranæ sectæ rudimenta iuuentuti obtrudere solitus, crebris Patrum adhortationibus, & impiam Catechesin tandem abiecit, & peccata nostris sua aperuit, & P. Canisij institutiones pueritiæ prælegendas suscepit.

XXIIX. COETVVM Marianorum, in quos hodie non adolescentes tantùm, sed Ecclesiastici etiam, cíues honestiores, humani diuiníq; Iurisconsulti adleguntur, memorabilis est in pauperes potissimùm liberalitas & charitas. Cùm in thermis Fabarianis versarentur, quotidie tot miseris victum præbuêre, quot mensis duabus capiebantur. Pompam funebrem eorundé Sodalium illustris præsentia, tum etiam concio,

Digitized by Google

cùm priùs hic visum simile vel auditũ nihil sit, plurimùm auxit. Dictum etiam semel à Nostro magno cum fructu in prouinciali Synodo, quam Constantiensis Pontifex indixerat, in qua præter magnum Parochorum & Religiosorum numerum sederunt mitrati Antistites duodeuiginti, duo nostro hospitio vsi, ad quos accessit ipse Nuntius Apostolicus, qui componendæ litis inter Canonicorum Concilium & Episcopum aduenerat. Vrbis Præsul Nostris, vt omnibus superioribus annis, benignè fecit; tẽplum, hortum, Collegium nouis beneficijs affecit. Et mirandum profectò est totum opus nostri ædificij intra sexennium, stipe tantum collatà ad triginta millia aureorum, in tanta annonæ caritate, pecuniæ difficultate, aduersariorum inuidià & oppugnatione, à fundamentis ad tectum exurgere potuisse. Auxit supellex sacra aureis trecentis.

XXIX. EXPATIARI denique foras nonnihil libet. Ibi passim bis mille septingenti à peccatis expiati. Miratus est Sociorum labores Episcopus Curiensis, qui eorum industriam in magno consessu Procerum palàm prædicauit: quidquid enim in sua Diœcesi vtiliter factum esset fierétque, id nostræ disciplinæ omne assignare, nullus dubitauit. Consultum est etiam famæ nostræ, partim ob hæreditates adeundas laboranti, cùm aduersarijs ipsis permissum, vt pro æquo & bono iudicarent; de addicta nobis sorte quinquaginta aureos ipsimet detraximus, & in egentes ibidem distribuimus; quod

quod factum non solùm falsam infamiam auaritiæ aboleuit, sed tantam commendationem habuit, vti Magistratus centum pro quinquaginta vltrò nobis ex suo reposuerit, quos ad templi sustentationem adhiberemus. Obijt præterea hoc anno vir clarus Ioannes Schellenbergius, Ordinis Equestris Hegouiensis caput. Hic omnibus virtutibus certatim excultus, & liberalitate in miseros, & studio religionis in Ecclesiam, & veneratione in Religiosos & eruditionis laude nobilis, totam nobis ita conciliauit in Toparchia sua nobilitatem, vt octo millia aureorum ad Gymnasium condendum assignarint; moriturus instructissimam vnà cum effigie sua bibliothecam Collegio legauit, nobisque syngraphum dedit, ne litem hæredes olim mouerent: quod tamen factum, & causâ cecidissemus, nisi tabulis illis legatum impetrassemus, de quo nihilominus aliquid remittendum fuit, quamuis nongentis inde yoluminibus ditati simus.

DOMVS PROBATIONIS LANDSPERGÆ.

XXX. DVOBVS Socijs (vti constans multorum spes) auxit hoc anno Domus Landspergensis cœlum, P. Othone Eisenreich, & Gaspare Straus, rei familiaris administro. Ille Monachij Anno CHRISTI quadragesimo nono supra millesimũ quingentesimũ natus, Romæ à

Digitized by Google

Frãciſco Borgiâ, tertio Societatis Præpoſito ſuſceptus, exacto tyrocinio, Germaniam auctoritate Maiorũ repetijt, vbi Philoſophiæ & Theologiæ profeſſione perfunctus, primùm Conuictui, tum Collegijs, toti denique Prouinciæ ſeptennium præfuit. Multùm ei debet tota Societas, præcipuè tamen Collegia Conſtantienſe & Monacenſe, in quorum molitionibus tibicen ſanè, & columna fuit præcipua. Ita valuit apud Sereniſs. Guilielmum, vt publicas litteras ab eo impetrârit, quibus læſam ab iniuria Societatis famam, & propè ad infamiam deductam vindicaret. Quinque poſtremos vitæ annos Landſpergæ tranſegit, vbi aſperaris ex aſſiduâ deſtillatione faucibus, vſum vocis cùm amiſiſſet, tandẽ Monachium ad ſummam medicorum curam, & artem eſt abductus, ibíque IV. Nonas Maij Chriſtianè inunctus, multis ornatum virtutibus animum Auctori ſuo commendauit. Vixit annos ſexaginta: in Societate quadraginta: Vir verè ſapiens, ſummis æquè atq; infimis charus; adeò, vt eum in Lauretanam peregrinationẽ Guilielmus ipſe comitem adhibuerit, & in itinere, vt ſemper modicis erat viribus, ægro velut miniſter adfuerit, officia propè ritu famuli (niſi modeſtia Patris vetuiſſet) præſtiterit. Iam Gaſpar Boius item, anno præterito votis poſtremis nũcupatis, dum focum curat, in cineralibus ſideratus, linguæ, & reliquis corporis officijs deſtitutꝰ, putabatur illicò expiraturus, ſed procuratis ritè ſacris, XIV. primùm Calendas Nouemb. patientiæ diuturnæ & obſequij laureolam accepit.

Cœlum

Digitized by Google

Cœlum quo poterat modo, assiduè affectabat. Cùm enim linguam in verba cogere non posset, oculos sursum leuabat, ipsóque B. Patris N. sacro die, per quas valuit significationes à valetudinario petijt humi deponi, vt suam erga Beatum venerationem cultúmque declararet. Illud dolebat præcipuè, quod tot vigiliarum domesticis, laborum ac molestiarũ, vt ipse putabat, caussa foret. Vixit annos quinquaginta, inter nos viginti. Porro reliqua breuissimis quatuor periodis absoluamus.

XXXI. CATHEDRAM Parochiæ iam triginta annis à Nostris curatã, litteris firmauit Sereniss. Boiorum Dux Maximilianus, vt ne Senatus vllum alium, absque sua auctoritate Ecclesiasten designaret. Dum ædicula sacra in confinio Landspergensi expiaretur, noster Ecclesiastes mille hominibus persuasit eà occasione, sacrum Chrisma vti susciperent. Ex quibus desperabunda quædam animi tranquillitatẽ multis annis desideratam cum Sacramento recepit. Vidua quædam cùm Socios duos publicis votis in æde nostrà se DEO totos emancipare spectaret, exemplo prouocata, castimoniam & ipsa in reliquam vitam DEO nuncupauit. Tironibus alendis Sereniss. Guilielmus centum aureos de more contulit, totidem Senatus, totidem aliunde;

Sociorum vnus ex hæreditate octo mille legauit.

Digitized by Google

Collegijs quatuordecim, domo Probationis vnâ, Sedibus quinq;, fuêre Socij quingenti octo. Defuncti ſeptendecim: admiſsi quadraginta.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Collegium Colonienſe.	XXXI.	XVII.	V.		IX.
Treuirenſe.	XXIIX.	XV.	V.		IIX.
Tirocinium ibidem.	LXXXIII	IIX.			IIX.
Coll. Moguntinum.	LXIV.	XXIV.	VI.	XXIII.	XI.
Herbipolenſe.	LV.	XVII.	VI.	XXI.	XI.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Spirenſe.	XXXII.	XXI.	V.		VI.
Fuldenſe.	XXVII.	X.	V.	V.	VII.
Heiligenſtadienſe.	XIX.	IX.	V.		V.
Sedes Erfurtenſis.	V.	III.			II.
Coll. Confluentinum.	XX.	IIX.	VI.		VI.
Molsheimenſe.	XXXVI.	XVI.		XI.	IX.
Paderbornenſe.	XX.	IX.	V.		VI.
Monaſterienſe.	XXII.	XII.	III.		VII.
Hildeſienſe.	XVII.	VII.	V.		V.
Embricenſe.	XX.	IX.	V.		VI.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Aquiſgranenſe.	XII.	VI.	III.		III.
Sedes Hamburgenſis.	IV.	III.			I.
Bonnenſis.	III.	II.			I.
Hagenoënſis.	VII.	III.	II.		II.
Wormatienſis.	III.	II.			I.

Digitized by Google

Eorum, qui sectas improbas deseruerunt, numerati millè centum viginti sex.

Qui exercitia nostra fecerunt, centum sexdecim.

Qui à desperatione pedem repressérunt, quinq;.

Qui impudicam vitam damnauerunt, septendecim.

Qui inimicitias graues soluerunt, sex.

Qui sacro DEI agno damna auerterunt, quinq;.

Præter multa demùm alia, pauperibus aurei per Nostros impetrati mille.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM COLONIENSE.

I.

TRIBVS FVNERIBVS luctuosus fuit hic annus Colonienſibus. Pprincipium luctui dedit P. Georgius Treuir, Coadiutor formatus, annorum ſexaginta; de quibus quadraginta tres inter varias Societatis functiones tranſegit, dum tandem optimus in templo noſtro Oratorab hydrope ſilere iuſſus, pedum ſectionibus, aliiſque remediorum acerbitatibus & continuis peruigilijs, magno patientiæ documento plenus virtutis & ſpei in cœlum migrauit. Sequens fuit P. Ioannes Leo Aſtæ Regiæ in Tudertanis oriundus, cùm in vita ſexageſimum nonum, in Societate quadrageſimum ſeptimum ageret; quatuor vota Profeſſus, percurſáque bis Philoſophiâ, viginti duobus annis Theologiæ Doctor; reliquias vitæ in Conciones latinas expendit laborioſus ſenex. Erant in eo cum excellenti eruditione inſignis mode-

Digitized by Google

modestia; cum prudentiâ animi candor, quo omnium etiam virorum Principum veneratio-nem obtinuit, & amorem. Denique cùm ad respirandi difficultatem hydrops & gangræ-na accessissent, fractum victúmque corpus est, non animus. Tertium luctum non Nostris tantùm, sed toti ciuitati attulit mors P. Ioannis Rütgeri. Coadiutor formatus hic erat, Religio-sus annis triginta, concionator egregius, pariq; prudentia & charitate: qui cùm Herbipolense Collegium annos aliquot, non intermissâ con-cionandi curâ gubernasset, tandémque ex diu-turno morbo paululum recreari visus, solitum laborem Coloniæ iterum maiore quidem ani-mo quàm viribus aggressus fuisset, vitam suam insigni quodam facinore ibidem velut obsigna-uit. Ardebat vrbs seditione ciuili auctoribus Caluinistis, petebatur religio, & ad honores ac Magistratus ab Hæreticis quærebatur via, cùm tamẽ alia omnia potiùs, quàm ista ignaræ plebe-culæ prætenderentur. Famosi libelli contra Ma-gistratum & Iesuitas volitabant, fraudibus, pro-missis, muneribus, minis Catholicos in partes trahebant. Iam tribus armatæ curias suas occu-pant, rationem Reipublicæ administratæ Sena-tum poscunt, militem consules exauctorare co-guntur, in templis noctu excubiæ, pericula om-nibus, maximè confecratis hominibus. Ergo dies aderat, quo omnium tribuum suffragijs de vniuersa Republica decernendũ erat: tum Sacer-dos noster in principe æde, supra omnem hominum memoriam concionem habuit fre-

quen-

Digitized by Google

quentissimam, quâ & fraudes Hæreticorum detexit, & omnes Catholicos ad reuerentiam Magistratûs concordiâmque flexit. Quo facto respirare mox ciuitas, Consules ad imperia, ciues ad obsequia redière, tantúmque pòst dierum consequentium concionibus effectum potentiâ dicentis, malè consulta in auctores vt reciderēt.

II. IN ISDEM ciuium turbis, sæpe etiam partes Catholicorum fulsit Sodalium B. VIRGINIS egregia virtus: nam & priuatis colloquijs & publicis suffragijs improborum conatus infregerunt: quamuis subinde non illæsi, aut ab Hæreticorum furore sicisque penitus immunes. Cùm singulæ tribus separatis curijs sententias de Repub. dicerent, animaduertit quidam Sodalium, suam tribum malorum blanditijs trahi in errorem; tum ille vocatis in consensum Catholicis prudentioribus, quà clamando, quà modis alijs contra nitendo obtinuit, ne tunc sententiæ dicerentur: quâ dilatione factum est, vt post auditâ potiorum tribuum sententiam, hæc illa turbulenta non auderet à melioribus dissentire. Alij Parthenij in seditionibus animorum componēdis strenuè occupabantur. Pauperes aluerunt, frequenter pedes eorum lauerunt, in sentes exemplo ac fine D. Benedicti fese abiecerunt, carnes diebus interdictis ne cum periculo quidem vitæ esitare voluerunt.

III. CONFESSIONVM sacrarum virtus in eo eluxit, quod domus, quę nocturnis eiulatibus & lugubri gemitu personabat, magnóque familiam horrore concutiebat, scelerum expiatione lustrata

Digitized by Google

strata illico conquieuit. Muliercula, quæ DEO eiurato Diabolo se per chirographum sanguine suo scriptum deuouerat, pœnitens illud Sacerdoti nostro exurendum tradidit pactúmq; reuocauit. Alij quoque multi per solemnes exorcismos à Dæmonum infestationibus sunt liberati. Gratiam habuit Sacerdotis vnius Nouesium excursio, quando Magistratus ipse bibliopolam quendam famosi contra nos libelli venditorem, ablatis omnibus exemplaribus in carcerem cõpegit, vbi disceret de cetero libros, non famam bonorum virorum habere venalem.

COLLEGIVM TREVIRENSE, ET DOMVS PROBATIONIS ibidem.

IV. P. IOANNEM Mülhusinum tertio postquam gubernationem Collegij susceperat mense subita apoplexia exanimauit, quatuor vota professum, variisque in Societate muneribus, regendi, docendi, scribendi dexterrimè prudentissimèque functum. In Tirocinio quoque duo extincti sunt: prior Georgius Monseur, Sacelli curator, spiritualis & rectus, subito casu mortuus, iunctisq; in modum Crucis ante pectus manibus repertus. Alter Marcus Horst, quod in votis habuit, vt in domo Probationis vitâ solueretur, impetrauit, cuius innocentiam atque candorem vltima morientis suspiria declarauerunt: *O IESV mi dulcißime! Bonum mihi diligere IESVM:* adiáque id genus animæ exultantis, & ad æterna

Digitized by Google

anhelantis audiebantur, vt ad nuptias Agni abire, non ad tribunal Iudicis videretur.

V. TOTI ferè ciuitati Sodalium Marianorum pietas admirationi, mutatæ in melius viuendi rationes voluptati fuêre. Horum complures Litanias veſpertinas in familiam ſuam induxêre; alij contemplationibus mentis inſueſcunt. Duo ſub noctem ab inſolente palatino per iniuriam gladio appetiti, citra vindictam hominem exarmárunt, & illuceſcente die arma vi ſublata redhibentes, ſui eum periculi cõmonefecerunt, addito, *eam B. VIRGINI ſalutem ferret acceptam, cuius veneratione & amore hoſti peperciſſent.* In alium peregrè iter habẽtem ex inſidijs latro inuaſerat: ſed Marianus manu promptus ſicarium occupat, cúmque eum ſub ictum teneret, maluit differre, quàm ſclopo, quem expeditũ gerebat, cõficere, durauítque periculoſa velitatio, donec ſuperueniẽtibus temerè viatoribus, tenebrio latebras ſuas repetiuit. Duo præterea alij præſentiſſimam eiuſdem VIRGINIS opem ſunt experti. Prior è naui lapſus in ipsâ patronæ ſuæ inuocatione tabulam feliciter apprehendit ſéque ſeruauit. Alter ſcaphâ in vorticem Gelbis fluuij abreptus, omni ſpe humanâ deſtitutus, votis ceu velis quibuſdam nauiculam ſubter vmbroſam arborem agit, vbi apprehenſo ramo in ipſam arborem nauicularius recipitur, illa ſub oculis orantis fluctu ſorbetur. Interim grauia etiam in cœtum hunc odia exarſerunt. Dolebant digni quidam homunciones qui doleant, Sodales comeſſationibus, blaſphemijs, ingurgitationibus

nibus abstinere, tribunitias conuiuiorum leges, & veteres pergræcandi cõsuetudines negligere. Alij hoc periculosiùs, quò rectiùs, pietatem oppugnabant, coitiones eorum seditionibus excitandis opportunas videri, proin tempori occurrendum malo. Verùm contumelijs his feliciter finem attulit cuiusdam è primoribus infelix proteruia; qui dum in publico hospitio multa in Sodalem quendam, Sodalitatémque vniuersam probra congerit, in ius vocatur, calumniæque damnatus, post turpem mendaciorum reuocationem, grandem mulctam, Sodalitatíque trium librarum cereum pendere cogitur.

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

VI. Sed & Moguntiæ inopinata mors quorundam labores interrupit, exorsa à P. Nicolao Rimæo Miltenburgensi concionatore egregio, postquam annos vndeuiginti in mundo, totidem in Societate peruixisset, Philosophiæ discipulus & Magister. Adiecit huic modico interuallo virum inter Societatis decora merito numerandum, P. Nicolaum Serarium, cui pluribus aliquantò parentandum videtur. Natus is erat Ramberuillæ, quod oppidum in Metensis Episcopi ditione situm est, anno superioris sæculi quinto & quinquagesimo, parentibus imprimis honestis, qui eum idcirco à D. Nicolao cognominauêre, quod commodùm Baptismus eiusdem in diem Magno Nicolao Myrensi

Digitized by Google

sacrum incideret. Trimulum DEVS è patriæ vastitate flammísque, quas bellicus furor iniecerat, ereptum, ac mox è curru, quo in fugâ vectabatur, excussum seruauit incolumem, sororculâ eodem extinctâ casu. Deletâ patriâ primam ætatem egit ad montem D. Romarici, aduersus quem Diuum cùm iam tum eximiam quandam pietatem imbibisset, eius deinde vitam singulari libello prosecutus est. Primas litteras didicit Dommartini septimo à Ramberuillâ milliario, magistro vsus, vt ipse commemorare consueuerat, homine in erudiendâ iuuentute in primis diligente, apud quem duodecimum & tertium decimum annum posuit. Inde in Coloniam Agrippinæ ad altiores disciplinas missus, ab anno eiusdem sæculi nono & sexagesimo, ad vsq; tertium & septuagesimum in ijs studijs est versatus, quo anno & Philosophiæ spatia percurrit, & Societati nomen dedit, annos natus duodeuiginti: posito Tyrocinio, Herbipoli in Theologiam incubuit, quâ absolutâ per omnes ferè humanarum diuinarúmq; facultatum gradus tantâ felicitate paulatim docendo ascendit, nulla vt esset earum doctrinarum, in quâ non laudè ferret. Academiam porrò Herbipolensem anno CIↃ. IↃ. LXXXII. IV. Nonas Ianuarias, Iulius eius vrbis Pontifex, & Franciæ orientalis Dux, Pontificis Max. & Cæsaris auctoritate, magno Ecclesiæ bono erexerat, quo tempore Serarius Philosophiam publicè profitebatur. Itaque primus fuit, qui proximo à conditâ Academiâ mense, aliquot probatæ eruditionis iuuenes artium & Phi-

Digitized by Google

& Philosophiæ Magistros renunciaret: cuius inaugurationis, non ipse modò Academiæ parens Iulius, sed etiam Sereniſſimus Matthias Archidux Austriæ, Augustiſſimus postea Imperator spectator fuit. Theologiam post hæc omnem, quam Scholasticam dicimus docendo cõplexus, mox ad sacras litteras, quarum incredibili ardebat amore, totum se contulit, in quibus tradendis partim ibidem Herbipoli, partim Moguntiæ viginti propè annos, hoc est reliquum vitæ tẽpus, cum mirifico plurimorum fructu, nominísque sui, apud exteras etiam gentes, gloriâ collocauit. Interea verò temporis, dum Herbipoli scholas diuinas habet, venit eò Franciscus Filidimus: homo Italus, qui se fãlsò è Tucciorum familiâ ferebat: is scripto ad Clementẽ I I X. Pont. Max. libello, obsoletos iam pridem sepultósque Pelagianorum & Chiliastarum errores ab inferis reuocare nitebatur: eum libellum Iulio principi obtulerat. Sed ille, vt est consideratiſſimus, dolos suspicatus Serario perlegendum dat ac cẽsendum. Is cùm Principi esset obsecutus, id insuper studij habuit, vt edito eleganti volumine, nouam pestem à reliquâ quoq; Germaniâ auerteret. Itaque priùs nefarij hominis errores Serarij diligentia, quàm ipse flammis, quibus non multò post eum Roma addixit, extinctus est. Sed iam operæ pretium mihi quoque facturus videor, si compendio, quam in quærendâ eruditione rationem secutus sit, exequar. Principiò satis gnarus, studia litterarum, nisi altiorem finẽ spectent, vt est à S. Augustino dictum, inaneſce-

Digitized by Google

re ſteriliáq; reddi, DEI Opt. Max. gloriã tantã in eis animi cõtẽtione queſiuit, vt nemini magis aſſiduò honores, opes, atq; alias hominũ illecebras verſari ob oculos poſſe exiſtimẽ: atq; vt ad id ſe alioſq; excitaret, incredibile memoratu eſt, quãto pietatis ſenſu illam identidẽ diuinę laudationis formulã, quà pſalmos Eccleſia cõcludit, ſit ſolitus vſurpare. Hęc illi priuatim publicéq; operũ omniũ principiũ erat ac finis: hanc nunquã ſine præcipuo quodã ardore, qui in vultu quoq; emicaret, pronuntiabat: hanc ſi à Symphoniacis cani audiret ornatiùs, geſtire ſcilicet gaudio, ac triũphare quodãmodo videbatur. Quàm verò vberes illi ex eà cęleſtéſq; ſententiæ de adorandà illa Diuinitate affluerent, quamq; eà voluendà inflãmatũ in dies diuinę gloriæ ſtudiũ in pectore gliſceret, non modò frequẽtibus, vbi ſe dabat occaſio, ſermonibus, ſed publicis etiam monumẽtis ędere olim ſtuduit: & verò luculẽtiùs aliquãdo feciſſet, ſi eũ de diuina Doxologia librũ, cuius argumentũ in apparatu ſacro Poſſeuinus expoſuit, abſoluere per fata licuiſſet. Iam verò cùm has oras ijs peſtibus cõflictari intelligeret, quib⁹ delẽdis præter eximiam pietatẽ, excellenti quoq; doctrinâ ſit opus, incredibili in vtrũq; ſtudio laboréq; incubuit, illud dictitans: *Pro Hæreticis non orandum modò eſſe, ſed etiam ſtudendũ.* Caput autem omnium ſtudiorum Sacras litteras, vt ſanè ſunt, faciebat; ad has explicandas, tuendas, ornandas, non diſputatricẽ modò illam Theologiam, verùm etiam omnium Philoſophorum, Oratorũ, Hiſtoricorũ, atq; adeò Poëtarum lectionem cõferebat.

Digitized by Google

ferebat. Itaq; aiebat, *se multorum hominũ miserari vicem, qui cùm hisce velut Ægypti spoliis DEI arcam exornare possent, ætatem in iis sine fructu contererent.* Cùm his eam Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ cognitionẽ copularat, quę ipsis quoq; aduersarijs cõmendationem expressit. His ille quidẽ armis hostẽ vincere poterat, sed apud exulceratos animos parũ posse ratus, admirabili candore animi morũmq; suauitate, qua & sermones omnes tẽperabat, efficiendũ sibi putabat, vt etiã vinci se sineret: id quod ijs, qui propiùs eũ norunt, admirabiliùs videbatur, quòd feruidus naturâ, & nisi lõgâ atq; acri meditatione se fregisset, ad iram esset procliuior. Certè extat publicè hominis aliter ac nos de Religione sentientis elogium, qui eum *eruditißimũ ac humanißimum Iesuitam* appellat; nã Catholicorũ de eo iudicia longũ esset recensere. Erit instar omnium Cæsar Baronius Cardinalis amplissim⁹, & Ecclesiasticæ instaurator historię, qui eum *Ecclesiæ Germaniæ iubar* dicere nullus dubitauit. Neq; tñ hæc illum eruditionis vel ardor vel fama, ab amore virtutũ, quæ DEO consecratum hominem decent, distrahebant. Erat in eo modestia virgineũ in modum verecunda; studiũ paupertatis perreligiosũ; facilitas, q̃ nullius non modò consuetudinẽ, sed ne disciplinam quidem aspernaretur. Ergo in aliorũ congressionibus, eâ doctrinæ prudẽtiâ vir, secundas agebat plerũq;, neq; morabatur, per quẽ proficeret, dũ ꝓficeret. Deniq; quæ Nostris caussa fuit, vt quàm diutissimè eius vitâ frui cuperent, eadem ei luctuosum bonis omnib⁹ vitæ finẽ attulit. Cõsumptis enim

Digitized by Google

nimiâ animi contentione spiritibus, debilitatóque stomacho, cùm omnia fastidiret, octo dierũ spatio, vir cetera robustus, extinctus est, postridie in cœlum ascendentis CHRISTI; cùm priùs & sacra omnia ritè obijsset, & Socios præmisâ consuetâ suâ Doxologiâ conditionis humanæ graviter admonuisset, ætatis suæ anno LIV. Elatus est prosequentibus funus non sine lachrymis Academiæ primoribus. Tametsi verò ipse nobis ereptus est, viuunt tamen præclara eius ingenij monumenta; quæ si fortè cognoscere nonnemo volet, eorum hîc Syllabum reperiet.

Prolegomena in vniuersa Biblia.

In { Iosue, Iudices, Ruth, Tobiam, Iudith, Hester, Machabæos, Epistolas Apostolicas omnes præter Romanam } Commentaria.

Iosuani Sacerdotes.
De pœnitentiâ Salomonis.
Naaman Syrus.
De Apostolis D. N. libri duo.
Trihæresium.
Minerual.
Rabbini IL.

Hero-

Digitized by Google

Herodes.
Prothyron Paulinum.
De rebus Moguntiacis libri V.
DD. { Kiliani / Godefridi / Romarici } vitæ notis illustratæ.
De Symbolo Athanasiano.
De extremâ Vnctione.
De Legibus.
De Catholicorum cum Hæreticis matrimonio.
Litaneutici duo.
De Processionibus.
Contra Franciscum Filidium libri duo.
Orationes Lutheroturcicæ.
De Lutheri Magistro.
Apologiæ pro Lutheri Magistro Alogia.
Lutherus Theosdotos.
Logi, Logi.
Nachtliecht.
D. Bonifacij Epistolæ notis illustratæ.

Vix mense circumacto tertius morti manus dedit, Ioannes Scheurer adolescens annorum circiter viginti trium, è quibus tertium in Societate ponebat, opificio sutor, sed in quo variarum virtutum, obedientiæ inprimis & religiosæ simplicitatis germina pullularent. Inuidit mors, & vomicâ pectoris meatus obstruente animam extorsit, vltimúmque dein Antonium Randerath Iuliacensem aggressa, facilè vicit, quæ vincit omnes. Theologiæ operam dabat, insitáque animi sui modestiâ & tranquillitate omnibus amabilis

Digitized by Google

mabilis erat, quoad exulceratis visceribus, & fluente sensim aluo confectus est: vixit in Societate annos sex. Aliorum etiam grauiter tentata valetudo, tenui quidem filo pependit, sed vlteriùs progressu non est calamitas.

VII. ILLI interim, qui supernâ virtute valuerunt, sexaginta Hæreticos emendauêre, plurimos exercitijs nostris excoluêre, Sodalitatem ciuium instituêre, Catechismum scholis nouendecim docuêre, quarũ hoc anno quatuor apertæ. Paruulus sexẽnio minor, genere & animo nobilis aberrarat à domo parentis hæretici, & in medium turbã gregatim ad elementa fidei cõfluentium se penetrarat: hunc cõspicatus Catechistes, rationẽ formandæ crucis edocet: quam cum vno alteróve ductu probè nosset, iucunculâ donatũ dimittit. Hic ille omnibus lętitijs incedere, imaginem iactabũdus palàm ostentare, nescius imminentis tergo suo tẽpestatis. Vix pedem in domo posuerat filiolus, cùm ecce pater ferocire, virgas expedire, minis intonare, nisi extẽplo sacrũ mumusculum in mille partes discerpat, & deinceps à Iesuitarũ consuetudine quã longissimè refugiat. Abnuit puer, & primo tirocinio vix CHRISTO auctoratus, dignus habitus est, pro nomine IESV contumelias & flagella pati. Ceterũ hebdomadà totà coquit sanctum animo vindictã. Illuxerat iam dies Domini alter, & ære campano excitipagani lõgo agmine ad catechesin proruebat. Aduertit ea res puerum; nec mora, accingit se cum famulitio, quod Catholicum parens alit, doctrinæ Catholicæ scholam aditurus. Tum verò in rabiem

Digitized by Google

rabiem versus Caluinista, fores iubet occludi, puerúmq; grauissimis verbis increpitum, domi detinet: ille autem lachrymis & clamore miscere omnia, nec ante destitit, quàm obseptum sibi ad Catechismum aditum patefaceret, quē nunc & frequentat diligentissimè, & proficit vtilissimè. Parentes interim ægerrimè quidem hoc filij studium patiuntur, sed tamen, ne nouas domi turbas det, aut clamoribus rumpatur filiolus vnicè in amoribus, patiuntur. Matrona Catholica in vicino oppido Hæretico, quo ad thermas valetudinis gratiâ profecta erat, vt vidit nihil profici, & iam instare extrema, secretò à nobis Confessarium petijt. Profectus mutato habitu Sacerdos, ægræ omnia Sacramenta attulit, mortuamque huc ad sepulturam aduehi curauit, stupentibus, cùm res emanauit, oppidanis, tantum superesse Iesuitis animi, vti se ob vnius salutem, in apertum vel capitis, vel carceris discrimen offerant.

IIX. QVAM benigno tum clero, tum populo vtamur, indicio sit, quod dirutâ Collegij parte, quæ perâgusta, & situ ipso deformata fatiscebat, quidam summæ ædis Canonicus domum suam Nostris commodauit, quam cùm à Collegio via publica intercaret, effectū est, vt secundâ omnium volūtate, in ædificationis vsum obstrueretur, quæ liberalitate Illustriss. Principis sustentata bellè procedit, nec minoris stabit summâ aureorum nouies mille. Res sacra & profana, (præter vini plaustrum, & peramplam adiuncto horto domum, à Decano ad D. Stephani defuncto no-

Digitized by Google

cto nobis legatam) accreuit aureis admodum octingentis.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE.

IX. HERBIPOLI felix fuit Nostris negotiatio cum Hæreticis, quorum octoginta nouem Ecclesiæ redemerunt, quod mirum adeò videri deberet in ciuitate aliàs Catholicâ, nisi Hæresis circumstreperet, atque ex aliunde locis id genus auium huc sturmatim conuolaret. Scholæ seminario nobilium adolescētum floruêre, quod regio pœnè sumptu Episcopus & Franciæ Dux instituit, vt in eo probati stemmatis Iuuenes honestè catholicèque educerentur, nullâ, præterquam Orthodoxæ fidei colendæ, obligatione. Noui item exempli in hac vrbe deducta supplicatio à Sodalibus in Paraſceue ſub crepuſculum nocturnum. Ex Parthenianorum numero Ecclesiæ Bambergēsi diuinitus datus est Præsul Ioannes Godefridus ab Aschausen, vir Philosophiam, humanas diuinásque leges egregiè doctus, qui mox à designatione sua ad Sodalitatem scriptis litteris, & deinde hîc Herbipoli præsens amorem suum aduersus Societatem multis ostēdit. Quin & cùm Diœcesin lustraret, Confessarium & comitem de Nostris habere voluit, qui muneribus nostræ Societatis cum fructu perfuncti sunt, quemadmodum & illi, qui in legatione Comburgensi per ieiunium vernum absuêre.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIA SPIRENSE ET FVLDENSE.

X. AD SOCIOS cœlestes hinc profecti sunt tres. Præcessit P. Iosephus Mangolt, Fuldæ in Buchonia oriundus: ex annis quinquaginta septem, triginta sex in Religione vixerat, quatuor votis obligatus, vir vt temporis parcus, ita sui ad omnem Maiorum voluntatem prodigus. Philosophiæ & Conscientiæ quæstiones publicè docuit, ad populum orator Christianus frequenter dixit, scholis præfuit, confitentes tam Nostros, quàm alios assiduus audiuit.

Post hunc ijt P. Ioannes Magirus, Confluentiæ Treuirorum natus: vixit in Societate annos duodetriginta; quatuor item votis obnoxius, fuitque illius vt in religionem ingressus, ita vitæ exitus scriptu dignus. Siquidem ætatis initio, vt fit, Societatis ineundæ proposito sensim frigescente, frater eius Germanus, vitâ haud multò antè functus per quietem apparuit, leuitatem morũmque dissolutionem opprobrat, sacrúmq; è latere CHRISTI manantem cruorem manu exceptum, in faciem coniectans: *Vide*, inquit, *ne hic sanguis in cassum pro te effusus sit.* Quo ille monito ictus, constantiam, opimâ hæreditate contemptâ, ad religionem attulit, eíque partim docendo, partim Missionibus obeundis nauauit operam. Tandem in æde principe septendecim ipsos annos Ecclesiasten gratum egit. Seminario Pontificum decreto, aptãdis Diœcesi Curionibus

nibus instituto præfuit, in iisque formandis curam posuit singularem. Inter hæc calente febri correptus, vbi ad vitæ exodium venit, cœlesti item CHRISTI Seruatoris, vnáque B. P. N Ignatij oblatâ specie ita recreatus est, vti plùs quàm humano gaudio delibutus, ardentes febrium æstus sanitati longè anteferre sese dictitaret, vt facilè qui eum inuiserant, aduerterint, æternam illum beatitudinem velut prælibásse, ad quam natalitijs B. VIRGINIS, ætatis suæ vno & quinquagesimo anno, commigrauit, cùm priùs acceptis sacris, & vulnera CHRISTI pijssimè salutàsset, & circumstantes ad Societatis virtutem, obedientiam, inquam, potentissimè fuisset adhortatus. Cùm his æternùm quoque valedixit P. Hermanus Huge, patriâ Westphalus, octauo ab hinc anno Socijs addictus in numero Scholasticorum. Is dum tertiæ probationis tempore religiosis in reliquam vitam præsidijs animum obarmat, cœlo maturuit, singulari demissionis, ac modestiæ exemplo post se relicto.

XI. IAM superuiuentium multus fuit & labor & fructus. Quinque supra centum ex hæreseon lustris extracti, & quadraginta duobus meditandi materia præscripta; ad extremam luctam vngẽdi mos postliminio reuocatus. In pago puer, qui vnus in hæreticâ domo Catholicus erat, clam parentibus domum Parochi aduolat, orat parentem inuisere velit, animam iam agentem. Commodùm Sacerdos noster eò diuerterat. Itaq; imminebat occasioni, & Parocho pertinacem

tinacem hominis animum mollire frustra laboranti in parte venit: vrget, rogat, flagitat, quà minis quà precibus: reluctari ille primùm & ferocire, vna cum coniuge domesticâ ferâ, rerũ haud paulò imprudentiore: instare pater saluti vt consulat. Tandem fractâ & intermortuâ voce annuit, atque fidem vti faceret ex animo id sentire, dextram Parocho, tum Sacerdoti nostro porrexit: mox manibus cœlo sublatis, voce interceptâ ea dolentis animi argumenta edere, vt eum Noster ritu Catholico à peccatis expiatum pronunciârit. Hîc mulier supra mulierem ferox ciulatibus miscere omnia, tumultuari in Patrem, in maritum semianimem; obtestari, ne deserto Luthero pessum eat. At æger, quando aliter nequibat, calcibus importunam lecto arcere, signis & nutibus obsequium DEO & Patri ad extremum vsque vitæ spiritum testari. Simile est quod sequitur. Anus erat duorum filiorum parens, vnius quidem Catholici, alterius Luthero ebrij; ea morbo afflicta in hæreticis ædibus à Verbi ministro bolum Lutheranum accipit, excluso Sacerdote nostro, qui ibidem tum agebat, partim domesticorum malignitate, partim prætoris edicto. Interim, seu casu, seu DEI prouisu, erecta nonnihil ægra in Catholici filij ædes commigrauit: lætus Noster ad eam crebrò visit, salutem, & quod caput est, fidei mysteria tandem edoctam, Confessione, Eucharistiâ, Vnctione extremâ impertit: cui & post mortẽ sacrificio publico, orationéque funebri parẽtauit, quibus affines, quanquam

Hære-

Digitized by Google

Hæretici, eo pietatis sensu gestúq; interfuerunt, vt, quod in his locis mirêre, nihil admodum à Catholicis diuersum egerint. Fuit inter paganos, qui suorum collectâ manu, statas VIRGINI MATRI preces pomeridianis Bacchanalium horis persoluebat, idque non vulgari cum fructu. Nam cùm sub initium veris perfrigidâ quadam nocte pusillus iste grex preces suas produxisset, omni circumsecus regione frigoribus miserum in modum exustâ, immunitatem suo fundo impetrauit, atque vertente anno, vberem ad votum messem vindemiámque collegit; quam deinde rem is, qui cœtûs huiusce caput fuit, vexillo picturis expressum in æde sacrâ voluit extare, publicum & suæ in VIRGINEM pietatis, & VIRGINIS in suos beneuolentiæ argumentum. Templum denique varijs ornamentis, penu tribus vini plaustris, Collegium trecentis & sexaginta aureis est locupletatum.

XII. FVLDENSI Collegio sincerum ac veterem amicum, clero & ciuitati magnum exemplum, subtraxit hic annus. Fuit is Adamus Mangoltus Sacerdos ac ciuis Fuldensis, & P. Ioseph Mangolti, qui hoc eodē anno Spiræ ex humanis abijt, frater germanus, quem populares *cleri speculum, & gemmam Sacerdotum* dicere consueuerunt. Legauit pijs locis multa, Collegio cēsum nummarium, templo geminam vestem Sacerdotalē: à Reuerend. Principe tertia phrygio opere pretiosissima adiecta, qui & in emptione vtilis prati canonem emphyteuticum, vt in caduco, cōdonauit; aliunde quoq; aurei centū dono accepti.

XIII. Dv-

Digitized by Google

XIII. DVPLEX hîc exorta floret Sodalitas, B. VIRGINIS, quæ ciues, & SS. Angelorum, quæ ex seminario habet adolescentes. Passi nostri ab improborum licentiâ subinde aliquid sunt, dum templi Collegiique specularia lapidibus impetita, atque excussa dissilière. Sed invulnerabilis DEI vindicis oculus pro nobis vigilauit: quippe dum vim gladijs & pugionibus faciunt, indicio deprehensi auctores, Principis imperio in quæstionem dati, alter duro reorum ergastulo primùm coërcitus, inde exilio perpetuo damnatus est. Alter Caluini pullus, fugâ pœnam anteuertit, magno Catholicorum applausu, quibus in Dicasterio principis licenter adhuc insultârat.

COLLEGIVM HEILIGENSTADIANVM.

XIV. MISERI Hassi edicto sui Principis minisq; coacti hoc anno fuêre Caluinũ pro Lutheро sequi, claudum pro cœco, quæ calamitas eos ad nos solatij causâ quærendi compulerat, quibus sanè omnibus facilè persuasum esset vtroq; spreto D. Petrum agnoscere, nisi aditus illis ad Catholicos migrandi fuisset præclusus. Aliqui tamen ex his suo nostróque periculo, & aliunde vniuersim quadringenti quinquaginta veritatẽ amplexi sunt. Molitor peruicacis ingenij sæpe monitus, resistebat Euangelio: Curioni exilij minas intentanti respõdet, *egregium domi caballum esse, iter non fore graue.* Verũ dum profectionem adornat, bestia in rabiem acta & sclopo ma-

Digitized by Google

ctata, hominis contumaciam damno puniuit. Alius qui emendationem diuturnâ cauſſatione diſtulerat, repentinâ morte oppreſſus, ſine vllo doloris ſigno negligentiam ſuam luit; quanquam iam vulgare eſt, ſectarios ſub extremum vitæ contra Iudicium DEI frementes, inſaniâ corripi. Cùm Noſtri in pago Volckenrot de more ſignum campanæ dari iuſſiſſent, quo Incolæ de præſentiâ Patris monerentur, quidam à nobili hæretico ſubmiſſus proteruè opponens ſe, pulſum ſuſpendi volebat, in fraudem Catholicæ Religionis, falsò allegans, eiuſmodi ſigno velut indicio grauis incendij dominum ſuum iam imbecillem ac grandæuum perterreri poſſe. Subijciente verò Patre vſitatum ſignum hoc eſſe omnibus locis; illo contrà pernegante & prohibente, ecce tibi præter omnem expectationem nuncius accurrit ſignificans molendinum Domini ſui igne concepto ardere, eáque de cauſsâ dato æris campani ſigno ruſticos omnes ad reſtinguendum illico eſſe conuocandos. Ita iuſto DEI iudicio factum eſt, vt qui ficto timore ignis ſalutem clientum ſuorum impedire conatus eſt, huius molendinum, fruſtra auxiliantibus alijs, vindex flamma depaſceretur.

XV. INVALESCENTE autem vicinis in locis Caluinianâ peſte, non defuêre varia in Monte Adiutorij miracula, quæ & Catholicos confirmarent, & errantes retraherent. In his vtroque orbatus lumine, voto nuncupato, oculorum vſum recepit. Alius grauem & periculoſum mor-

morbum, in cuius curatione consequendâ plurimum in medicos pecuniæ frustra insumpserat, voto depulit, illiúsq; beneficij gratiâ, ad annuam ad eum profectionẽ se obligauit. Quidam è popinâ vino captus domum repetens in lupum errabundus incidit, cum quo periculosè diu multúmq; luctatus, ægrè spiritum ac vitam in diem sequentem traxit. Repertus tum ab vno Nostrûm, consilium confessionis faciendæ, Montísq; sacri implorandi audit accipítq;: nec interpositâ morâ vitæ sensuúmque vigori restituitur. Latro vitæ profligatissimæ carcere conclusus grauiter à Cacodœmone oppugnabatur, violentas vti manus sibimet inferret, ac primò quidem noti socij figurâ ementitâ, grauitatem tormentorum exponit; quibus cum non moueretur reus, neque cederet, ignauiam illi suam opprobrat, quod tantum vitæ suæ periculum cum posset, nollet effugere. Neganti latroni, ait latro orcinus, se, dummodo non abnuat, auxilio futurum. Et verò quis esset exquirenti huic, liberè est fassus Cacodœmonem. Mox homo spe secuturæ libertatis inductus, illi potestatem sui abducendi facit. Nec mora Diabolus fores carceris effringit, miserúmque arctis licet vinculis & compedibus constrictum abripere conatur. Vincula dehinc & ponderosa ligna, quibus tenebatur in manus ingerit. His furore percitus caput ferit, & sanè nisi vnà cum Sacerdote Nostro complures subuenissent, cerebro sibi illiso animæ quoque salutem perdidisset, quam confessioni & pœnitentiæ

Digitized by Google

tentiæ beneficio consecutum constans illius aduersus infernum hostem, nec tum ab oppugnatione cessantem, pugna & victoria promisit.

XVI. GYMNASIVM duabus Scholis Controuersiarum, & Dialectices auxit Reuerendiss. adiectis ad Collegij dotem philippicis annuis ducentis. Adijt hoc anno Collegium realem possessionem (vt vocât) villæ Clarissimi D. Doctoris Ioachimi ab Hisperger, cum obligatione soluendi annuam pensionem centum florenorum. Grandis porrò tempestas, quæ certam nostro Collegio vim & ruinam illatura videbatur, DEI beneficio ac prouidentiâ nos præteriuit. Fulminis ictus tectum, cubicula, aream, alias domûs partes licet peruasisset, adeóque duos ex Nostris terræ afflixisset, præter multorum expectationẽ, vitam Nostrorum & ædificium nihil omnino læsit.

COLLEGIA MOLSHEMIENSE, CONFLVENTINVM, PADERBORNENSE cum suis Missionibus.

XVII. EXCESSIT Molshemij Ægidius Rahier, Eloquentiæ Magister, præclaris ingenij virtutúmque ornamentis adolescens, atque imprimis insigni morum grauitate, quâ plurimum in retinendis coërcendísq; adolescentum animis valebat. Mense Ianuario duobus periculosis malis cõflictari cœpêre reliqui, peste inquam & fame. Igitur & inopiæ plurimorum crebris largitionibus, & morientium saluti, destinato ad id munus

Digitized by Google

munus Sacerdote, consultum est. Feminam hæreticam in vicinâ vrbe, quæ flagitiorum conscientiâ continuò stimulabatur, Prædicans, cui illa se leuationis spe indicârat, de salute desperare iusserat: quâ illa denunciatione perculsa in grauem morbum labitur, è quo simul recreata est, clam parentibus Molshemium venit, rudimenta Catholicæ fidei in templo nostro perdiscit, ac mox Ecclesiæ conciliata cum hęresi luem omnẽ animi deponit; iámque huius grątiâ à suis exhæredata victũ famulando tolerat, tetricus ille Prę-co à Magistratu suo solum vertere est iussus. Restituta quoque à Nostris Ecclesiæ Virgo Catholicis orta parentibus', quam egestas ad Prædicantis famulatum, huius consuetudo in hæresin, nostri nominis acerbũ odium impulerat. Hanc tandem multis frustra tentatis diuturnę piæ matris, alterius velut Monicæ, preces pro ea fusę reduxerunt'. Nec silendus adolescentis Saxonis, Philosophiâ & Iurisprudentiâ egregiè exculti, ad Ecclesiam reditus. Is fluxos in Academijs Hæreticorum iuuenum mores execratus, Argentoratum venit, vt ibi litteris operam dare à parentibus crederetur, atque interea huc veniendi, déque Religione Nostros percontandi opportunitatem haberet. Ergo cum per æstatem partim frequentibus sermonibus, partim in secessu meditando, ad nostras partes inclinaret, autumno ineunte, Argentoratum reuertit. Ibi comperit' adolescentes aliquot Marpurgo illuc delatos, Ioannem Pappum famosum Lutheranorum Magistrum percunctatos esse, quid de re Sacramen-

Digitized by Google

tariâ sentiret? Illum insidias sibi fieri ratum, vt quod non dixisset, dixisse perhiberetur, negat se sine testibus responsurum: illos deinde cum quinque testibus reuersos, cum stomacho ex ædibus exturbâsse. Eâ re adolescentis animus confirmatus est, ac mox apud nos fidem ritè professus, pérque confessionem expiatus, sacram Eucharistiam percepit. Mulier contumax in morbo, qui illi supremus fuit, hæreticum Ministrum spreto Sacerdote Catholico cum cœnâ vocârat: adest ille impiger, & fur domũ clanculò intrat, cui mulier panẽ Sacrilegum præbenti; *Quid agis*, inquit, *itane Diabolum mihi porrigis?* neque aliter fuit; nam sumpto bolo, illa furere, bacchari, aliáque præsentis Dœmonis argumenta ad mortem vsque dare non destitit. Atque hi egregij scilicet Prædicantium sunt fructus, quos Molshemij fecerunt.

XIIX. CONFLVENTIÆ pro amplificando templo Eleemosynæ à diuersis acceptæ quingenti, aliquot & sexaginta aurei, qui magnâ parte in nouum tectum absumpti sunt, quod mille & centum ferè florenis perfectum. Hic recenseri debet, quod in vno è tectoribus DEVS vltor statuit. Non satis illis blasphemas voces, dum templo tectum imponerent, iactâsse: CHRISTI etiam effigiem ad ædis vestibulum è cruce pendentis, crura manúsq; truncabant. Suspectantibus Nostris & crimen obijcientibus, mendacium addebant nefando Sacrilegio. Abeunt tum quidem absoluto illo suo penso sine pœnâ. Pergunt ad Gülsanæ Ecclesiæ nouanda tecta, sed non minore

Digitized by Google

insolentiâ. Acceſſerat fortè ruſticellus B. Seruatium miraculis eo loco celebrem honoraturus. Offerēti munus ſuum, impio illudunt ſarcaſmo, atque inſuper Diuos etiam hominéſque maledictis inceſſunt, quin & ſecuri Sacerdotem ipſum, qui SS. in ſupplicatione Euchariſtiam geſtabat, petunt: nec tulit diutiùs impietatem vindicta diuina: aſſere enim diſrupto, alter eorū è tecto collapſus infelicem effudit animam, alter prehenſis tignis ad pœnitentiam, vtpote Catholicus ſeruatus eſt.

XIX. GYMNASIVM Paderbornenſe, in locum Collegio viciniorem, adeóq; cōmodiorem trāſlatum proſpero admodum curſu vtitur. Catechiſticis exercitationibus vrbanis, hoc demum anno paganæ quinque acceſſerunt. Fortè Energumena Noſtrorū auxilio liberationem ab obſidente Cacodœmone impetratura ſperabatur, eámq; ob rem non Catholici modò, ſed etiā Hæretici in templū Noſtrum confertim ſtatuto die ſeſe penetrārunt: ad quos Noſter cōuerſus, monuit, ſi qui fortè inter præſentes hæreſi animos infectos haberēt, quam primùm ſe inde ipſi ſubducerent, ne ab atro genio ex obſeſſâ migraturo poſſeſſi abducerentur. Hīc alij alios aſpectare, parúmque tutum eſſe arbitrari diutùs ibi cum periculo hærere, vt proinde parum fidei ſuæ cōfidentes, certatim abitum parārint. Excurſiones & hinc Rithbergam, & Molshemio Andeolam, Fruſtingam, & aliò, ſuo non caruerunt fructu, qui ad inuidiam Hæreticorum magnus fuit.

Digitized by Google

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

XX. Celebritas Scholarum fecit, vt infima & media Grammatica diuiderentur: emicuerunt vt vbique, in hac quoq; vrbe Sodales. Quidam in vicino pago curam animarum gerens, ex suis & aliorum à se corrogatis eleemosynis domum hospitalem nouam ex fundamento, déque vitæ necessarijs sufficiétissimè octo hominibus prospexit. Nobilis cuiusdam famulus parùm Catholicus supra mensam in Quadragesima Parthenio assidenti identidem carnes in os ingerere moliebatur. Hic iustâ incensus irâ, cum corporis robore valeret, regerit in importunum seruulum colaphos & pugnos. Ita prandent, & nequam seruus indignante familia, Dominóq; imperante, conuasare, domóque exire compulsus est. Adolescentulus Sodalitatis Angelicæ, dum oratoriolo suo exornando operam dat attentiùs quàm cautiùs, per scholas altas præceps ruit. Exanimis ad diem pœnè iacet solidum. Vulnerarij de vita desperant: non perinde Sodales, sed eum precibus suis ex lethi quasi veterno incolumem excitauerunt. Puer Parthenius parentem Hæreticum, tam diu precibus, historijs, exemplísque de B. VIRGINE narrandis fatigauit, donec posita hæresi fidem agnosceret. Mulier desperatis medicorum remedijs, consilium acceperat à filijs suis, qui Sodalitij Mariani erant, peregrinationis ad Crucem Strombergensem, mira-

miraculis illustrem suscipiendæ. Secuta mulier bene suadentes est, sanitas mulierem. Collegio accessit nouum prædium & domus, auctoritate fauoréq; Serenissimi Principis Ernesti; templo argenti facti & infecti magnum precium.

COLLEGIVM HILDESIENSE.

XXI. PESTIS incessit hanc vrbem initio facto à Lutheranis, quorum est incredibilis audacia; pòst tamẽ etiam Catholicos carpere ausa, uno è Nostris capite contenta. Fuit is Martinus Zeidlerus, nostri templi ædituus, qui antequam Societatem ingrederetur, Religionis Catholicæ caussâ, quam tum recens erat amplexus, in vincula Spiræ coniectus fuerat. Eius ægri votum. DEVS ratum habuisse visus est, cùm se vno sublato, reliquo Collegio parci oraret. Interea ab ijs, quibus opẽ ferre ægris concessum est, ea charitatis seges fuit, quæ tali tẽpore solet. Illud memorabile. Quidam ex agro Moguntino apud hæreticam feminam opus faciebat, cùm pestilẽtiâ inficitur, & periculum vitæ adit. Rogat ergo matremfamilias Sacerdotẽ suæ factionis accersat: illa aduersarum partium nebulonem accituram recipit, Catholicum citra dedecus suis ædibus admitti non posse; homo Catholicus tam barbarum donum detestatus, inde se, vt potest, educit; & quoniam non habebat ad quem confugeret, in cæmeterium summæ ædis prorepit, humíque se abijcit, certus ibidem emori, vt

Digitized by Google

qui ceteris præsidijs Catholicis viuus eguisset, Catholicum saltem sepulchrum mortuus occuparet. Nostri per aliquem fortè edocti auxiliatum aduolant, ac primùm sub malè materiatum tectum, mox in desertum Benedictinorũ sacellum deferunt, vbi voto B. VIRGINI facto morbum depulit: simul Nostrorum charitatis, simul DEIPARÆ beneficentiæ locuples testis. Tres & quinquaginta in hoc Collegio ad fidem inducti varijs rationibus: alios enim conciones, alios Prædicantium inhumanitas, vafrities & discordiæ, quendam etiam Agni cerei sæpiùs perspectæ vires ad hæresin exuendam impulerunt. Nouem Cœnobia partim virorum, partim feminarum lustrauit cum Magistro Sacerdos, dum Halberstadium & Magdeburgum excurrit, magno quidem labore, sed pari fructu, quando plerique eorum quos accesserunt, vniuersorum delictorum piacularem narrationem instituerunt.

COLLEGIVM EMBRICENSE CVM MISSIONE Sanctensi.

XXII. VSA est iure suo mors in P. Petrũ Sgrotenum, qui annis viginti septẽ, quamdiu scilicet nobiscum erat afflictam ferè semper valetudinẽ passus, nihilo tñ minus alacriter interim Grammaticã suam pueris inculcauit, aurésq; confitentibus, quoad eas extrema hora strinxit, magnâ hominum vtilitate habuit apertas. Abstulit eadem veteres duos Societatis amicos R. D. Bernar-

Digitized by Google

nardum Louwermannum Embricenſem Decanum, qui priùs Noſtros in vrbẽ inductos, domi ſuę perhumaniter habuit, fortiſſimè defendit: & D. Arnoldum de Rees virum Conſularem, qui non minùs conſtanter coloniã Societatis recens huc deductam cõtra grauiſſimas maleuolorum tempeſtates, & in Senatu & apud ciues auctoritate ſua protexit. Gymnaſium in cõmodiorem locum translatũ florere cœperat, niſi erepto Illuſtriſ. Ioanne Guilielmo Iuliæ, Cliuiæ & Montiũ Duce omnia armis turbata eſſent. Prętium ædiũ, quæ ſcholis habendis emtpę, magna pariter tum aliorum amicorum, tum præcipuè Senatûs Embricenſis liberalitate perſolutum eſt. Noua & latina concio in nouo Gymnaſio haberi cœpta. Excepti oratione prosâ & versâ cùm in Collegium & Gymnaſium veniſſent Marchio Brandeburgenſis Erneſtus, & Wolfgangus Guilielmus Comes Palatinus Dux Neoburgicus: audierunt libenter, quod & capita aperta, & dictorũ in ſcripto poſtulatio teſtificari videbantur. Quin & actis gratijs P. Rectorẽ ad prãdiũ familiariter inuitarũt, in quo cùm omnia humaniſſimorũ Principũ ſigna oſtendiſſent, addiderũt promiſsũ, *nihil ſe Eccleſijs vel Religioſis obfuturos vnquã, quin potius omnia eorum iura defenſuros:* & quàm animosè ac generosè Illuſt. Neoburgicus ante paucos quã hæc ſcribimus annos præſtare cœperit, tot mũdus nouit, DEVS. Opt. Max. remunerabit. Cum venerando capite Martyris vnius è D. Victoris comitatu acceſsêre tẽplo varia & pretioſa dona. Virgo moriens agri hęredes Socios ſcripſit, præter

Digitized by Google

ter additam aliquantam pecuniæ ſummam. Crux argentea trecentorum circiter philippeorum ornandæ ædi illata.

XXIII. RESSAM & Cranburgum ſanctioribus anni temporibus ad pietatem excitauerunt conſuetis muneribus qui mittebantur. Et quia Sanctenſis Vrbis Hæretici morte Principis audaciores ſunt facti, ne quid Catholicis noceretur, Decanus reliquique Canonici auxilia apud Societatem quæſiêrunt, petito à Rectore Noſtro Conciónatore, & conſilio fundandæ Societatis inito. Miſſi ſunt Octobre menſe duo, qui boni viri ædibus excepti, doctrinam Catholicam, quà ex ſuperiore, quà ex inferiore cathedrâ tradêdo, totam pœnè vrbem exciuerunt, atq; hunc præcipuè fructum retulerunt, quod grauium virorum teſtimonio nunc etiam dominico quouis die plures Sacro Miſſæ officio interſint, quàm aliàs, vel Paſchatis, vel Pentecoſtes ſacratiſſimis diebus.

COLLEGIVM AQVISGRANENSE.

XXIV. CALAMITATES variæque rerum perturbationes fecerunt, vti quater minimùm hoc anno in æde noſtrâ publicè ſolemnitérque ſupplicaretur, litaneuticæ preces magno populi accurſu ad dies plures continuarentur. Idem peractum in alijs quoq; Sacris per vrbem locis. Ab Hæreticis ad Catholicos traducti viginti quatuor; Apoſtata vnus ordini ſuo quem deſeruerat, reſti-

Digitized by Google

restitutus. Miles cùm post multa in Belgio merita stipendia honestâ cõditione missionem impetrâsset, vota sua, quorum reus erat, ad Aspricollem Diuámque Halensem exoluere instituit: sed cùm postmodùm mutatâ voluntate ad alia sese signa militaria accinxisset, à fraudulẽtis viarum obsessoribus ex insidijs appetitus, ac plumbeâ glande secundùm genu traiectus mori cœpit. Igitur ad DEIPARAM conuersus, hoc extremum petijt, quãdoquidem moriendum sibi foret, ne inexpiatus moreretur. Obtinuit: namque curru Aquisgranum delatus, ab ipsâ statim Confessione, inter Sacerdotis Nostri manus placidissimè conquieuit. Linteo, quod sacras Diuorum reliquias attigerat, affectis corporum partibus, vt suaserat noster, admoto, duæ familiæ aliquot annos excruciatæ conualuerunt. Templo calix datus, nouúmq; altare marmoreum sumptibus Generosi D. ab Anstenrath erectum.

SEDES ERFVRTENSIS.

XXV. MAGNO tandem labore impetratum, Erfurti habitare, in conductâ viginti quinq; aureis domo, idque ad triennium, quamuis nec id tutò, cùm nunquam acriùs vicini Principes fuerint sollicitati, vt vrbe pelleremur. Saxo namque, vrgentibus æmulis, Electorem Moguntinũ monuit per Legatũ, *Iesuitas nimiùm sibi vicinos esse: Erfurto hos auocaret,* (vrbs in Saxonistutela est) *ne noua & pernicioſa dogmata ſuis etiam finibus inferrent.* Responsum à Moguntino sapienter, *Rogare se col-*

Digitized by Google

se Collegam, ne in aliena Repub. quidquam turbet, nulla Patrum pernicioſa eſſe dogmata, ſibi & Patribus eandem prorſus Religionem defendi, eadem probare, damnare eadem: mirum proinde ſibi videri, Saxonem Moguntino Leges de Cõcionatoribus dicere, cùm ipſe Saxoni omne in ſuis Prædicãtibus arbitriũ permittat. Quin & DEVS ipſe hîc cauſſam noſtrã ſingulari interuẽtu iuuare ac promouere videtur. Præco Pſeudoeuangelicus aſſiduo latratu cõntra Ieſuitas & Carthuſianos gannire ſolitus, vrbe exire ſolúmque vertere, non ſanè ob virtutem eſt coactus. Par coniugum fidem abiurârat, & vxor iam cœnâ Lutheranâ ſeſe inquinârat, quæ & probra in Catholicos iacere eorúmque Religionem, religioni minimè ſibi duxerat. Poſtridie dum nuptijs agnatæ interſunt, corruente domo ipſa penitus cum multis alijs obteritur. Maritus toto corpore fractus, miſerabili modo aliquandiu luctantem cum doloribus animam traxit. Eccleſiæ manus dederunt viginti. Foris Catechiſmus in pagis doceri, in vrbe nondum, niſi inter priuatos parietes cœpit. Sacelli anguſtiæ laxatæ: Sacramenta apud nos obierunt, mille trecenti duodetriginta, numerus ſupra omnem memoriam maior. In prædio quodam ſuburbano PP. Carthuſianorum ſeptem equos veneficijs ſtrauerant ſagæ, quarum molitiones nefarias ſacris remedijs à reliquo iumentorum grege auerterunt Noſtri. Vocata ex hoc mundo D. Magdalena à Demſtet, heroicis virtutibus matrona, Societati agros, vineta, paſcua teſtamẽto legauit; quorum æſtimatio ſeptendecim millia au-

Digitized by Google

lia aureorum attingit. Ac ne lites potiùs nobis relinqueret, quàm hæreditatẽ, tabulas ipſas quas nobis reliquit viua, Cæſareo diplomate & Archiepiſcopi auctoritate conſignari curauit. Hinc furere cognati, habitum lugubrem deponere, ſed biduo pòſt reſumere ſunt coacti. Neptis enim ex ſorore Magdalenæ, cum per riſum diceret; *Materteram ſeßitare tertiam à DEIPARA, habentem in ſinu Michaëlem, qui eam cheli oblectaret*, mox ingenti dolore correpta, nullà apparente cauſsâ, aut morbi ſigno, immani vociferatione intra duos dies moritur, aſpectu adeò tetro horribilique vultu, vt clausâ tumba citra morem gentis efferenda fuerit; cum è contrario Magdalenæ vultus tametſi vetulæ tanta dignitate extiterit, vti hæretica mulier negaret ſe vnquam ſpecioſius funus intuitam, quod & pro miraculo vicinia ſpectauit. Legarunt quoque D. Ioannes Cornerus aureos cum calice trecentos, D. Ioannes Erbius quadraginta.

SEDES ALTENENSIS.

XXVI. INIVRIOSVS ille olim declamator Philippus Nicolai, fœtu poſthumo libellorum editorum adeò in nos infamem linguam ſuam ac ſtylũ exacuit, vt Lubecẽſis vrbis Senatus ad editionis monſtrũ exhorreſcẽs, etſi Lutheranus, ſui iuriſtypis lucem interdixerit. Quàm autẽ homo perfidus, Senatum Hamburgicum iuxta cum plebe in Societatem concitauerit, facilè eſt arbitrari, quod eius odium aliquot è Noſtris ſangui-

Digitized by Google

sanguine ac vulneribus luere sint coacti: quin etiam vnum aliquem Sacerdotum nostrorum via publicâ interceptum nudatis gladijs confeciſſent, nisi ad defensionem parati vrbis studioſi insultum fregiſſent. Auctores tamen facti Senatus postea conquisiuit, sed quia fugâ pœnas anteuerterant, non acquisiuit. Litteras interim minis & conuitijs plenas ad Illustrem Comitem nostrum Schaumburgicum dedit, quibus nos in inuidiam vocaret: verùm æquus Princeps datarum exemplari transmisso, & purgationem petijt, & acceptam probauit. Accusationi illi occasionem fecerunt Studioſi duo, qui pertæsi Hamburgensium disciplinam, & famâ Scholarum Societatis permoti, easdem meditabantur, quo fine & commendationem Nostrorum efflagitabant. Acceptam igitur (dolo an casu) Prædicantes intercipiunt, contra ius omne referant, & commendationis beneficium pro maleficio vulgant. Magistratus Altenensis Nostrorum precibus inductus mortuorum elationem communi Senatûs consulto indulsit, imperatúmque Prætori vrbico, vt à cœptâ in Catholicos feritate desisteret, qua cum ille nuper quendã ob matrimonium apud nos contractum ad carcerem & mulctam raperet, huncque persoluere detrectãrem, domo per vim pignore extracto tyrannicè habuisset, iussus est integram omnis iacturæ facere redhibitionem. Et Prædicantium quidem ipsorum maledicẽtiam in nos, diuina vltio satis compescuit, occulta eorum in vulgi notitiam flagitia denudãdo, quibus peruulgatis magna

Digitized by Google

gna eorum insolentiæ & auctoritatis diminutio subsecuta est. Res sic se habet. Exarserant in se mutuis odijs primarij duo Verbi ministri, erumpunt impotenti voce, ille hunc magiæ reum agit. Magistratus politicus in re tam nouâ & insolenti iuris vsurpat partes, citat, officio interdidicit. Tuentur se (ridiculè) iure Ecclesiastico homines profanissimi: fortè enim annos ante aliquot procusum erat Brunsuicēsi in vrbe Schedion eo titulo: *Nullum esse Magistratui ciuili ius ad degradationem personæ in Verbi Ministerium constitutæ.* Huius libelli vetulum aliquod exemplar repertum prælo subijciunt, disseminatur protinus, eâ spe, fore, forum vt declinent. At Senatus caussam prosequitur, qui vel Clericorum Catholicorum exemptionem confirmabit, vel impiorum hominum ausus retundet. Certè vicinus Bremēsis Princeps cùm aulicum suum Præconem nuper simili in scelere reperisset, iussit publicè virgis cædi & exulare.

XXVII. EREPTÆ interim lupis istis è faucibus oues CHRISTI nouem: ex ijs Vngarus mercator, qui cum mutandæ in fidei perfidiæ propositum distulisset in Lusitaniam, ter altum ingressus, ter à tempestatibus huc relatus est: donec tādem Catholicum se professus DEVM simul & ventos placauit. Ipsum id effecit nauta Catholicus Agno DEI cereo: quin & mulier partū quinque diebus impeditum incolumis expediuit. Primum facere in ædiculâ nostrâ alumnus quidam Româ è Collegio Germanico huc digredi-

Digitized by Google

ens voluit memorabili exemplo; quod in his locis ab anno milleſimo, quingenteſimo vigeſimo quarto factitatum nunquam eſt: admirati ſunt Hæretici apparatū inſolitum: pueros, inquam, qui Neomyſtæ angelico ſchemate à Miniſterio erant; tum Sacerdotem noſtrum aſſiſtentem pluuiali aureáque veſte quaſi trabeatum: ſupra eorum ingenium & cerebrum fuit hæc res: vnde ſparſerunt in vulgus, Ieſuitas Epiſcopos ampla poteſtate Symmyſtas inaugurâſſe: approbant tamen Catholicorum in ſacris obeundis, & reuerentiam & maieſtatem.

SEDES HAGENOENSIS ET WORMATIENSIS.

XXIIX. HAGENOENSI Magiſtratui nihil in votis magis eſt, quam vt ſedatis Imperij procellis ſecurè & quietè ad fundationē Collegij peruenire queat. Interim amplum nobis Muſæum coaptatum, atque à Sereniſs. Archiduce Maximiliano impetratum, vti floreni centum annui, & ligna in quadriennium nobis ſuppeditētur. Templum ducentis circiter aureis pretioſius factum. Inter eos, qui beneficia in Noſtros contulerunt, ſunt R. Antiſtes Nouicaſtij & D. Comes ab Hannato, quæ magnam partem Cranij D. Felicitatis ex hæretico loco, non ſine Diuino ſanitatis beneficio trāslatum, tēplo noſtro donauit. Fructus hîc vniuerſim is fuit, vti nullus paulo ſolemnior dies eſſet, quem pœnitentium frequentia ſolito maior non celebraret.

Trede-

Digitized by Google

Tredecim hæresin reliquerunt, tribus plures in alterâ sede. Ægra vna effigie B. IGNATII, quam numisma Rosarij exhibebat, conualuit, fœtum immaturum suo tempori & partioni reseruauit.

XXIX. WORMATIÆ Conciones & Catecheses non tantùm Catholicis auditoribus, sed Hæreticis etiam augentur. Defendit autem Societatem pro sua bonitate CHRISTVS Dominus contra aduersarios & multos & potentes: qui & ardorem seditiosæ plebis mense Iunio, cum aulam Principis publicâ vi oppugnatum irent, iámque laqueos paratos ostentarent, repressit: discussítq; periculum omne, etsi iam tum grandia tormenta omnia aduecta stragem minitarentur. Ciuium iniuriam edicto Spirense iudicium cohibuit, Imperator verò nobis Protectoriales (vt nominant) transmisit, quas impetrâsse pro miraculo fuit. Sed parùm erat tabulis imperatorijs nos munitos esse, si necessarij sumptus negarentur, quod in procliui fuit; Patroni enim nostri grandia quidem, sed cum litteris illis promittebant, quas impetrari non posse putabant. His ergo obtentis patuêre animi: Victore tamen optimo principe, & sedecim nobilibus viris, in domum assignatam spectris infamem migrauimus, primóque die sacris ritibus lustratam, omnibus hactenus terriculamentis fecimus exortem. Eleemosyna templo domuíque obtenta aureorum trecentorum æstimationem habet.

Digitized by Google

Est sanè in his partibus occasio & locus, vbi Catholicis antiquæ fidei ac virtutibus specimina dare licet, quod pronuper vir quidam senio, & exemplo venerabilis præstitit, qui cum Caluinisticam cœnam gustare nollet, per mensem carcere exceptus est, liberè professus: *potius sibi putrescere decretum esse, aut fame perire, quàm cum Sacrilegis cœnare.*

PRO-

Digitized by Google

Versati sunt in Polonia locis quatuordecim Socij triginta septem supra trecentos, demptis decem, qui diem supremum obierunt; quibus octodecim succenturiati sunt.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Cracouiæ in domo Professâ.	XXII.	XV.			VII.
In domo Probationis ibidem.	XLVII.	IX.			VI.
In Colleg. Posnanensi.	LV.	XXI.	IV.	XX.	X.
In Calisiensi.	LVI.	XX.	IV.	XXIII	IX.
In Lublinensi.	XLI.	XIV.	V.	XIII.	IIX.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
In Iaroslauiensi.	XXXIII.	XIIX.	V.	II.	IIX.
In Leopoliensi.	XXXII.	XIV.	I.	X.	VII.
In Luceoriensi.	XII.	VI.	II.	II.	II.
In Sendomiriensi.	IIX.	IV.		I.	III.
In Torunensi.	IIX.	IV.		I.	III.
In sede Gedanensi.	VII.	V.			II.
In Camenecensi.	V.	III.			II.
In Missione Aulicâ.	IV.	I.			III.
In Missione Belgicâ.		IV.			

Digitized by Google

Schismatici, Arriani, alij Hæretici Pont. Max. Nostrorum operâ in Prouinciâ vniuersim, se subiecerunt ducenti septuaginta octo.

Vniuersæ vitę noxas recensuerunt ducenti sexaginta duo.

Pacificationem, prętер tria oppida integra, admiserũt quinquaginta quatuor.

Salutis abiectam spem resumpserunt quinque.

Pauperibus impetrati aurei stipis nomine trecenti quinquaginta.

Ad honestatem reuocati quinquaginta vnus.

Commentationibus B. Ignatij vacauerunt quadraginta tres.

Eiusdem Beati auxilio adiuti quatuor.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA S. BARBARÆ CRACOVIÆ.

I.

DOMVS MVLTIS Modis profuit aliorum saluti. Catechismos explanandæ ratio ferè primùm hoc anno constanter introducta, & more Romano tradi cœpta. Si Tirones excipias, qui in suburbijs docent, quatuor nunc templa occupant Catechistæ, qui priùs in vnius S. Stephani tantummodo audiebantur. Pro summâ vrbis æde Concionator è Nostris postulatus & impetratus, magnam magni fructûs spem promittit. Iam certè carnium diebus religiosis verandarũ malè inolitę consuetudines bonam partem abolitæ; vsus Sacrificij per hebdomadam etiam audiendi introductus: principio Aduentûs Domini solemnis institutio comprecatio est profelici nimirum exitu belli Moschouitici, à Sereniss. Rege susceptj. Qui & ab Episcopo eum in finem preces & à P. Prouinciali nostro stata per totam prouinciam

uinciam Sacrificia postulauit. Astrologorum & Genethliacorum repressa temeritas, & ipsa horoscoporũ designatio Vulcano tradita. Cum varijs deinde sectis, Lutheranâ, Caluinianâ, Barbaris, Græcis litigatum: victi & conuicti herbam Catholicis porrexêre quadraginta vnus. In excursione quadam (susceperant enim Patres aliquot vtilissimè) persuasum cuidam hæretico, homini nobili, ne in oppido, quod vna cum iure patronatus (vt vocant) recens emerat, antiquam Religionem immutaret; quod & ipse facturum sa manu stipulata recepit, præsentibus tum multis alijs nobilibus viris, tum eo ipso, penes quem est summa iudiciorum maioris Poloniæ.

H. SPE consequendorum paucorum nummûm quidam Cacodæmonis ope imploratâ, chirographum, quo se eidem deuoueret, in terram defodit: id cùm postea quæsitum non amplius reperisset, nec tamen orcinum monstrum se stitisset, agnouit misericordem DEI indulgẽtis bonitatem, pactúmque nefarium apud nos dissoluit. Puer à patre edoctus (fortè, an ioco?) matrem vt feriret, identidem fecit. Igitur morbo correptus primò quidem manûs illius facultate, qua parentem feriebat, tum deinde lucis etiam & vitâ vsurâ priuatur, patre nequicquam pro pueri sanitate vota concipiente, & culpam serio tandem confitente. Vnus quidam è Sodalito VIRGINIS Assumptæ, quod ex Academicis cõstat, Ouidij libros de amoribus inscriptos eo solùm emit proposito, quo supprimeret pestem, ne videlicet cuipiam alteri eos fortè legẽti

Digitized by Google

venenũ inde cum periculo propinaretur: damno pecuniæ, animæ damno sapiẽter posthabito.

III. ÆDES nostræ ampliores factæ plùs quàm altero tanto. Sumptus septem millia aureorum facilè conficiunt: ad quam summam multùm inprimis cõtulit D. Palatinæ Firleiowę munificentia, quæ præter calicem aureum mille ducentorum florenorũ ęstimatione duo millia etiã ad coëmendas pro ædificij areâ vicinas domos gratis adnumerauit. Ac ne cum incommodo in plateas aquatum ire perpetuò cogeremur, Senatus Cracouiensis è publico nostræ domui aquæductũ vltro concessit. Templum præterea calicibus duobus, & coronâ argenteâ, lipsanothecâ crystallinâ, cortinâ, vestibus Sacerdotalibus duabus, & centum denique quadraginta florenis est donatum. Contrà verò nostram beneuolentiam experti sunt B. Ioannis Religiosi viri, ægrotorum Ministri, qui cùm ex vrbe missi, hospites Cracouiam attigissent, apud nos in domo separatà per trimestre diuersati, Episcopo primùm & Palatino Cracouiensi commendati, deinde ciuibus, iam tandem certam ac propriam sedem sunt adepti.

TIROCINIVM AD D. STEPHANI.

IV. BREVIS quidem Tironis vnius fuit inter nos commoratio, sed vitæ probatæ memoria apud omnes diuturna; nimirũ Ioannis Diel, quem lenta tabes (incertũ quibus ex caussis contracta,) in ipso Religionis limine absumpsit. Fuldæ in Fran-

Digitized by Google

Franconiâ, parentibus peste Lutheranâ infectis natus, dum Herbipoli in Gymnasio nostro studijs operâ nauat, adscribitur Catholicis, indéque paulò pòst à nobili Polono cui ob morũ suauitatẽ ingentíq; indolẽ vehemẽter probabatur, huc deductus, litteris redditus, & pro Societate tandem designatus est. Cũ gaudio ingentíq; lætitia præstolabatur mortẽ, quam & præsensisse argumẽta sunt, quòd pridiè quàm excederet, interrogatus à nonnullis; quandonam speraret corporis vinculis se expeditum iri, respondérit postridiè: pedes suos, quos ægrè admodũ trahebat, dum casu quodam cõspicaretur, *non*, inquit, *crastinâ die vobis vti vestrâ facultate licebit*. Tironum aliorũ non minùs valuit spiritus, quàm corpus. Ad solita exercitia accessit hoc anno lõgior supplicandi & feruẽtior volũtariè sese affligendi cõsuetudo: simul. n. Rex Serenis. Moschouianã expeditionẽ suscepit, implorare illi DEVM cœperunt, ardentéq; coram venerabili CHRISTI corpore per vices quot diebus festis supplicare. Nec sanè immemor optimus Monarcha, quantùm per superiorum annorum bella militúmque licentiam res nostræ fuerint acciſæ, regijs tabulis cauit, ne subiecti in prædijs nostris exactionibus, aliísque expeditionis promouendæ oneribus grauarentur.

V. DVM obuios fortè in agris & plateis exitiere fidei rudimenta edocent Tironum aliqui, incidunt in hominẽ multa ætate spectabilẽ, in cuius consuetudinẽ, aliud velut agentes (canitiẽ enim hominis reuerebantur) dum sese insinuant, tandem etiam quærere audent; num Decalogũ nos-

set

Digitized by Google

ſet? probiſſimè reſpondet ille : iuſſus edicere, manibus velut ad precandum compoſitis, verſiculos quoſdam, olim à Ludimagiſtro in ſcholis triuialibus pueris proponi ſolitos, hunc in modum pronunciat;

Cùm ſteteris coram Dominis, hæc quinq; tenebis:
Iunge manus; compone pedes; caput erige; viſu
Ne diſpergaris; niſi iuſſus pauca loquaris.

Non tenent riſum Noſtri; ille, ſeſe enimuerò hæc à primis annis didiciſſe, & Dominicæ precationi quotidie adiungere ſolitum teſtatur. Edoctus ergo meliùs abire permittitur. Ingreſſi aliquando die ſacrâ domum ruſticanam, vbi nonnullos aleæ neglectâ re diuinâ, vacantes reperêre, caſtigatóſque acriùs, eò minis tandem & pœnarum æternarum propoſitionibus perpulêre, vt luſum infamem perpetuò deteſtarentur, vno inter eos obſtinatiore, in malo animo perdurante, qui amiſſis ludo veſtibus ſeminudus, nunquâ ſe deſiturum ab eo affirmauit; ne fruſtra à parête (qui tum decrepitæ ætatis præſens aderat) eam artem puer didicerit. Tantùm poteſt in prauam partem educatio. Tradiderat in pago vrbi vicino doctrinam Chriſtianam pueris Noſter, quos dum admonet, vt diligêter & modeſtè ſuo quiſque loco poſitus lectionem ſibi præſcriptâ ediſcat, profligatus quidam iuuenis fiſtulam æneam contra Noſtrum exonerat, nolente DEO: globus enim in puellam, quæ petulantior inter omnes adfuit, nec ſæpius monita quieuit, exerrauerat, grauitérque læſerat. Comprehenſus maleficus, & Iudici traditus ſuas pœnas habuit; omnibus interim,

Digitized by Google

interim, qui præsentes erãt, diuinam bonitatem ob seruatum Nostrum prædicantibus. Sacerdos quidam læsus ab vno aliquo suæ curiæ Ministro, multis præsentibus testibus iureiurando affirmauit, se vulneratione graui, si nõ illatã nece iniuriam vindicaturum, iamque ad proximam domum mucronẽ nefario sceleri expediturus properabat, aduersario interea iuxtà cum fratre germano nihilo segniùs ad conflictũ se præparante: tentãssent omnino quid grandius, nisi Nostrorum vnus interuentu suo atque auctoritate furias inhibuisset, ostendisséque verbis grauibus, quid, quóue in loco, (cœmeterium ibi erat) quibus periculis ageretur. Redierunt inde mox in gratiam mutuóque amplexus vterque, ipsis præsentibus, quos offenderant, confessionéque piaculari facta omnẽ etiam simultatis memoriam aboleuerunt. Subuentum necessitati domesticæ aureis ampliùs ducentis. Ad vtriusque templi ornatum accessère multa; pretiosum poculũ ex nuce Indicâ pro sacello: pro parœcia nostra calix; vestes quatuor aureo argenteóque filo rigentes; & altare S. Hedwigi, regni huius patronæ, consecratum.

COLLEGIVM POSNANIENSE.

VI. Mirum est, quanto solatio gratulationéque omnium litteræ R. P. N. Generalis, quibus Sodales B. V. in Societatem Romanorum adlegebantur, fuerint exceptæ: attulerunt nonnullis nouos

Digitized by Google

nouos quasi spiritus & pro virtutibus obtinẽdis conatus ingentes. Toto magni ieiunij tempore ex omni numero delecti alij atq; alij, qui hospitales domos obirent, stipe officijs, consilio iuuarent. Quatuor Xenodochijs epulum lautum cũ vestibus datũ, ministrantibus tam Nostris, quàm Sodalibus. Pascere & vestire pauperes, compluribus quotidianum est: adeò gẽtem hanc tangit conditio mortaliũ. Est inter hos Sodales, (vt exemplo vno alteróue rem declarẽ) vir memorabili sanè, & patiẽtiâ & charitate. Hic multo tẽpore potentis alicuius & factiosi ciuis conuicia passus nunquam reponebat: sed & in mercibus insignes aliquot illo ãgẽte fecerat iacturas; quas eo quidẽ tulerat animo, vt diceret, *ea se facilè pro Deiparæ amore remittere, pluráq; ferre paratũ esse:* pergebat ille alter molestus esse, donec permittẽte DEO domum, & magnã rei familiaris partẽ incendio amisit. Tecto miser carituras erat, nisi hic toties pessimè habitus occasiõnẽ misericordiæ & charitatis dilexisset. Inuitat ærumnosum domũ suã: vxori eius, quæ propediem partum editura erat, cubiculum egregiè instruit, gratulatus sibi quàm maximè, quòd inimico facere amicè diuinitus liceret. Ex misericordiæ Sodalitio opulentus quidam virtute & diuitijs mercator erat, vir consularis, suíque ordinis honestissimus. Tantus is pauperum fuit amator, vt decimam lucri partem quot annis in eorum vsum necessitatẽmque seponeret: vnde in funere ipsius nihil tam ad speciẽ lugubre apparuit, quàm facies pauperum luctúsq; egenorum, parẽtem cõmunem, lachrymis

Digitized by Google

mis cõmunibus prosequentium. Reliquit huic homini generi Xenodochium instructissimum, laudatúsq; pro cõcione à Nostro est, partim merito suo, partim quod ad hęc nobiliúmq; funera, gẽtis more, maximi fiant cõcursus, vnde fructus non negligendi reportantur. Sequuntur viros eâdem viâ magnis passibus adolescentes Parthenij, qui & ipsi in Quadragesimâ pauperibus octuaginta Confessione ad Eucharistiam comparatis, lautum ministrauerunt conuiuium. Toto eo Sacratissimo tempore meditationibus breuibus de CHRISTI Seruatoris cruciatibus quotidie in loco ad id comparato vacârunt.

VII. REVERENDISSIMVS Antistes minora eodem in genere nequaquã facit. Pauperes duodecim ad exemplũ magni illius Gregorij alit perpetuò. Adiungit extra ordinem subinde plures. Perfecit idem rem toti ciuitati perutilem. Edictum à Rege erat, ne Hæreticus inposterum vllus cuiuscunque factionis in iura ciuitatis acciperetur. Id iam ille promulgari, licet Hæretici viri nobiles ac potentes totis viribus contra niterẽtur, curauit. Et cũ Senatoribus regni aliquot negotiũ daretur, rem vt diligenter inspicerent atq; examinarent, ille tñ constantia sua animíq; contentione tantũ effecit, vti ratum haberetur edictum. Interim hæreticã pellem ampliùs septuaginta detraxim⁹; nec minùs amamur à nõnullis, quàm ipsi eorum Ministri. Femina perillustris, quanquã ipsa à nobis nondum stet, eo tamen est in rem Catholicã animo, vt Sacerdotem nostrũ cũocare nõ dubitarit, qui familiã vniuersã Sacramentis

Digitized by Google

mentis impertiret, gratiásque abeunti pro nauata operà ingentes egerit. Ad constituendam præterea pacem Hæreticus homo, cùm frustra Ministro suo sequestro, vtpote inepto, vsus esset, Nostratem adhibuit: res ex animi sententiâ euenit & pax constitit. Ad Iconoclastarum audaciam arguendam coercendámque hoc faciet. Quædam Lutheri erroribus imbuta, pagi alicuius domina templum Catholicis ereptum nefarijs polluerat sacris: id Nostros, qui tum in Missione versabantur, id omnes bonos acerbissimè habuit. Actum ergo est apud tribunalis Iudices per Episcopum, líque secundum Catholicos data, templum ex edicto receptum: tum verò furere sui impotens animal, doloréque in vindictam agi: ligneum mox CHRISTI patientis simulachrum arripit, catenâ ferreâ onerat, totóq; raptatum cubiculo ludibrium facit: ac ne quid summæ iniuriæ deesset, pœnitentiam malitiosè simulans, escam ori admouet, effigiémque ioculariter pascit. Hanc mulieris Isauricam impietatẽ statim excepit diuina vindicta, correptámq; ream continuo triduo ita exercuit, vt lõgiùs scelestum spiritum retinere non potuerit. Exædificatio cubiculorum aliquot Collegio huic pernecessaria fuit, quam iuuit Reuerend. florenis ter centum. Eleemosynam à varijs acceptam, ad summam redegi, reperíque bis mille, quadringentos, sexaginta aureos.

GALL-

Digitized by Google

CALISSIENSE ET LVBLINENSE COLLEGIA.

XIX. FVNESTVS iterum Caliſſio, ac planè fatalis fuit annus, quando ipſa adeò D. Ioannis Baptiſtæ dies orto ante ſextam pomeridianam incendio intra horas aliquot totam ciuitatem infauillam redegit. Perierunt duo templa primaria, vnum D. VIRGINI, alterum D. Nicolao dedicatum; perijt prætorium, & reliqua tàm publica, quàm priuata ædificia vniuerſa, pauculis quibuſdam circa mœnia, & ſuburbijs exceptis, tum etiam D. Staniſlai æde: quæ cùm olim ante duos ſcilicet & ſeptuaginta annos ſimul cum ciuitate flammis itidem perijſſet, neq; priſtinum adhuc ſplendorem recepiſſet, nunc licet illi periculum ex omnibus inſtaret partibus, ſingulari DEI beneficio mirabiliter intacta remanſit. De Collegio autem quid dicam? quanto in diſcrimine? quibus timoribus verſaretur? Videre erat flammarum globos vndique circumpetes; nunc per feneſtras in penetralia, nunc ſurſum in tecta ferri, ventis modò ipſis pro Collegio, mox contra illud pugnantibus. Iam locis aliquot in ſuprema parte ignem conceperant tigna; iam plena domus fumo caligabat: actum eſſe ab omnibus putabatur; & ſanè erat, niſi DEO propitio vnius è noſtris Adiutoribus ſingularis in defendendo induſtria occurriſſet. Is enim iam præſenti audacior factus periculo, licet alioqui grandi adeóque impedito corpore & multorum iam annorum,

rum, arreptis cum aquâ vtribus sensim reptãdo per medium fumosæ caliginis in sublime euasit. & incendiũ serpens repressit. Neq; reliquorum studia in tutandis alijs locis, adiuuãtibus præsertim Religiosis D. Francisci de obseruãtiâ, & nostris discipulis, desiderabantur. Inter ciues, qui extra muros omnibus suis bonis incẽdio absumptis profugerant, audiebantur voces illæ: *Vtinam vel D. Adalberti ædes salua! Vtinam collegio benè sit, et absq; damno!* vt nobis tantopere afflictis cõsolationi esse possit. Fuit, qui postquam Collegio flammas imminere intellexit, vltro se dedit in preces, & Coronã B. VIRGINIS pro ope VIRGINIS supliciter recitauit. Vnũ porrò erat Collegij nostri horologium, quod cùm singulos quadrantes & horas æris sono designaret, mirè totâ illâ nocte amicos nostros exhilarabat, quod inde colligerẽt, ædibus nostris bene esse. Ita præsenti malo inter tot miseros defuncti pœnè vni *Nostri*, meritò magnas diuinæ bonitati gratias egerunt, & cùm sequentibus diebus rerum omnium penuria ciuitatẽ ærumnosiorem redderet, pro viribus & facultatibus suis prouiderunt, vt cibo, potu, habitatione egentium inopia subleuaretur. Quanquam autẽ cõmunẽ toti ciuitati malum effugerunt Nostri, linguas tamen maleuolorũ effugere nequaquam potuerunt. Dum enim incendij huius auctor quæritur, culpa partim in ciuem aliquem de nobis optimè meritum, partim in discipulos nostros, eâ die bombardarũ explosionibus intra mœnia vsos, deriuatur. Quod vtrunq; licet falsò diceretur, in vulgus tamen prolatum,

maxi-

Digitized by Google

maximam illi ciui, maximam Societati iuxta, ac litterarum studiosis apud multos inuidiam conflauit. Sed abijt tandem in fumum non minùs quàm ipsa vrbs vanissimus iste rumor, Nostróſque priore iterum loco ac gratiâ apud ciues innocentia & multifariam testata industria, quâ omnium salutem promouere diu noctúq; contentissimè laborârunt, constituit.

IX. ET QVAMVIS Discipulos nostros atrox hoc incendium, quòd hospitia deessent, aliò migrare coëgerit, adeò vt circa studiorum instaurationem plures ducentis numerati non sint, fuit tamen in aliâ segete messis.

Instituti foris Sacerdotes, ne turmatim confitentibus, vt nonnulli absurdè consueuerant, aures darent, sed singulis sigillatim vacarent, Pessimi exempli cõsuetudo, quâ feminæ in ædibus Religiosorum virorum saccis indutę in publicas supplicationes viris permistæ prodibant, abrogata. Rudes mulierculæ formam baptismi, quâ tempore necessitatis vtebantur, meliùs edoctæ. Quanti ob hæc & similia negotia Societatem nostram faceret Illustris vir, Palatinus Syrodiensis, Koniecpolski, vltimo vitæ suæ testamento sic declarauit. Vocari iubet ad se duos filios natu maximos, quos præsentes graui primùm oratione ad Societatis amorem extimulat: tum verò conatus eorum, qui superioribus annis tantopere eam oppugnabant, illis audientibus improbat: tandémque auctor est, armis eandem, si quando vsus esset, defensum ire ne intermittant.

Digitized by Google

X. EXPEDITIONEM vltimam in cœlestem vsq; regionem tres Nostrorum susceperè; ex Collegio Callisiensi duo: P. Nicolaus Osniski, annorum vnius & quadraginta, qui lustratis Italiâ & Palæstinâ Sacerdos in Societatem receptus, sexennium ferè strenuam iuuãdis mortalibus operam dedit; & Andreas Mieskouiski, qui è tirocinio ad Philosophiam recens missus, longâque tabe confectus, pridie quàm moreretur, votis Scholasticorum, quæ ardentissimè expetierat, nuncupatis, cursum vitæ feliciter absoluit. Ex Lublinẽsi Magister vnus; Petrus Zarnoborski, iuuenis annorum viginti quatuor, quorum octo inter Religiosos religiosissimè exegit. Lublini scholis exædificandis area coëmpta, & sacellis duobus in templo exornandis aliquot aureorum millia ab illustribus viris deputata; excitata item à fundamentis porticus opere arcuato secundùm parietem ipsius templi.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

XI. COLLEGIO huic, quod nouem antè annis incendium vastauerat, suprema iam iterum manus est imposita. Ita squalore sitúque diligenter expurgati parietes sunt, vt acceptam aliquando cladem testetur nihil: illi sex millia aureorum ab illustri viro designata nuper: ab amicis aliis tẽplo sexcenti, si candelabra argentea ponderes. Domus item pauperum ex busto illo hoc etiam anno resurrexit; alitque iam triginta iuuenes, magnam

Digitized by Google

magnam partem liberalitate Illustriss. Principis Iaroslauiensis. E sociorum numero P. Melchior Diutius, quatuor vota Professus, duorum Collegiorum Rector, diuturno morbo ad alteram vitam peruenit, anno ætatis suæ sexagesimo: quàm Societati nomen dederat, quadragesimo. Reliquiæ Diuorum nonnullæ Româ in ædem nostram transmissæ eâ pompâ sunt exceptæ, quæ & tantis pignoribus digna, & toti vrbi fuit periucunda. Instituta hoc anno tertia hîc Sodalitas sub clientelâ Natæ VIRGINIS in ciuium solatium. Principiò statim ex honestioribus numerauit facilè centum. Excursionum fructus vt hinc æstimetur, Sacerdos vnus quingentis hominibus anteactæ vitæ culpas remisit. Quidam etsi Catholicus, in hæretico tamen oppido Magistrum ludi professus tantam vim veneni hauserat, in fide vt iam nutaret. Is stimulis conscientiæ, & nocturnis terroribus (vt ipsemet referebat) adactus, clam Hæreticis Nostros conuenit, Sacerdoti se ritu Catholico aperuit; ac ne ex eodem rursus poculo biberet, corrogatâ instructus pecuniâ in suam patriam transfugit.

LEOPOLIENSE COLLEGIVM.

XII. Ex OPERIS domesticis egregius obedientiæ & patientiæ studiosus Gaspar Wseborz vitâ suam clausit, annos natus quadraginta sex, quorũ alteram partem Societati laborauit. Nouo huic Collegio scholæ sub abitum anni proxi-

Digitized by Google

mi primùm assertæ, & iam quadringentis auditoribus celebratæ, magnam apud ciues gratiam conciliárunt, atq; inter alia hoc potissimùm cõmodi attulerũt, vt iam rebus nostris propiùs cognitis, meliùs multi de nobis sentire ac loqui dicerint. Vnus certè, cùm multis obnoxium iter Moschouiticum ingrederetur, locutus aliquando de nobis licentiùs, priusquam hinc discessisset, culpam istam expiaturus in publico grauissimorum virorum consessu, à Collegij Præside veniam demissè petijt; ratus impeditam fore salutem aduersámq; profectionem, non exonerato priùs animo alienâ iniuriâ grauato.

XIII. CATECHESIS in quatuor templis per vrbem docetur. Concionator noster in præcipuâ æde adeò suâ Societatisq; toto anno ciuibus probauit operâ, vt cum Illustriss. Archiepiscopo Senatus ipse Leopolienſis, expeditis ad Prouincias Præpositum tabellarijs, eius audiendi copiam lõgiorẽ sibi fieri postulauerint: & datus est dignitati petentium locus. Ad Sacellum nostrũ, quod in eâdem vrbis æde continetur (necdum enim Collegio additũ templũ est,) longè maior, quàm ad alia concursus. Quibusdam etiam non sine miraculi specie diuina clementia affulsit. Cuidam in Turciâ vi hostili abducto per visum sese DEI MATER ostendit, adhortata, vt si libertatis desiderio teneretur, Confessionem in votis haberet: habuit, & manu missus votũ mox exoluit. Femina, cùm leuem animũ superstitioni tradidisset, conspicata salutarem hostiam, sacrúmque calicẽ dum tolleretur in altũ à Sacerdote, nescio quibus

quibus tenebris obfuscari, colorē, profanæ mentis suæ similē, interpretata, resipuit. Alia grauissimis onerata sceleribus, perpetuam animi carnificinam patiebatur; ei die quadam obuius est Sathan, varijs formis spectabilis: & nunc quidem hiantibus faucibus deuorare infelicem aggrediebatur; aliàs arreptam manu appendicem trahebat, & ad inferos properabat. In his angustijs mulier ad arma sacra conuertitur, conceptóque emendationis proposito DEIPARAM suppetias rogat, & obtinet. Erat, qui datæ fidei immemor, admissa sæpius crimina iterabat: sensit hic per quietem molliter nutritam carnem duris verberibus à graui quodam sene castigari, his vso verbis: *Infelix! quando tandem te corriges?* Ludibrium hoc aut inane somnium non fuisse, vibices carni impressæ, relictúsque in eâ sensus doloris comprobârunt. Lethalis noxæ conscius alius ad lunam inopinatè ab ignoto arreptus, & in dolium aquâ plenum demersus non sine periculo, aliquantulâ temporis morâ retentus est: DEI tandem beneficio dimissus, ita cœcutiebat oculis caligine oppletis, vt nec lunæ splendorē sereno purgatóque cœlo agnosceret, nec mali auctorem deprehenderet. Ergo vbi se collegit, Crucis salutare signum vsurpauit, & lucem acutior aspexit. Collegio ab illustri feminâ dono data octo millia aureorum.

COLLEGIVM LVCEORIENSE.

Digitized by Google

XIV. QVEMADMODVM annus hic Collegio ita nouis etiam laboribus & fructibus initium felix dedit. In ipso scholarum exordio ab vno è Magistris ad frequentissimam coronam peroratum; plausum tulêre discipuli nostri in primo theatro: qui cùm plures quàm centum & quinquaginta nondum sint, accedunt tamen alij atq; alij quotidiè. Luceorienſis Wladica (sic suos Episcopos Russi nominant) hoc primùm tempore à Popis suis pompâ solemni, ad Græcorum morem, infulâ est insignitus. Qui quòd Nostris familiarissimè vtatur, pro dignitate cohonestandus, & syncharmate aliquo excipiendus videbatur. Inuitatus ergo ad Gymnasium, Popos suos, quotquot intra vel extra vrbem erant, ære campano vocari iubet: confluunt illi ad notam tesseram, præstóque adsunt Pontifici: qui illo mox comitatu stipatus, pedóq; Pontificio innixus, ædes nostras accessit, vbi & Romanis & Græcis numeris à iuuentute salutatus, disertè respondit, & post multas humanitatis beneuolentiæque significationes, largitione quoq; sat munificâ Nostros affecit. Illustrissimus verò huius Collegij parens ac conditor, continuis beneficijs pergit Societatem sibi obligare. Nam præter mille aureos, quos singulis annis impendit, posteaquam dotationis munus suscepit, sex millia rursus ad solidiorem Collegij confirmationem adiunxit. Templo crux argentea cum calice dono venit.

XV. INCOLÆ ciuitatis ex Catechesi, publicis priuatisq; Nostrorum congressibus in dies proficiunt

ficiunt. Vnus ex Nostris octoginta supra mille hominum conscientias Sacramento pœnitentiæ expiauit; vnde coniecturam quisque de alijs faciet. Hæretici aliquot superati: Schismatici sæpe erroris ad ruborem conuicti. Illustrissimus Dominus Georgius Dux de Zartorisko Schismaticum quendam Russum domi suæ habebat hospitantem, cum quo in has tandem delapsus est controuersias: *Vtrum Patriarchæ Constantinopolitani maior sit quàm Romani Pontificis potestas & auctoritas?* Deinde, *vtrum Romani & non Græci Schismati causſam dederint?* Prioris quæstionis partem aientem Schismaticus tuebatur, contrariũ Duce propugnante; alterius verò negantem mordicus tenebat Dux, Schismatico contrà probante. Post longam & irritam verborum altercationem, paciscitur cum aduersario Catholicus, vt si Schismaticus cum omnibus Popis suis veritatem suæ positionis auctoritate SS. Patrum stabiliret, victus ad Schisma transiret, & mulctã mille quingentorum aureorum exolueret; sin minùs, eãdem talionis lege Schismaticus ad Catholicos sese adiungeret. Placuit conditio, & dies quintus post Regalia, seu Epiphaniã Domini disputationi nominatur; & ne à contractu resilire alteruter posset, tabulæ vtriusque manu ac sigillo firmatæ conficiuntur. Itaque ex eo tẽpore Schismaticus damno & ignominiâ anxius, huc illuc discurſare, tabellarios missitare, vndique patronos & propugnatores thesium suarum conquirere. Quinquaginta milliaribus domo excurrerat, dum lassus tãdem vnum aliquem ceteris au-

Digitized by Google

daciorem, laudatissimis conditionibus propositis reperit, qui eum bono esse animo iubet, operámq; eo in negotio promittit. Interea Dux re Nostris commendata lætos agebat dies. Appetebat hora decretoria, aderat iam certamini Noster. Schismaticus verò tamdiu morabatur, donec per plateas à Præcone euocatus, diutius abesse non potuit. Percontabatur primò, num sint, qui disputaturos se profiterentur? Respondit Pater: *esse*. Iterum quærit: num facultatem super Fide disputandi haberet? Affirmauerat Pater, *habere*. Tum ille: suos vero Popos disputare non posse, quòd per Patriarcham Constantinopolitanum id illis nondum liceret.

Risu excepta fuit calua excusatio, & sibilis omnium præsentium explosi nugatores. Et cùm nec sequentibus quidem diebus ad certamen reuocari vnquam possent, publicis tabulis turpissima hæc Schismaticorum fuga Duce iubente est consignata, tantúmque Nostris apud omnes peperit auctoritatis, ac fidei, quantum ignominiæ attulit aduersarijs.

COLLEGIA SENDOMIRIENSE ET TORVNENSE INCHOATA.

XVI. SI præposterè in hominibus, non in DEO spem collegiorum Nostrorũ collocaremus, columna certè præcipua Collegij Sendomirienſis corruisset. Mortuus est enim Illustris Dñs Hieronymus Gostomski Palatinus Posnanienſis, & Præfectus militum huius vrbis, qui locum hunc cùm

cùm ædificijs ad vsum Societatis ornare, tum annuis dotare reditibus cœperat, maximâque ex parte perfecerat. Vir fuit, (vt memoremus ingratiarum actionem de virtutibus eius aliquid) rebus præclarè gestis in Repub. facilè princeps: ex furenti hæretico Nostrorum quondam operâ factus Catholicus tam serius, vt in oppugnandâ hæresi defendendáque contra Sectariorũ molitiones Orthodoxis primas vix vlli concesserit. Eius in Societatem beneficentia cùm semper, tũ verò maximè eluxit in perturbatissimo Regni Poloniæ statu annis proximis, quando Societati extremè periclitanti manum validam porrexit. Salutis suæ fuit studiosissimus: hoc eius creberrimæ cõfessiones, hoc accuratissimę ad celebriora festa animi præparationes, hoc munificentissimæ sacris locis hominibúsq; factæ largitiones testantur. Talis denique amicus sociorum, qui nec mortuus ab ijs abesse voluerit, voluntate hac suo filio in testamento relictâ, vt in templo nostro, quod Sendomoriæ nacti sumus, conderetur. Ex Nostris obierunt hîc etiam duo: P. Florianus Drozinoski ætatis anno quadragesimo secundo, post annos viginti in Societate cum magnâ patientiâ, quam in affectâ multo tempore valetudine declarauit, integerrimè exactos. Alter Michaël Hints Coadiutor, opificio faber murarius, in quo nulli secundus vtilissimam Collegio huic operam præstitit. Vir fuit magnę integritatis, demissionis, & obsequij: quinquagenarius ferè decessit, cùm triginta apud nos vixisset annos.

Caso-

Digitized by Google

Catechismus domi, pueris puellísque turmatim sub vexillo per forum quot diebus Dominicis ad ædem sacram procedentibus, & excursio Zamoiscium eos habuerunt fructus, quos Societas expectauit.

XVII. TORVNII multum quidem est zizaniorum, sed parum segetis, vitio non coloni, sed agri. Hæreticis scatent omnia: nihilominus tamen messum est copiosè, & in horreũ CHRISTI aliquot & viginti ex hæresi translati. Certè si nihil facerẽt hoc loco Nostri, quàm quod improbas sectas latiùs serpere non permittant, frustra non sint. Quærunt illi tentántq; vias omnes, quibus cœcis istis opitulentur: præsertim autem eorum familiaritatem aucupantur, qui litteris præsunt & Gymnasio: quòd hac ratione pereunti iuuentuti videatur posse succurri. Inuiserunt nuper domũ nostram nobiles duo adolescentes Germani huc studiorum caussâ à parẽtibus missi. Qui cum magnâ satisfactione abiturientes, vicissim Nostros quoque ad Gymnasium suum inuitauêre; paruerunt die sequenti: nouum id erat atque inauditum inter eos parietes videri Iesuitas. Professores itaque illi pro solemni suo calumnias statim contra Pontificem Romanum eiúsque fidem expedire; sed modestiâ hospitum humanitatéque ita paulatim placati sunt, vt ad suam eos Bibliothecam ornatam sanè (quod ne suis quidem omnibus faciunt) deduxerint. Ibi dum noster Sacerdos aduertit imagines Lutheri & Philippi, illísq; additas SS. Thomæ de Aquino, Dominici & Augustini, rogat,

Digitized by Google

gat, eccur deesset ibidem nostri quoque ordinis auctor B. Ignatius? Subijcit illorum præcipuus; *Nunquam enimuerò vllus hic depingetur Iesuita; ille præsertim, qui cum suis discipulis noster est hostis capitalis: cum Monachis*, inquit, *conuenit nobis* (vt lupis nimirum cum agnis) *non perinde cum Iesuitis.* Hoc effectum eâ visitatione, vt & cum Hæreticis Magistris aliqua contracta sit familiaritas, & adolescentes cicurati nonnihil, Nostros frequêtiùs accedere, déque Religionis negotio liberiùs audeant conferre. Nobile est vnius in reditu ab Hæresi exemplum: quem vt obfirmatiorem in errore redderet parens, huc ad litteras misit; venit ille casu aliquando in templum nostrum, vbi concione vnicâ permotus ita est, abdicato vt errore, confessionem ritu Catholico instituerit. Latebat id quidé Hæreticos Magistellos, solúmque compererant, bonum adolescentem Iesuitarum ædibus pedem aliquando intulisse, quam noxam capitalem iudicantes, virgis inclemèter puniuerunt. Quo supplicio tantùm abest, vt adolescens Romanam fidem semel conceptam periurus iterum deseruerit, vt etiam pro Natalitijs CHRISTI publicè Hæreticis ipsis inspectantibus Sacra nostra obierit, quamuis ob id factum secundas quoque pœnas plagosis orbilijs persoluere fuerit coactus.

XIIX. CONTRA Hæreticorum igitur improbas machinationes, & DEVS ipse manifestè pugnat, & Nostri non otiantur. Accidit non ita multos ante menses, vt dum Buccinator huius loci præcipuus, die Dominico manè ad concionem

nem egreditur, repentè in ipso domûs suæ limine tactus apoplexiâ corruerit, ac linguâ impiam, quâ DEVM, DEIPARAM Virginem, Diuósque omnes sugillârat, ore blasphemo exertans animam infelicem miserabiliter exhalârit. Qui ne incomitatus credo ad tribunal seueri Iudicis veniret, additus illi alter, vt hîc ad nos, & Ecclesiam Catholicam oppugnandam hostis acerrimus, ita ibi in sufferendo iudicio grauissimo socius perpetuus. Ex oppido vicino ciuis quidam ad Nostros expiationis caussâ adiens, eiuscemodi prodigio se territum affirmatè dixerat. Dum panem oppidanorum vnus scindit, sanguinem copiosum inde promanare cum horrore animaduertit: repetit sectionem aliquoties, & ad singulas porrò repetitiones cruor prorumpit. Eam rem, ne fraude fieret, & Magistratus illius oppidi examinauit, & ita, vt demonstrauimus, accidisse ex iuratis & oculatis testibus accepit. Porrò Nostri, quia vident ac sciunt nihil tam obiectum hoc loco blasphemis Caluinistarum Lutheranorúmque acerbis dentibus, atque venerandam CHRISTI in Eucharistiâ præsentiam, ideò augustissimi huius Sacramenti cultum ac venerationem studeant, quàm latissimè propagare. Introducta ad eum finem pia consuetudo est in Sodalitio Corporis CHRISTI (perantiquum illud hîc fuit, sed Hæreticorum conatu, vt alia Catholica, abolitum, & annos ante aliquot à Nostris restauratum) vt Sanctissimum hoc Mysterium ad infirmos honorificentissimè deferatur.

Digitized by Google

tur. Habet etiam congregatio ista in more, primâ quaq; mensis Dominicâ adesse supplicationi (quæ hoc tempore quadragenaria fuit, contra Moschos) in quâ sacra hostia cum cereis deducitur: quòd vt in his partibus nouum, ita Hæreticis perinuisum. Conueniunt præterea hi Sodales quot mensibus semel, vbi à nostro Sacerdote sermo haberi solet de ijs, quæ ad dicti Sacramenti venerationem magno omnibus esse possint incitamento. Ceterùm aduersarij non parum incommodarunt libelli quidam Germanico idiomate vulgati, qui fraudes Hæreticorum sub Lutheri pallio Caluinum introducentium illusæ adhuc plebi prodiderunt, vt iam & fallacias illas multi agnoscant, & de re Catholica melius sentiant.

XIX. IN MISSIONIBVS aliquot cum fœnore collocati labores; inde multorum salus, multorũ beneuolentia & gratia relata. Illustris. Dominus Matthias Pstrokonski Wladislauiensis Pontifex, eodem quo suam Diœcesin ingressus est die, febrire cœpit. Qui quòd Nostros in confinio negotiari audisset, ijs accersitis narrabat, sibi iam vnum aliquem è Nostris à P. Prouinciali concessum, cuius consilio & opera vteretur; interea præsentibus conscientiam suam magna animi demissione credidit. Vnctus per Nostrũ oleo sacro est: cúmq; ab Aulæ ipsius Præfecto media circiter ante mortem hora Patri innueretur, exesse vt omnes iuberet, moribũdus ad eum cum CHRISTI, quam manu tenebat, imagine conuersus: *maneant*, inquit, *ô Pater, & discant;*

Digitized by Google

discant, quomodo Christianus homo se DEO suo debeat offerre: tum deniq; circumstantes ad mundi contemptum adhortatus, piéq; omnibus precatus, mitram alij reliquit: cùm non nisi duobus mensibus eandem gestâsset. Vnum è Sanctis *illis* Patribus diceres, qui in pompâ senatoriâ *cum* suo CHRISTO nudus & pauper mori voluerit. Excursio Nostrorum ad eam Prussię partem susceptа, quæ Duci Brandeburgico Regis Poloniæ Fiduciario paret, non penitus inutilis fuit, quãuis totus ille tractus labe hæreticâ infectus vnicum nobilem Polonum patiatur, qui ægrè post multos tandem annos effecit, vt electo Lutherano Præcone, Catholicum in suo pago obtineret Sacerdotem. Bibliotheca domestica bene magno librorum numero aucta est, quos demortuus loci huius Parochus nobis legauit. Templi supellex noua trecentis florenis æstimatur.

SEDES GEDANENSIS ET CAMENECENSIS.

XX. GEDANI feruor Catholicorum in re Christianâ promouendâ nihilo remissior factus est ex eo, quòd à publico exercitio arceamur. Et quanquam templo careamus, nec præter sacellum domesticum (cui sua quoque hoc anno munuscula argentea piorum manibus oblata) habeamus, vbi diuina obeantur, non desunt tamẽ, & domi & foris occasiones rem pro dignitate Societatis administrandi: vix vno alteróue in loco (vbi quidem per hanc prouinciam Nostri degunt)

Digitized by Google

gunt) plures ab hæresi absoluti: eorũ enim amplius quadraginta fuêre: Pomeraniam versus nec non alias mũdi partes expeditiones susceptę frequentes. Neque ad Catholicos tantùm, sed & ad Hæreticos publicè dictum & doctum. Cùm enim bono casu alicubi Hæreticus Verbi minister, nescio quorum negotiorum caussâ, absens oues suas destituisset, in tẽplo operam gratis prę-stitit Noster, magnáque populi voluntate & consensu aliquoties Verbum DEI & doctrinam Catholicam promulgauit.

XXI. EX SEDE Camenecensi, cui ante biennium initium datum, Tartaricos fines & Turcicos (vbi rapto semper, propter continua bella viuitur) lustrauit Nostratium vnus, qui non paucas animas ex faucibus Tartari rapuit, & in ouile CHRISTI deportauit. Iudæus & Turca baptizati domi: Schismatici aliquot correcti: erroribus frequentissimis, qui in matrimonio hîc loci, Græcorum more committuntur, viâ opportunâ occursum. Laboratur interim, à nobilibus strenuè pro Collegio nobis erigendo: census eum in finem iam aureos facit mille: domus item lapidea quinque millibus ferè per Reuerend. Camenecensem Ioannem Andream Prochnicki coëmpta est nostris vsibus accommodanda.

MISSIO AVLICA.

XXII. EX AVLA terreni in cœlestis Regis aulam per mortem euocati sunt Patres duo: Confessarius scilicet Regis & Reginæ. Huius erat P. Georgius Fredlerus domo Prutenus, qui prius multo tẽpore verba ad Germanos facere consue-

Digitized by Google

uerat: vixit annos quadraginta sex, viginti nobiscum. Illi, Regi, inquã, pro cõscientiã fuit P. Fridericus Barscius indidem oriũdus, quatuor professus vota, vir raræ & virtutis & eruditionis; cuius gratiosi mores Hæreticos etiam mirificè capiebant. Adeò Societati, tam in alijs, quàm in regendi muneribus satisfecerat, vt in vicẽ Prouincialis Poloniæ fuerit designatus. Nouẽ prope annos in aulâ exegerat, cùm hoc ipso año Serenissimum Regem Moschouiticam expeditionem promouentem Vilnam primùm prosecutus, inde Moschouiæ fines ingressus militẽ Germanũ, quà corpora, quà animos, tam sedulò curauit, eiusdẽ vt cõtagione, quod putatur, infect⁹, in castris fortiter, magno totius exercitûs dolore occubuerit, sexaginta vniuersim, in Societate triginta septẽ annis exactis. Eius corpus iussu Regis Smolensko Vilnã, (quæ vrbs nonaginta milliaribus Polonicis abest,) delatum, & in templo nostro, vt supra demonstrauimus, est cõditum. Cum his viris pariter interijt rerum in hac expeditione gestarum memoria, vt præter vnũ Caluini Ministrum, publicè Catholicum se profitentem, & nobilem iuuenem Anabaptistã sacro fonte ablutum, non restet, quod litteris mãdetur: id tamen addendum pro coronide est, q⁹ ad gratias diuinæ bonitati imortaliter agendas nos meritò extimulet; eum scilicet in hoc regno Societatis statum hodie esse, vt ab omnibus ordinibus & ametur, & ab ijsdem contra Hæreticos (quod in nuperis primùm Comitijs factum) potentissimè defendatur.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA LITHVANIA.

Lithuaniam excoluerunt Socij ducenti quinque. Additi ad Ordinem viginti quinque: exempti à morte quatuor.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Warſſauiæ in Domo Profeſsâ.	XII.	IIX.			IV.
In Collegio Vilnenſi.	LX.	XVII.	VI.	XXIV.	XIII.
In Domo Profeſsâ ibidem.	IX.	III.			VI.
In Tirocinio ibidem.	XLVI.	V.		XXVII.	XIV.
In Collegio Brunsbergenſi.	XXXI.	XIV.	III.	IIX.	VI.
In Pultouienſi.	XXIX.	XI.	V.	VII.	VI.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
In Nieſſuienſi.	XXXV.	XX.	III.	V.	VII.
In Polocenſi.	XXVII.	IIX.	III.	IIX.	IIX.
In Rigenſi.	XIII.	VII.	I.		V.
In Derparenſi.	V.	II.			III.
In Caſtris regijs.		IV.			
In Miſsione Samogitianâ.	IV.	II.			II.

Digitized by Google

Ad Romanam Ecclesiam Hæretici, & præcipuè Schismatici redierunt ducenti quinquaginta tres.

Sibi mutuò acerbè infensi charitatem renouârunt quadraginta duo.

Iniquè parti aurei restituti ijs, ad quos pertinebant, trecenti.

Vniuersæ vitæ exomologesin apud nos fecerunt mille quadringenti quadraginta sex.

Turpes corporis illecebras damnauerunt viginti sex.

A cæde aut morte voluntariâ retracti octo.

B. Ignatij exercitijs meliores facti septendecim.

Agni DEI virtute defensi quinque.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA VARSSAVIENSIS.

F.

NON OBSCVRE DIVINVS FAuor rem Societatis in Transyluaniâ prosequi videtur. Experti enim sũt Patres Professi tãtam Procerum ac Magistratuũ ad Comitia Regni Varsſauiana confluentium amicæ propensionis voluntatẽ, vt non mediocriter sibi à procellosâ illâ Rokossianorum factione Societati infestissimâ visi sint respirâsse. Antistite autem Posnaniensi (vt hic solùm nominetur) cùm aliàs semper, tum verò maximè per vniuersum comitiorum tempus vsi sunt & familiarissimo & propensissimo. Ille nouis ædibus struendis solemni cæremoniâ, congratulantibus omnibus bonis, primum posuit lapidem. Fauebat operi DEVS ipse inprimis, qui diem illum ex tot nimbosis & ventosis serenum esse iusserat: tum verò Sereniſſimus etiam Rex, qui paratum se declarauit, suppeditare, quidquid arcendis (si fortè ingruerent) pluuiis cæremoniam adiu-

Digitized by Google

adiuuaret. Eadem die ac sequentibus, grande multi Societatis nostræ studiosissimi promouendæ fabricæ æs contulêre, quando & iactor lapidis lautissimum plerísque Regni Antistitibus ac Proceribus domi nostræ præbuit conuiuium. Filius magni illius Patroni nostri, Palatini Posnanienſis, nuper defuncti (cuius in Collegia pleráq; & domos vtriusque tam Polonæ, quàm Lithuanæ Prouinciæ extant beneficia luculenta) paternæ virtutis æmulus, domui huic in annos singulos concessas ab optimo parente largitiones non æquauit modò, verùm etiam superauit. Itaque donationibus & beneficentiâ amicorum iuuatur tam domus, quàm templum. Iubilæum Regno Poloniæ in his bellorum tumultibus concessum, magno Nostris in curandis animis adiumento fuit. Hæresin & Schisma præcipuè abiurarunt nonnulli. Inter hos nobilis quidam vir prolixo itinere, Varsauiam eo venerat consilio, vt fidem Romanam profiteretur. Hanc bonam mentem ipsi iniecit tam Catechismus P. Canisij diligenter euolutus, quàm Conciones feruore plenæ Archiepiscopi Carnskouij. Scythæ quoque vnius mira fuit, & ad dogmata nostra amplectenda cupido, & in ijs tenendis, postquam baptizatus est, constantia. Ad mulierem quandam Cacodœmon nocte intempestâ hominem mentitus ventitabat, vnâ aurium præcisâ deformis, & picem, vtpote ex sulphure tartareo recens aduena grauiter olens. Audet postulare, quod etiam cogitare nefas:

Digitized by Google

quem tamen mox, negato consensu, & cùm truculentior adeóq; apertior instaret, Cruce frõti impressâ, abegit femina. Sed redit sollicitator improbissimus profundæ noctis silentio, adiunctóque sibi riuali socio fidibus ludos & blanditias facit puellæ. Quærit illa conditionem genus, domum? Respondent Proci stygij, domum sibi habitari vastis in campis desertam & solitariam. Notauit illico mulier præstigias, armísque S. Crucis iteratò expeditis, veluti tonitru quodam Cacodœmones in fugam coniecit, institutáque apud Nostros peccatorum Confessione, nunquam dehinc tenebriones illos conspexit.

COLLEGIVM, DOMVS PROFESSA ET TIROCINIVM Vilnense.

II. PRIVS vt ordo fert, de priore. Ad superos transmisit Collegium Vilnense ex socijs duos. P. Georgium Wonderau Prutenum, annos natum quinquaginta quinque, quorum triginta in Societate posuit, quatuor vota professus. Rexit aliquoties, tam Veteranos, quàm Tirones tantâ modestiâ & lenitate, vt non modò nullam vnquam in verbo præse, sed ne in vultu quidem ferret acerbitatem. Cùm die Purificatæ VIRGINI sacrâ è templo redijsset, se quoque canticum illud cygneum Simeonis breui occèturum apertè prænunciauit, quarto videlicet pòst die mortali compage solutus. P. Abrahamus Martianus

tianus eandem viam iniit: Lithuanus is erat, patre Hæreticorum Ministro, velut de spinis rosa prognata, annorum quinquaginta, cum triginta ferè Religioni dedicâsset. Delicias suas putabat occupari assiduè in sacro tribunali; pallio attrito vestéque malè sartâ tegi, cibo raro, eóque præparco vti; abstinere vino, duro cubare strato; magnam noctis partem orationi impendere. Quarè cùm etiam supremum diem totum pœnè orationi (quæ pro negotijs Regni in templo nostro tunc agitabātur) tribuisset, & SS. Eucharistiam pro more expositam in sacrarium retulisset, paralysi tactus, tres reliquas vitæ horas in piâ præparatione ad mortem & Sacramentorum perceptione consumpsit. Parentatum est præterea in hoc eodē Collegio duobus illis Patribus, de quibus in superiore Prouincià Missione aulicâ meminimus. Et iusta quidem P. Friderico solemnioribus cæremonijs, quàm Nostrorum fert mos, sunt peracta: id quod desiderio pijssimorum Principum saluis beneuolentiæ officijs negari non potuit. Vnde & à Regia Musica sacrum funebre eidem decantatum, & concio habita, & Regina cum Principe filio multiq; Proceres se præsentes exhibuerunt. Quo eodem die cum Regina pro suâ partim pietate, partim aduersus nos humanitate Collegium inuisendo ad culinam quoque deuenisset, à coco (vt suam siue animi demissionem exerceret, siue pietatē) ientandi gratiâ iusculum popoſcit, & oblatum, vnà cum nostrate pone ibidem pedibus consistens alacriter exhausit, sibíq; è Sociorū prandio

Digitized by Google

ferculà in arcem deportari curauit, quarum loco ad Collegium vicissim è suis ipsa cibis partem remisit. Eadem Regis est benevolentia, & humanitas, què cum regio comitatu Lithuaniam ingressum sub arcu triumphali iuuentus nostra consalutauit: eadem filij quoq; Wladislai, cui Drama in Aula Academica salutem dixit: quod & Nuncio Apostolico paucis pòst diebus exhibitum displicuisse visum non est.

III. QVANTVM hìc loci floreat hortus DEIPARÆ, Sodalitatis, inquam, Partheniæ cœtus, vel ex hoc conieceris, quòd vndetriginta flosculi in Religionum viridaria inde fuerint translati. Huius verò Sodalitij quoddam quasi membrum est illud aliud, quod hoc ipso anno Alumni Pontificij intra domesticos parietes erexère. Admiserunt Nostri ad fidei Catholicæ professionem viginti septem. Dæmon malus corpus sibi cuiusdam hospitium fecerat, ex quo vltro citróque ad libitum in muris specie commeabat. Qui cùm Scytham quendam, cuius præstigijs eliminari posse frustra credebatur, aduentantem sentiret, magno tripudio Tympanistarum instar in corpore afflictati hominis exultabat, Tympanorum sonitum, quem etiam circumstantes percipérent, non inscitè æmulatus. Nostrorum tandem suasu pœnitentiæ simul & Eucharistiæ munitus armis, aliquanto post tempore importunum hospitem fugauit, vel certè tumultuantem intra se compescuit tantisper, quoad miser in pristinum ebrietatis, atque intemperantiæ cœnum relapsus, ianuam

Digitized by Google

nuam iterum aperuit antiquo possessori. Quem repetitis denique Sacramentis, assumpto DEI Agno, & aquæ lustralis haustu, nunquam deinde reducem exire coëgit. Eiusmodi sacra amuleta feminam quandam rusticanam à nocturnis similium præstigiatorum illusionibus liberam fecêre. Aliam malignus suasor ad laqueum sibi parandum induxerat: hunc illa iterum atque iterum collo suo circumdare nitebatur; dum sensibus quasi introrsum fugientibus, animæ obtutu virum quendam ætate venerandum conspicata, à temerario ausu manus cohibuit: contraria hic omnia suadere; vim à se prohiberet, Sacerdotem adiret, & quantocyus pestiferam illam animo conceptam eluuiem egereret.

Ita non rarò animæ priùs quæsita salus corpori quoque conciliauit sanitatem. Id quod & in Vilnensis Diœcesis lustratione, in qua Sacerdos noster Archidiacono socius ibat, animaduersum aliquoties est. Fuit, qui ex Euangelicæ historiæ recitatâ periodo ægrotare fine alio medicamento desineret. Fuit, quem guttula ex oleo D. Nicolai hausta ad vires pristinas reuocaret. Nobilem quandam puellam diutinis conflictatam doloribus spes recuperandarum viriũ Vilnam attraxerat; maleficijs malũ posse fugari rata, grandem iam in maleficas & præstigiatores pecuniæ vim erogarat, pestem etiam vestibus adhærescere persuasa credula mulier, & ipsas suo corpori detraxerat: sed incassum cassa antidota cecidêre: debebatur enim ea gratia

piacu-

piacularibus Mysterijs Christianorum, & sacro D. Nicolai liquori.

IV. EX TIROCINIO ad ferias Anastaseos duo Sacerdotes in varia loca dimissi de totâ vitâ iudicârunt trecentos quadraginta; sacro Baptismatis fonte tinxerunt triginta septem: Christianis matrimonijs adstiterunt quinquaginta: Catholicos ex Hæreticis fecerunt septem, & in his Prædicantis filium. Veneficia & cultus Dæmonum sustulerunt in locis septendecim. Arbor alicubi Numinis instar colebatur à stultâ plebeculâ adeò vt eam cædere auderet nemo, quòd certâ se experientiâ edoctos dicerent, duobus tribúsue temerarijs eandem violare ausis, manum cõtractam illicò obriguisse. Agressus ergo ipsemet Sacerdos noster ligneum DEVM succidit, igníq; concremandum subiecit. Et sanè turbo ingens, dum cremaretur exortus, non parum credulos spectatores mouebat, dum in fauillam tandem redactus truncus metu illos omni & periculoso errore liberauit. Vt quæ sit Tironum domi quoque virtus ac constantia cognoscatur, vnius cum fratre germano dialogum dabo. Ad eius siue tẽtandam, siue labefactandam fortitudinem accesserat è famulatu regio cum multa ambitione, & sodalitio germanus frater: is veste detritâ cõtectum sanguinem suum conspicatus, obstupuit primò: tum lachrymis perfusus exclamat: quis tibi, amabo, tam luridam iniecit lacernam frater mi? Paupertas sancta, subiungit Tiro. Non fe-ram, inquit ille, vt aulæ natus tam obscurus & abiectus hîc latites: Regiæ iam commendatus,

ab

ab obsequijs regio Principi futurus es: cui adolescens: quis verò prudẽs cœlestis Regis designatus obsequijs ad terreni Principis famulatum se dimittat? Substitit ad hæc alter & cùm nihil quod reponeret inueniret, manu blãdè prehensum seuocat in partem, & pro fraterna sua, vt aiebat, pietate seriò monet, videat etiam atque etiã, ne incautus pedẽ eò inferat, vnde illũ salua existimatione referre non possit. Addidit; teneræ eius ætatem tantæ moli imparẽ esse; corpus seuerioris disciplinæ insuetum, & multa huiusmodi: postremò aulæ delicias repetit, pronum illud ad honores & diuitias iter esse ostendit, licentioris vitæ dulcedinem commemorat. Vbi hæc & similia à Tirone CHRISTI magno animo rideri, & verba sua in ventum ire vidit, tum dein respexit ipse se & illachrymans ac multa ei precatus felicia discessit.

V. AD REI domesticæ prouentum Collegij huius, beneficentiâ vnius Vilnensis Antistitis non mediocris accessio facta. Prædium ille quinque millium florenorum precio coëmptum perpetuo iuri nostro addixit. Alîus cuiusdam prædij domuncula incendio fortuito cõflagrârat: cùmque cetera omnia, atque adeó lapis sacer, qui inibi seruabatur in cineres fuisset redactus, lipsanotheca tamen ab igne omnino imũnis, quod prodigio simile visum, remansit. Sereniss. Poloniæ Rex cum Regina, & filio Sacris in angusto sacello Patrum Professorum interesse non dedignatus, templum ipsum D. Casimiri, ad culmen iam properans, gradibus ad id paratis conscendit, omniâ-

Digitized by Google

omniáque quàm diligentissimè perlustrauit. Eleemosynæ ad sacrum hoc ædificium collatæ quinq; millia aureorum facilè excedunt. Exercitui regio in Lithuaniâ Generalis Præfectus, licet continuis bellis à multis iam annis contra Carolum Sueciæ Tyrannum gerendis non parum fatigatus, pro suâ tamen in D. Casimirum pietate, in subsequentes septem annos ducentos florenos annuos Nostris obtulit, tabulísque cõfirmauit. Supellex vtraque, sacra & profana supra sexcentos hoc anno aureos accepit. *Reddet omnia omnibus, qui dives est in omnes* DEVS.

COLLEGIA BRVNSBERGENSE ET PVLTOVIENSE.

VI. VIXIT è Socijs Ioannes Maselkowic natione Lithuanus, quinquagenario maior, domesticorũ operum diuturnus in Collegio Brunsbergensi, & approbatus Adiutor. Ciuibus cùm alijs, tum præsertim eo nomine charus, quòd fidam eis operam præstiterit vnà cum Sacerdote nostro, moribundis iuuandis tempore pestis expositus. Paucorum dierum morbo multa dedit religiosi animi documenta. Sphærulis precatorijs alternatim cum Sociorum vno ferè ad extremum vsque spiritum decurrendis VIRGINIS MATRIS fauorem studuit sibi colligere. Meruit & alius gratam memoriam, qui tametsi socius noster professione non fuerit, fuit tamen meritis, quibus frui singulari concessu ac priuilegio permittebatur. Erat is D. Fride-

ricus

Digitized by Google

ricus Berent, virtute, genere, eruditione nobilis: qui cùm aliquot annos videndi vsu destitutus fuisset, Reseliâ, vbi prætoris munere fungebatur, Brunsbergam se contulit, DEO salutique suæ commodiùs vacatum.

Cùm verò in Collegio habitationem impetrare non posset, nostrum nihilominus templum, filiolo duce, quotidianus inuisit. Moriens legauit nobis aureos bis mille. Augustiore thesauro ditata est ædes, sacris nimirum ossibus S. Marcelli Martyris Romani, ex vrbe allatis. Scholæ Superiores perpetuo iam Professore rerum de Fide controuersarum sunt florentiores. Nec possum omittere, quin hic vnum etiam atque alterum exemplum recensеam eorum, qui ex discipulis nostris gratum in nos animum pro accepto virtutis & eruditionis beneficio declarauerunt. In comitijs prouincialibus quatuor, aut quinq; ex primoribus Catholicis, qui sub nostrâ disciplinâ bonas olim cum religione litteras hauserunt, tam acriter pro fide Catholicâ, próque Nostris defendendis, quos Torunio ac Dantisco, præcipuis totius Prussiæ ciuitatibus, arcebant Hæretici, decertârunt, vt illorum vnus nudato gladio aduersarijs minitabundus protestaretur, *sanguinem prius pro fide, fideique propugnatoribus fusurum sese, quàm, minimam inferri ipsis iniuriam passurum.* Similem memoris animi significationem experti sunt Nostri, cũ hàc peditatus, Duce insigni in Brunsbergẽsibus scholis quondã educato, ad regiũ exercitũ tenderet, qui curauit, vt ne miles colonos

nostros

Digitized by Google

noſtros, ac ciues oneraret ſpoliarétve. Non inhumanior, aut ingratior fuit ſigniferorum vnus nobilis Scotus, noſtri quoque Gymnaſij *Alumnus*, qui in contubernio pauperum & Sodalitio Parthenio ſui memoriam longam benefaciendo fecit, Sodalium precibus quàm diligentiſſimè ſe commendans; victoriæ primam partem ratus, placato DEO in militiam proficiſci. Tales Brunsberga habuit litterarũ ſtudioſos, ciues verò nec religionis, nec virtutis ſtudio minùs incenſos. Octingenti circiter ſunt viſi ſolemnioribus B. VIRGINIS diebus cœleſtes epulas expiatis animis obire. Et quemadmodum Olyſſipone hoc anno Chirurgi, ita & Brunſbergę de Bacchanalibus medicus quidam vulnerarius cõqueri auditus eſt: *Hui,* (inquiebat,) *nihil adeò nobis lucelli hiſce diebus infortunatis accedit! nunquam aliàs tam pacata, tam quieta & triſtia Hilaria: vix vllus temulentus conſpicitur: nemo litigat, nihil tumultuatur, nulla vſquam hiant vulnera!*

VII. PVLTOVIÆ eadem eodem tempore modeſtia, idem prudentium virorum de illis quoqs ciuibus iudicium. Vir nobilis & Magiſtratu conſpicuus, non ita multò antè huic vrbi Præfectus ab Illuſtriſſimo datus, hoc primùm anno Pultouienſes ſuos tali vacantes pietati animaduertẽs, ita commotus ſpectaculo eſt, vt quamuis antea nihil minus cogitaret, exomologeſin extemporalem inſtituerit, ſacram ſynaxin religioſiſſimè obierit, hoc elogium adiecerit: *Neque ſemetipſum vnquam tam piè Quadrageſimæ dies, vt hos Bacchanaliorum egiſſe, neque aliquando vſpiam ab aliis eoſdem*

dem sanctiùs actas conspexisse. Viginti quatuor degeneres filij cum matre Ecclesiâ iniuerunt gratiam operâ Patrum Brunsbergensium; Pultouiensium verò nouem. Enituit ex posteriore numero singularis virtus, & cordatũ insigniter pectus vnius: equestris is erat ordinis, & à teneris in Hæreticorum Gymnasijs institutus iudicio præclaro, & ingenio magno iuuenis. Non ignorabat ille offendendum fore haud leuiter patruũ hæreticum hominem potẽtem, & regijs aliquot auctum præfecturis. Adeò nihilominus animũ veritatis lumine collustratum fortiter obfirmauerat, offensum vt potiùs hominẽ, quam DEVM vellet. Quare non solùm non cessit varijs & acribus patrui oppugnationibus, sed superior eo in certamine cùm euasisset, Matri, (quæ & ipsa hæresin iam diu imbiberat largiùs) sobrietatis auctor & salutis extitit. A contemptu Excommunicationis seu proscriptionis Ecclesiasticæ, quâ hîc crebrò in commeritos animaduertitur, complures abducti, salutem suam cordi habuerunt. Lis gemina transacta felicissimè: vna cum viro nobili, qui Nostris vndecim ferè annos negotium facessebat perimportunum: altera Scholasticos nostros in ciues armabat, quòd ob nescio quas, & à quibus excitatas turbas quidã veluti auctores innocenter in carcerẽ fuissent abrepti. Ea demum est Antistitis ipsius vniuersæque vrbis in Societatem propensio & beneficentia, vt nihil, quod ad necessitatem requirit, ei deesse patiantur. Eleemosynæ (excepto quod templo cessit) sesquimille aureos prope confe-

Digitized by Google

cerunt. Excursores suos tum Brunsbergæ, tum Pultouia habuit, qui varia loca perlustrando, oues & pastores in pascua reduxerunt. Tam grati vbique, vt & Allestenium (ciuitas ea est ad Allam fluuium) litteris ad superiorem datis reperterentur, & Tozà vrbe regiâ, interque Moschouianas primariâ non dimitterentur; vbi tres iam degunt Sacerdotes, ordinarij in summâ ædæ adhuc oratores.

COLLEGIVM NIESVIENSE.

IIX. AVCTVM hoc collegium est vt numero operariorum, ita etiam fructu laborum: accesserũt enim antiquis inquilinis anno superiore Patres, de quibus tertij anni experimenta Societas sumere consueuit; quamuis vnus desideratus sit, P. Franciscus Sucholewski, qui missus ad remotiores quosdam vicos, dum vicanorum salutem impensiùs quærit, vitam propriã amittit: annos natus quadraginta septem, septedecim in castris Societatis versatus. Pauperum studiosorum habitatio imperfecta ob pecuniæ penuriam, hoc demum anno ad fastigium liberalitate optimi ciuis est perducta.

IX. SCHISMATICORVM (quibuscum hîc multa lis & victoria) tam domi, quàm foris cũ summo CHRISTI in terris capite consensêre octuaginta nouem, Hæreticorum sex. Inter hos Illustris quidam & magnus vir, ex Ducum Russiæ familiâ oriundus cùm Caluino valedixisset, illius etiam

Digitized by Google

etiam pestis Ministros & Præcones omnibus suæ potestati subiectis oppidis & pagis iussit excedere. Cuidam nulla quies in templo; alij ne in lecto quidem concessa, dum Catholicis aggregaretur. Pulsari enim sese de nocte à graui quodam viro persentiebat, donec meliora & animo proposuisset, & facto præstitisset*.

Porrò aliquot confitentium millia in Missionibus audita; quingenti eorum, qui nunquam totâ vitâ fœdissimum conscientiæ suæ stabulum expurgauerunt*. Atque vt extra vrbem in pagis & oppidis maneamus, diuinationes, intemperantia, vsuræ, inimicitiæ, publicè, priuatim reprehensæ, optimos in animis auditorum reliquerunt affectus & effectus. Duo antiquæ familiæ nobiles, quorum simultas offendiculo multis fuerat, antequam templo egrederentur, sibi mutuò ad genua accedentes, complexúque amico charitatem renouantes, spectatoribus lachrymas tam pio & Christiano facto elicuerunt. Intellectû vno in loco multos errores cõmitti, illicitaq; & occulta celebrari matrimonia ex legis ignoratione: curârunt ergo Nostri ibidem ab eo, cuia interest, Tridentini Concilij Canonas super eâ re iteratò promulgari, ex quâ promulgatione plurimi magnum solatium percipere, & lætitiæ festæ plausum edere sunt visi.

X. SVPERSTITIONES apud vulgus altas his in partibus egerant radices, siue maiorũ suorum, à quibus difficulter se patiũtur auelli, malitiâ; siue Poporũ, qui Sacerdotũ vice funguntur, inueterata negligẽtiâ: his remedia à Nostris adhiberi cœpta.

Digitized by Google

Morem habent antiquitus traditum, vt certis quibusdam anni temporibus fercula nonnulla apparent, ijsdémque delibandis defunctorum animas, rati eas humanis adhuc alimentis refici, accersant. Tum deinde vnam in lancem, aut ollam aliquas partes seponunt, eásque in loco domûs secretiore collocant. Vbi verò ipsi cibis ijsdem vtpote lautioribus solito sunt pasti, animas etiam famem iam esitando, depulisse credentes, scopis aut mundo aliquo strophiolo easdem domo euerrunt, iubéntque exesse, atque in locum suum, vnde venerant, redire.

Aliam non minus stultam mordicus obseruant consuetudinem, vt sub Natalitia CHRISTI vnâ in domo pagi, vel oppidi conueniant, eúmque conuentum spatio duarum aut trium hebdomadarum frequentent, quos omnes dies idiomate suo vocatos volunt *sacra vespertina tempora*; eò quòd illa celebritas vesperi soleat haberi. His præterea temporibus nulli operi manum admouere, ita religiosum habetur, vt vel ligna pro foco secare, nisi interdiu, nefas censeatur. Congregatis itaque omnibus vtriusque sexûs hominibus vespertino crepusculo, tum demum omni petulantiæ modum nullum ponunt: tempus ad mediam noctem; & vltra lasciuis sibi inuicem ænigmatibus proponendis, & non solùm anilibus, sed etiam inhonestis fabulis referendis fallunt. Itum obuiam à Nostro his nugamentis, & licet repetè eorum abusus penitus tolli non potuerit, potuit tamē multùm labefactari; adlaborante Nostro, vt in his conuentibus sordidarum fabu-

Digitized by Google

fabularū loco honestæ quæstiones, historiæ sacræ, & moribus corrigendis aptæ proponerētur. Hāc Nostrorum industriā tantùm foris effectū, vt diuersi eos ad se inuitarent, alij ægrè abs se dimitterent. Fuerunt qui dicerent, cùm Nostros peregrè venientes pedibus iter conficere viderent: *Aliud sanè loquitur res, aliud rumor. Persuasum nobis erat, magnificis Iesuitas assuetos curribus, equorumq; ministerio in itineribus decurrendis vti semper consuêsse: sed oculi profectò nostri longè iam vident alios: pedites; nullo viatico instructos; magnis incommodis fatigatos; vni animarum lucro acerrimè intentos.*

COLLEGIVM POLOCENSE.

XI. QVÆ in proximo Nieswisiensi Collegio de superstitionibus abolitis, matrimonijs correctis, Schismaticis ad concordiam sollicitatis dicta sunt, eadem ferè in hoc quoque intelligi debent, cùm circa hæc maximè Nostrorum cura vigilauerit. Obdormiuit vnus, isque P. Albertus Przewodziszewski gente Polonus, sexagenarius: septem & triginta annos, quos in Societate transegit, tanti fecit, vt singula tēpora, quibus ante ingressum Religionis vocem DEI vocātis, vel audire neglexit, vel sequi distulit, litteris, post mortem suam dein repertis, adnotārit. Quæ cùm prolixè beneficium vocationis complecterentur, tum verò illud ipsemet extremis horis singulari cū solario agnouisse potissimùm

Digitized by Google

visus est; quòd has in morbo voces identidem reuocaret: *Gloria, laus et honor DEO præpotẽti. etc.*

XII. IN TANTA Parochorum hisce partibus raritate Nostris salutari baptismatis fonte perfundendi munus apud Catholicos perpetuũ est: quin & matrimonia eandem ob caussam non rarò foris faciunt. Congregatio civica, sub titulo Assumptæ in cœlum VIRGINIS nouiter erecta, auspicatò procedit; nec segniùs res Parthenia curatur à studiosorum partibus: quibus cùm nobilis adolescẽs sæpius adlegi in postulatis haberet, nec tamẽ obtineret, quòd P. Rector eum palàm Catholicũ agere posse parente Arriano negaret, nullo conscio, frequẽti populo, ad sumam aram pane cœlesti reficiendus accessit, quo declararet, nihil porrò obstare, quo minùs publicum etiam matris cliẽtem proficeretur, qui se filij iam fuisset professus. Frater huius natu minor, duodecim circiter annorum adolescentulus, sanctâ quadam æmulatione incensus, voluit germano suo virtute ac religione esse æqualis, qui ætate non erat. Dudum quidem non leuibus indicijs congenitas eum sordes eluisse deprehenderat, sed tenerior fuit parentis, quam fratris amor & affectus, donec potentior quædam ac diuinior vis ita occuparet non malitiosum animũ, vt Arriano suo parente nequicquam reclamante vndâ lustricam & expetierit & obtinuerit. Adhibitus fuerat mẽsæ nostræ vir nobilis, genus à Ducibus Russiæ, sed Religionẽ à Caluino trahẽs, quodq; D. Magdalenæ feriæ tum agerẽtur, eius vita prælegebatur. Sensit ille ex eâ lectione tantos animæ stimu-

ſtimulos, vt pane lachrymarũ veſceretur, hocq; vnum in digreſſu expeteret, ſibi vt noſtris precibus vera fidei lux affulgeret. Ad finẽs Moſchouiæ hoc primũ anno expetiti ſunt Noſtri: occaſionẽ dedit Præfectus loci & rei Chriſtianæ ſtudioſiſſimus, & ordini noſtro amiciſſimus. Quoniam verò indigenæ Græcanicos ritus & Eccleſiã pleriq; omnes ſequuntur, in vinculo vnionis cõfirmando maximè deſudatũ eſt. Popus id loci ſacrificulorũ regulus & Moſchus natione, quadraginta ampliùs annis ſacris initiatus dedit manus, impiúmque Schiſma execratus, totius vitæ culpas per Confeſſionem oblitterauit.

COLLEGIA RIGENSE ET DERPATENSE CVM MISSIONE Orszanenſi.

XIII. SACRA Baptiſmatis ablutione initiati ſunt Rigæ per Noſtros ducenti triginta octo: matrimonia facta nouorum ſponſorum centũ. Nec tantùm ad ſupplicio afficiẽdos admiſſi Noſtri (quòd equidem hic perrarum eſt) ſed ab ipſis etiam Hæreticis ad id genus hominum inſtituendum animandúmque vocati. Muliebris ſanè leuitatis & improbitatis ſpecimina egregia dederunt duæ. Vna non ignobilis, ſed Hæretica, & in B. VIRGINEM aliquãdo blaſphema, cùm partꝰ difficultate periclitaretur, inducta eſt, eius vt nomen auxiliúmque inuocaret, cuius antehonorẽ imminuiſſet, ſimúlque reliquias Diuorum collo

Digitized by Google

appensas ad osculum admitteret: admisit fœtum ingrata, non hæresin eiecit. Altera non verba modò Sacerdotis nostri, sed etiam conspectum, maximè verò Confessionis mentionem abominabatur. Ægrotanti ergo atque ignoranti, melior maritus Sacerdotem nostrum medicum accersit: de cuius aductu, cum illa nescio quo suggerente fuisset edocta, protinus sese è strato proripit, domóque profuga in vicinas siluas abdit: vbi cum diu multúmque à marito & filio inuestigata fera non reperiretur, ipsa tandem de abitu Sacerdotis per eúdem facta certior, per quem de aduentu cognorât, se domum recepit, acerbéque in maritum pro more inuecta: *Quid nobis*, inquit, *hoc cum Sacerdote suóque cum DEO? DEVM tu nostrum venerare: habeat sua sibi Sacramenta: nos absque his DEO propitio vtemur.* Vsa tamē est Diabolo, séque quarto pòst die ex fœno quodam vestibus elegantioribus inducta in ipso balneo suspendit. Ob similem ferè diuinæ rei contemptum alius quidam Hæreticorum pœnas dedisse visus est. Res ita contigit. Reuerendiss. Liuoniæ Episcopus ex Polonia redux sacrâ nascentis CHRISTI nocte pontificio ornatu solemniter (vt apud Nostros sæpe solet) rem diuinam procurabat. Ad eas cæremonias Hæretici quoque frequentes, velut ad spectaculum, adsunt. In his petulantior vnus, *ne teruncio quidem* (quippe quem campanæ, quas in templo quodam Hæreticorū non præcipuo pulsabat, sustentabant) *eiuscemodi se cæremonias emere dicebat.* Addebat risui insulsum clamorem, oréque ioculariter intorto alios

quo-

Digitized by Google

quoque ad ineptias & turbas concitabat. Durauit hic improbi histrionis ludus etiam coram vxore aliisque domesticis. Mox dum opus imo lino facit, deficit: manus obrigescũt; ligatur lingua tam forti vinculo, vt ne frequenti quidẽ capitis motione totóque conatu verbulum enitoretur. Tum diducto hiantique ore ac faucibus aliquandiu perseuerauit, nec vllà ratione os ei claudi potuit, donec in rigorem omnino datus expirauit. Qui curando infelici aderat, eum insolito quodam sibiq; ignoto morbi genere periisse testatus est, addiditque, incantamentis sublatum videri. Vim namque veneficam templo nostro inesse spargere aut sunt quidam Hæretici: tam parũ ingeniosi erant in reperiendo mendaciolo, quo fidei suæ consortem à diuinâ vltione infamiáque liberarent. Sed ad excursiones iam veniamus.

XIV. FVERVNT ea celeberrimæ hoc anno, vtilissimæque in Samogitiam, variáque Liuoniæ loca: in quibus licet Nostrorum opera non desuerit nobili loco natis, potissimùm tamen tenuioris fortunæ atq; ingenij hominibus est impensa. Totius anni huius decursu, quo exercitus Catholicorum in armis fuit contra Suecum, Sacerdotes nostri præsto fuerunt, tam eidem, quàm Duci à Sacris, à Concionibus, à Confessionibus. In expugnatione Parnauię (ciuitas hæc est in Liuoniâ non malè munita, quam Suecus aliquot ante annos occupârat) plurimis salutariter accursum. Militibus enim assultum facientibus perpetuus adfuit Noster, eósq; ad fortiter agen-

Digitized by Google

dum animauit. Multos egregios viros in congressu vulneratos, qui vel ab equis conculcati fuissent, vel alioqui sine auxilio perijssent, è medio globorum grandine in locum tutum abduxit; aliorum Confessiones inter circumstrepentes glandes intrepidè audiuit. Expugnatâ ciuitate exercitum furentem à varijs facinoribus & ædibus arcuit; saucijs, quà sacris pœnitentiæ & Eucharistiæ medicamentis, quà externis corporum subsidijs, esculentorum, chirurgorum, hospitiorum procurandis auxilio fuit. Occisorum tam nostrorum, quàm hostium corpora terræ mandari curauit, socio fratre pro viribus adiuuante. Dysenteria, quæ totis grassabatur castris, multis laboribus & Christianis officijs occasionem dedit. Quendam, à quo omnes propter morbi fœditatem abhorrebant, in currum, quo vehebatur Sacerdos noster, ad Samaritani illius exemplum, leuauit: quatuor à patibulo liberauit. Quam Nostrorum charitatem incredibile est, quantâ miles vniuersus humanitate Societatisque commendatione fuerit prosecutus, adeò, vt ipsis etiam castris orationem quadraginta horarum decretam promptissimè obirent. Gregarius quidam in tumultuariâ irruptione in castra ab hostibus inter ipsum noctis crepusculum captus, ligatúsque abripiebatur: potentiora ergo arma expedit, DEIPARAMQVE VIRGINEM in auxilium vocat; cuius mox beneficio mirabiliter ex hostium manibus elabitur, & quidem illæsus à globis, quibus fugitiuus impetebatur.

XV. AD

IV. AD DVNAMVNDVM quoque (arx est loci naturâ non facilè expugnabilis, duobus milliaribus Rigâ absens) cùm hostis copias admouisset, vt vel obsidione solueret, vel suis in ea detentis suppetias commeatu, & recenti milite ferret, pugnatum à nostris est feliciter, & hostis bonâ exercitûs parte amissâ in fugam actus: arx copioso instructa commeatu, & militari apparatu, deditione accepta. Eisdem autem horis, quibus hæc agebantur, supplicatum est in nostro templo: pueri teneræque virgines, atque adeò ipsa Ducis coniux in modum Crucis humo affixi iacebant. Diuerberationes voluntariæ corporum factæ, præter antecedentium dierum sacra, & supplicia: quibus pietatis exercitijs victoriam non mediocriter adiutâ creditum. Certè illustre illud diuini fauoris & præsentiæ à compluribus notatum fuit argumentum; quod cùm sequenti post pugnâ die aliqui ex militibus illac, vbi hostem equites, armisque graues aggressi fuerant, pertranfire tentarent, inermes iam, & expediti cum equis id facere nullo modo potuerint, adeò palustris, vliginosus, & impeditus erat locus, seu potiùs lacus ille, vt omnino opus fuerit diuinâ manu illos sustentante. Partâ victoriâ Dux exercitûs, Illustriss. Dñs Ioannes Carolus Chodkieuica cum centurionibus præfectisque militum ac primariâ nobilitate templum D. Iacobo sacrum adijt, diuinæq; bonitati grates solemniter persoluit: & post aliquot deinde dies præcipuorum duodecim militum, quos belli fortuna abstulerat, exequias funebres celebrauit.

Ante

Ante hunc conflictum Sacerdos militem quendam aliquoties ad Confessionem adhortatus fuerat, nihil tamen impetrare, vel ipse, vel DEVS conscientiam vellicans potuit. Cùm itaque equo iam insidens, ac paulò pòst cum hoste congressurus Sacerdotem eundem procul conspexisset, ad socium conuersus, *Viden, inquit, istum Sacerdotem? Sudes est mihi in oculis & mortem meam præsagire videtur istâ importunitate suâ: debebo fortasis ante pugnam confiteri:* quod tamen non fecit, & miserè in eodē conflictu occubuit. Spectabilis fuit ante omnes Ducis ipsius liberalitas. Nam ad Eleemosynas complures, quibus subinde Nostrorum indigentiam subleuauit, votum, quod Societati pro ædę S. Iacobi nuncupârat, persoluit, adeóq; in templi ornatum septingenti floreni Polonici expensi; Collegio accessêre vniuersim ferè ducenti.

XVI. IAM verò domicilium, quod Derpatenses socij incolunt, perexiguum, & sepibus rudi duntaxat manu interpositis cinctum est. Collegij namque ædes & templi, quod Collegio adiacet, structura à Sueco milite labefactata, tectóq; suo fœdè nudata visitur. Nostri interim omnia sua munia domi forísque rectè, gnauitérq; obierunt: & spe quidem maiorem sementem fecêre, post tot annos, quibus & belli assiduum incendium à Carolo Sudermaniæ Duce iniquissimè excitatum hanc regionem miserabiliter afflixit, & Hæresis ab Hæretico Tyranno inuecta, & longè latéq; cum vehementi Catholicæ rei damno prouecta, multis mortalium animis exitium miserabile attulit.

XVII.

Digitized by Google

XVII. ORSZÆ ad summam fidei promotionem nihil deest nisi Collegium, quòd non Catholici tantùm homines (inter quos sunt permulti viri nobilitate atque opibus præstantes) sed ipsimet etiam Hæreseos assectæ peroptant. Confessarij hîc præter Sacerdotes nostros ordinariè nulli: hi sesquimille à peccatis absoluerũt, quatuor ab Hæresi, nouem à Schismate. Ad-ferias Paschæ is fuit populi concursus, quem nunquam memmêre etiam antiquissimi Orszanenses. Doctrina Christiana præterquam, quod in templo scholisque viget, in foro etiam, & compitis traditur. Præeunt præcentione litteratiores, excipit cantum multitudo, tam studiosè, vt multi deinde laboribus & seruitijs occupati, suopte ingenio præcepta Decalogi, quæ didicêre, occinant. Sacerdos, cui concionãdi munus incumbit, religiosioribus diebus ter aliquando perorare consueuit. Comis quædam hospitalitas hisce in partibus censetur, aduenam potu oblato ad ebrietatem salutare; quæ inhumanitas paulatim DEO iuuante flaccescit. Reliquiæ Diuorum, & Agnus cereus non nemini saluti fuerũt. Vt summam dicamus, Catholicorum hoc loco degentium is feruor & potentia est, vt causam fidei in publicis etiam conuentibus & defendere audeant, & Hæreticis non rarò ora obturent.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA ARAGONIA.

Socios vnum ſupra quadringentos recenſuit Aragonia locis quatuordecim: ſex ad cœlum miſit, triginta Tironibus adiunxit.

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Domus Profeſsa Valentina.	XL.	XX.			
Collegium Valentinum.	L.	XII.	V.	XX.	XIII.
Cæſarauguſtanum.	XLVI.	XX.	V.	IX.	XII.
Barcinonenſe.	XXXVI.	XIV.		IX.	XIII.
Gandienſe.	XXXIX.	X.		VI.	X.
Domus Probationis Taracon.	XLVI.				

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Gollegium Gerundenſe.	XXXVI.	IX.	III.	XVI.	IIX.
Bilbilitanum.	XXIII.			VI.	
Taraſonenſe.	XIII.		III.		
Illerdenſe.	XIV.		III.		
Vrgellenſe.	XIII.	V.	I.		VII.
Balearicum.	XXIX.	XI.	V.	III.	X.
Sedes Oſcenſis.	VI.				
Domus Perpinianenſis.	XII.	VII.			V.

Digitized by Google

Confessiones de totâ vitâ exceptæ mille ducentæ.

Iniuriæ remissæ, aut rixæ graues compositæ viginti.

A turpi vitâ abstracti septendecim.

E carcere & vinculis liberati centum octoginta quinque.

A desperatione reuocati septem.

Votis B. Ignatio factis, aut reliquiarum eius veneratione adiuti viginti vnus.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA ET COLLEGIVM Valentinum.

I.

NOLVERANT QVIDEM DOMI tantùm, & velut ſub tẽtorijs deliteſcere Patres Valentini, adeóq; varia regni huius oppida villàſque luſtrare iam cœperãt, ſed bellici rumores, qui Valentinum agrum inuaſerant, Euangelij Præcones receptui canere, & in caſtra redire coëgerunt. Philippus enim Rex Neophytos Mahumetanâ labe infectos, quos perduellionis cõuicerat, Hiſpaniam deſerere edicto iuſſerat; ſuperandiſque exilij difficultatibus militares copiæ terrâ marique paratæ, arces, oppida & maritimas oras belli ſtrepitu compleuerant: hinc in vrbem regreſſi Noſtri, tãto fructuoſiùs operam ſuam locarunt ciuibus, quanto vires collectæ diſperſis ſunt validiores. Quamuis & in ipſo Collegio occubuerit vnus, Vincentius Martinez Theologiæ alumnus, multis virtutibus naturæque

Digitized by Google

que dotibus instructus, cuius patientiam longus scrophularum molestúsq; morbus insignè fecit: missum tandem ad Christianissimum Galliarum Regem in itinere vis morbi extinxit. Per Quadrageſimam tribus in locis primariam concionẽ tenuerũt Nostri: de alijs enim, quas in Sodalitijs, tam nobilium, quàm opificum, item quæ in cõpitis, ergastulis, claustris virginũ solemne est habere, nihil hîc attinet dicere. Sodaliũ Eleemosynis, & charitate è vinculis educti trecenti. Quidã perditæ mulierculæ domum impuro animo ingressus, DEIPARÆ Virginis effigiem in angulo abstruso fortè latentem oculis deprehenderat, cuius repentino intuitu omnis vltrò impuritas, peccandiq; voluntas nebulæ instar euanuit: conuersus ergo ad prostibulum adolescens; *quinam*, inquit, *audes, ô propudiosa, coram tam purâ Virgine tam impura flagitia patrare?* Consultò quidem, respondit procax femina, effigiem istam abscõderam, ne eius tibi aspectus religionem inijceret. Et cùm lenocinia verbis adderet, abripuit se inde victor adolescens, totiúsque vitæ culpas apud Sacerdotem nostrum expiauit. Restituta sine cũctatione salus viro nobili, cuius vxor facem coram B. Parentis Nostri IGNATII imagine pro mariti incolumitate iusserat accendi, quæ & pretiosam deinde vestem templo domûs gratulabũda transmisit. Accessit eidẽ multus ornatus, & pretiũ non leue argenti & auri in vestibus, lipsanothecâ & candelabris. Locupletandæ Bibliothecę aurei quingenti dati. Liberata domus omni censuum redimibiliũ, vt vocãt, onere: porrò summa eorum,

Digitized by Google

eorum, quę à ciuibus erogata sunt, tria aureorum millia facit, & quod excurrit. Quæ sacrario Collegij accesserunt, ducentis aureis æstimantur.

CÆSARAVGVSTANVM COLLEGIVM.

11. HVMANIORVM litterarum scholæ quinq; nostris Magistris hoc anno traditæ; quo in negotio ciuitatis Magistratus, & Consiliarij vniuersi, superatâ reclamantium graui contentione, vnâ voce consensère, & quò magis sibi suisq; ciuibus Societatem deuincirẽt, addixêre alendis Professoribus ducentorũ aureorũ annuos reditus perpetuos, aliorũmq; centum tẽporales prouentus, donec octingẽtorum aureorũ census, à D. Petro Martinez huic muneri relictus, ad Collegiũ perueniat. Litterarũ ludo constructo assignata iam sunt quinque aureorum millia. Ergo scholæ auspicatum, & solemne principiũ sumpserunt, habitâ in grauissimo totius Academiæ cõsessu oratione: nec siluit templum nostrum, nec ipsi parietes, seu Græcos, seu Romanos audire cuperes. Populo drama datum. Accessêre ad nostram doctrinam iuuenes septingenti, cùm antea vix trecentos Academiæ syllabus recenseret. Post dies aliquot Magistratus ipsi, magno Procerũ comitatu scholas omnes animi gratiâ lustrauerunt, qui & à Magistris, & à Discipulis excepti litterariâ celebritate. Ita autem nostram iuuentutis tractandæ rationem probauerũt, vt è Senatoribus nonnemo, grauissimis negotijs posthabitis, ad

Digitized by Google

ſcholas identidem reuiſat, ſacrificióq; vnâ cum Scholaſticis interſit, quòd cum cælitibus eo tempore ſibi verſari aliquo modo videatur.

III. MILITES præſidiarij ſacris hortationibus frequenter ſunt excitati: & hiſtoriæ veſpertinæ ter in hebdomade per ieiunium maius enarratæ plebis vehementer adiuuerunt pietatem: priuatæ hortationes adeò Canonicorum quoſdam ſimultate perniciosâ diſcordes emolliuerunt, vt profuſis vbertim lachrymis non in mutuos amplexus tantùm ruerent, ſed etiam pedes ſibi inuicem magnâ omnium admiratione deoſcularentur. Antiquum iam eſt, & exemplis ſæpe ſæpius declaratum, quàm puerperæ vbiuis ferè terrarum, B. Parentem noſtrum habeât præſentem, quamque propitium; dicam quod creditur ab eo præſtitum puerulo cuidam beneficium. Quinquennis primùm is erat è nobili oriundus proſapiâ Baroniæ hæres: præceps iam ibat dehiſcente ſolo in puteum profundiſſimum, ſed quia paulò antè auia nepotem ſuum in noſtris ædibus B. IGNATIO commendauerat, apprehendit puerulus laterem, qui ex ore putei prominebat, eóque ſeruatus eſt. Plura de cultu eiuſdem Beati in ſequenti Collegio dicentur.

IV. COMMVTATIO duorum facta Barcinone: deceſſit vnus, acceſſit alius: & ille quidē P. Franciſcus Caſtelli Valentinus, ſex & ſexaginta annorum ſenex: eorum ferè quinquaginta in Societate tranſegerat, à puero P. Simoni Roderiquez, aliiſque B. P. Noſtri ſocijs familiaris: vir eximiâ morum ſuauitate & vitæ candore inſignis, animarum

marum lucro semper inhiãs, vtpote qui primæuum instituti nostri spiritũ altè imbiberat: montana desertáque loca docẽdo lustrare mirè quam expeditus: cùm ex negotijs licuit, solidos ferè dies transigebat in templo; illud hospitium, illud nidulum suum iudicans. In ipso opere ac labore oppressus morbo domum fuit reuocandus, ne alibi scilicet moreretur, quàm vbi virtutes illius viuerent. In huius locum successit Tiro nouus, filius Marchionis Palletæ, & Ducis Monteleonis consanguineus, ab vtroque magnâ amoris significatione Societati in manus traditus.

V. FRANCISCVS Sordis purpuratus Romanæ Ecclesiæ Pater, & Archiepiscopus Burdigalensis ad ædem VIRGINIS in Seperato monte celebrẽ proficiscens, Collegium nostrum ex itinere singulari humanitate inuisit. B. Patris nostri sacellum & lipsana veneratus, Parthenij Sodalitij festum Sacrificium concionémque præsentiâ suâ cohonestauit. Postea Minoresæ, comitantibus vrbis primoribus, loca, quæ B. IGNATII memoria consecrârat, singulari pietate obiuit, remque diuinam in sacello spelũcæ superpositò perfecit, cùm priùs in humili illâ cauernulâ ad Sacrificium precibus se communiuisset. Eo peracto ad spelæum redit, humíque prostratus, subiectam stoream manibus leuat, & labia solo nudo, quod tanti olim viri vestigia calcârant, pijssimè infigit. Inde à Præfecto loci & Sacerdote nostro, qui aderant, oleum è lychnucho pensili, & fragmentum è saxis antri postulat: cui mox duo honesti viri in genua procumbentes lapi-

Digitized by Google

dem exciſum offerunt, quem venerabũdus Cardinalis manibus excepit, donũmq; ſacrũ publico teſtimonio iuſſit confirmari: ipſe contrà omnibus ijs, qui aut ſacellum, aut ſpeluncam, aut Xenodochium, vbi B. Pater habitauerat, Religionis ergò inuiſerent, centum dierum indulgẽtias in tabulis publicis conſignatas reliquit. Pollicitus denique ante diſceſſum eſt, ſe lipſana B. Patris curioſè conquiſiturum, thecisque incluſa, Barcinonę futuro Minoreſæ Collegio aſſeruanda, tranſmiſurum.

VI. AD DIŒCESIN quandam Epiſcopi rogatu luſtrãdam Sacerdotes ex hoc Collegio duo fuêre deſignati, qui vnico in oppido, (vt reliqua prętereã) de rotâ vitâ confitentes audiuerunt amplius ſexcẽtos. Huic fructui malus inuidebat Dæmõ, & querimonias paſſim excitabat, ſæpius, quàm oportet, à concionatore noſtro luxuriæ peccatũ vituperari; quæ tamen frequens de tanto ſcelere mẽtio, reprehenſióq; non obſcuris indicijs DEO placuiſſe eſt comprobata. Nam vir quidã & ętate, & cõditione, & vitâ perinde honeſtus, ac probatus, poſt excuſſam generali Confeſſione cõſcientiam, domi ſuæ ad animum perfectiùs expurgandum abditus, ſubitò confertam Diabolorum turbã circumuolantẽ aduertit; quâ exanimatus, Seruatoris opem implorat: adeſt CHRISTVS ſpectabili formâ ac fulgore, coniectíſque in fugam aduerſarijs oppreſsũ ſolatur, probat eam hominis de ſalute curã, iubẽtq; Patres Societatis edoceat, ſibi gratiſſima eſſe, quæ in cõcionibus toties proponũt, toties iterant. Obſtupuit homo inſuetâ ſpe-

Digitized by Google

tã ſpecie, primáq; luce ad noſtros aduolat, viſa narrat, magno animi ſenſu; paulóq: pòſt ſanctiſſimè ex hac vitâ decedit. Quæ femina eodem in genere teſtata eſt, conſultò prætereo: illud non item, quod falsò quidam ſparſerant, à publicis aquæductibus per occultos canales ad noſtrum Collegium aquam deriuari: ſed mendacio conperto publica decreuit, dedítq; auctoritas, quod priuatim, id eſt furtim nos accepiſſe maleuoli confixerant. Templo donata pyxis aureorum trecentorum: domus amplior reddita vicinarum ædium, & viæ publicæ acceſſione.

COLLEGIVM GANDIENSE ET TIROCINIVM TARRACONENSE.

VII. QVIA magnum belli periculum Gandienſi oppido incubuit, dum Mahometani ex Valentino agro Philippi Regis edicto pelluntur, (cinctum enim eſt quam plurimis Maurorũ pagis) idcirco diuinũ auxilium impenſiùs flagitatum, ſæpiúſq; coram expoſitâ publicè apud nos ſalutari hoſtiâ fuſæ preces, & arbitrariæ corporis afflictationes ſuſceptæ. Gladios dixiſſes vſurpata flagella; loricas trilices cilicia; adeò cõſternati fractíq; ceſsêre hoſtes. Excellùit inter alios regni Heroas Dux Gandienſis Carolus, qui alacri animo maiorem ſuæ regionis partem pro aſſerendà in Hiſpaniâ fidei integritate deuouit, nec pauca mancipiorũ millia in exiliũ compulit. Viſum aliquibus ſingulari NVMINIS prouidẽtiâ factũ, vt pridie Calend. Octob. quo die B. N. P. Frã-

Digitized by Google

ciscus Borgia, Caroli proauus ad superos euolauit, Gandiam primò Mauri desererent, nec diem exilio præfixam expectarent. Aliquot tamen eorum millia neglecto Regis imperio rupem tutissimam non procul à Gandia distantem occuparunt: quò cum plures Christianorum militum copiæ, & ex Gandiensibus quingenti viri illis in subsidium missi, expedirentur viatico cœlesti magnam partem in æde nostra priùs accepto, rem sine vulnere confecêre.

XIX. INTERIM colonia tredecim Tironum nostratium ex domo Tarraconensi huc deducta: quibus assignata est ea Collegij pars, in quâ P. N. Borgia quadriennium illustria virtutis suæ monumenta posuit. Tirones duo ante biennium exactum in Indias sunt ablegati. Magistratus Tarraconensis vindicandis è seruitute Socijs decem, (de quibus ad finem huius Prouinciæ) aureos centum erogauit. Gandiensium verò ciuium, qui ex Sodalitio Mariano sunt, in captiuos maximè se prodidit charitas. Eorum ex carcere redemerunt centum octoginta. Chirographum B. P. nostri IGNATII duobus infantibus sanitatem, parturienti prolem dedit.

GERVNDENSE COLLEGIVM.

XX. QVANQVAM tumultus contra Societatis scholas annis superioribus excitatus necdũ omnino consedit, pergunt tamen DEO freti constãter Nostri, & modestia sua, (quod summum in rebus

rebus exulceratis remedium est) animos maleuolos paulatim frangunt. E Scholasticis nostris vnus cum alio quodam ad Societatem nuper, vt petierat, admissus erat. Hanc filij digressionem à se mater, aliique iuxtà propinqui ægrè ferre, & callida Nostrorum suasione adolescentem in nassam tractum comminisci cœperunt. Igitur rem ad Episcopum deferunt, ab eóque flagitant, vt ipsemet ab adolescēte initi consilij rationem exquirat. Eum accersit Præsul; mittitur à P. Prouinciali, qui tum fortè aderat: respondet ille liberè constantérque; *diuino se instinctu, nullius alterius suadelâ Societatem IESV delegisse*: qua responsione, & arbitro sapientissimo satisfecit, & consanguineis suis commenta illa, & friuolas suspiciones eximit.

X. PLVRES annos scortum quoddam suo nomini conuenienter vixerat, nec interim piam recitandæ coronæ in honorem B. VIRGINIS cōsuetudinem omittebat, hoc vnum sæpius obtestans, vt ne saltem in eo flagitiorum cœno extremum spiritum exhalaret: quod & impetrasse videtur. Nam oppida vltro citróque perlustrans, oppidi torrentis impetu aliquando abripitur, sed dum manu catenulam precatoriam sustollit, & contra fluentium aquarum, vestésque iam trahentium rapacitatem tenet, à [illegible]ipara ad Cōfessionem Sacerdoti faciendam in viuis seruatur. Maritus quidam vxorem suam, quam nescio ob caussam, domo exturbarat, nec adduci poterat ad illam recipiendam, nisi ea solùm lege, vt ipsa decimo quinto quoque die conscientiam suam

Digitized by Google

Iesuitis per confessionem aperiret. In salutari CHRISTI aduētu eò expeditionem direxēre Socij, vbi nunquam visi: nec pœnituit laboris, siue concionum & confessionum emolumenta, siue æris alieni restitutiones, siue simultatum compositiones, siue alia plura spectes. Cæmentarius quidā dum operi incumbit, ex alto ruit: in ipso per aërem lapsu signo Crucis se munit, saluūsq; & incolumis terram attingit. Ceterum vrgetur strenuè templi fabrica: translataque sunt è veteri tumulo Nostrorum cadauera: dirutum item antiquum altare D. Agnetis, vbi inter ruinas inuentæ aliquot Sanctorum, & salutiferæ Crucis reliquiæ, arculâ plumbeâ inclusæ, serico integerrimo tectæ, cùm ducentorum ferè annorum spatio latuissent, quod publica membrana testatur.

COLLEGIA BILBILITANVM, TVRIASONENSE, ILERDENSE.

XI. CVM non minùs iustus sit DEVS suóque tempore seuerus, quàm indulgēs ac misericors, ideò non rarò iustitiæ quoque suæ in cōmeritos pro reliquorum bono statuit exempla; id quod in alijs passim, tum verò in his Collegijs videre licebit. Quidam alienæ pecuniæ raptor, extra septa Ecclesiæ per sententiam eiectus, nec à filio quidem, qui eam vsurparat, vt iniustè, & cum tanto salutis damno possessa restitueret, potuit adduci, confectus ergo mœrore adolescens, aliquot

aliquot mensium interiectu amico cuidam suo de nocte importunus est, suspirijs, eiulatu, ipsâ facie: & verò cùm alij spectrum audire tantùm, hic etiã magnâ cum molestiâ videre cogebatur. Accepto tandem consilio à Nostris vmbram ausus est alloqui, intellexítque, amicum tantisper purgantibus ignibus addictum, quoad per nefas vsurpata pecunia ad dominum rediret: eam fidem, cautionémque in se cùm recepisset homo, nunquam deinde spectrum habuit infestum.

Sacerdos famâ fœnerator, mulierosus, & quod his vitijs facilè annectitur, Societati infensus, multa contra nostram viuendi rationem coram honesto ciue die quodam deblaterârat. Ille effrenatam hominis licentiam cohibere impotens, cœlestem minitatur vindictam, nî receptui canat; quæ & secuta est: non enim biduum interceſſerat, cùm eum mors repentina nullo præmunitũ Sacramento abripuit, quod ipsi illius affines loquendi, viuendíque licentiæ tribuerunt. Solẽt subinde matres minus cautæ, ac plane imprudentes, aut impiæ liberis mala multa imprecari; qualis in his quoque partibus reperta est, quæ cùm quadrienni filiolo ædium ruinã optâsset, ante expletum vnius hebdomadæ spatium, corruente domo miserabiliter oppressum luxit. Periculosa ariditas arua passim ob pluuiarũ defectum premebat. Sumpsit hinc occasionẽ prostibuli cuiusdã proscribendi cõcionator noster, qui cum fortè ibidẽ ex Ilerdẽsi Collegio missus verba faciebat, & *vt diuina ira perseueraret, periculũ esse aiebat, nisi Magistratus loci tãtæ cõtagioni mederetur.*

Fuit

Fuit facilis in negotio tam æquo Senatus, publicúmq; malum exilio puniuit: quo facto propitium statim habuerunt & DEVM & nubes, ita vt optatus imber sitientes agros copiosè irrorârit. Sed mulierculæ eiusce exilium vnum quendam ex amasijs ægerrimè habuit: qui dum solus ira, furore luctúque plenus domi suæ latet, ictus in latere sinistro, manum repentè dolori admouet, nec tamen ferientis, nec vulneris vestigium vllum deprehendit. In eo dolore decumbens cubiculum inusitato lumine per semihoræ spatium refulgere miratur: tum se à CHRISTO in Cruce pendulo & sanguinolento ad expiandam conscientiam submoneri intelligit. Quod visum adeo mouit hominẽ, vti non modò anteactam vitam detestatus fuerit, sed postea etiam obiectum menti de pellice importunum phantasma constantissimè semper repudiarit. Magna DEI bonitas! quæ, (vt hîc manifestum est, & in sequentibus magis erit,) *non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.*

XII. CVIDAM à turpi vita abducto mentem perfectioris statûs amplectẽdi iniecerat Noster: stimulante verò inueterata consuetudine gradũ reuocauit in eam domum, quam ingredi prohibuerat Confessarius: res mira! dum pedem in primo ædium limine ponit, corruit tectum, oppressisset que miserum, si gradum festinasset: nunc leui duntaxat rudere perstrictus, ad pœnitentiam retrogressus est. Bilbili è solemni conuentu vnus Sodalium post sumptam Eucharistiam euocatur, quem mox ita vt erat, imparatũ

tres

Digitized by Google

tres hostes instructissimi ad iniuriam, quam falsò ab eo se accepisse putabant, vlciscẽdam aggrediuntur, eúmq; punctim magno impetu latronum more appetunt: ille repentinis circumuentus insidijs VIRGINIS tutelam suppliciter inclamat: gestabat autem tum fortè in pectore venerandam eiusdem Sanctissimæ VIRGINIS imaginem, in quam gladius ferientis felicissimè peccauit, repercussúsq; iunci instar sine vllâ hominis lœsione se inflexit. Compertâ deinde Sodalis huius innocentiâ, auctor facinoris resipuit, & in publico Sodalium cœtu ad genua læsi prouolutus, tam ab ipso, quàm ab vniuerso Sodalitio, veniam petiuit, impetrauit. Clericus quidam colaphũ impegerat Clerico: eum ictum alter tam grauiter sensit, vt non tantùm veniam roganti nullam daret, sed ne sequestrum quidem pacis, Sacerdotem nostrum domi suæ in conspectum admitteret. Tentandum ergo mutis verbis ac litteris ad eum missis videbatur, quod viuis præsentíque non licebat; quæ litteræ tam facilem repererunt hominem, statim vt ipse ad Collegiũ vltro properans, & veniam repudiatæ conciliationis posceret, & iniuriam libenter cõdonaret. Ilerdæ quoq; in Bacchanalibus impotentiùs efferuescens quidam Sodali Mariano coram numerosâ Scholasticorum multitudine alapam infregerat: mox tamẽ vindictam veritus adijt Patrem, qui Sodalitio præerat, vt à læso VIRGINIS cliente veniam precaretur: is constanti hilarique animo iniuriam remissurum spondet, si alter vnà secum Eucharistiam sumat; & Iubilæũ, quod

Digitized by Google

iis diebus noſtro templo conceſſum erat, lucraretur; lucratus eſt: Itaque ſe vindicauit optimus Sodalis non tam de homine, qui iniuriam fecit, quàm de Diabolo, qui vt faceret, fecit. Ibidem accidit, vt Eccleſiaſtes noſter, diuino impulſus ſpiritu in ea verba proruperit: *Triennium diuina benignitas tuas moras paſſa eſt: caue, ne ſine morâ illius iram experiare.* Aderat tum fortè, qui tribus annis ſacram confeſſionem intermiſerat: ſe ergo diuinitus notari exiſtimans, nullâ ampliùs interpoſitâ morâ concionatorem ipſum adit, eiq; anteactæ vitæ rationem cum emendationis animo expoſuit. Gymnaſiarcha Ilerdenſis ad Perpinianenſem Epiſcopatum euectus, innatæ pietatis, ac beneuolentiæ exemplum apud nos reliquit. Sacrum in templo noſtro celebrans Academię Doctoribus, & Scholaſticis vniuerſis cœleſtẽ panem amoris, ac muneris obiti pignus donauit: poſtea vt nouũ munus auſpicatiùs capeſſeret, aſceticis noſtræ Societatis cõmentationibus, vnà cũ aliquot Carthuſianis dies quindecim vacauit. Ædificio hîc promouendo acceſsêre quin gẽti aurei à Canonicis tributi: oſſa Roderici Capatæ, quem Collegium Bilbilitanũ inter beneficos præcipuũ habuit, in ædes noſtras funere ſoléniſſimo tranſlata, ornatiſſimóq; ſepulchro ſunt cõdita: eâdẽ operâ parentatũ Petro Santangelo, qui eidẽ Collegio hæreditatẽ opulentã reliquit. XIII. TVRIASONE Beatorum noſtrorũ florida eſt memoria. Drama de B. Staniſlao exhibitum, cum Pontifice ſuo totam ciuitatem exhilarauit. Nouendiales preces ad B. P. IGNATII aram factas frequen-

Digitized by Google

frequentissimè, salus consecuta est. Infans quadrimulus omni ferè sensu destitutus animâ iam-iam efflabat; mater desperatâ à Medicis salute, remedium apud nos quærit, acceptáq; B. Patris Lipsana infanti admouet, & simul ab eo mortem, ac morbum denique omnem remouet. Ipsa verò in idem periculũ paulò pòst adducta, quod filio viderat saluti fuisse, sibi quoque fore confisa, Ignativm aduocat, receptámque ab eo sanitatem, anathemate ad illius aram appenso, confirmauit.

COLLEGIVM VRGELLENSE cvm Sede Oscensi, et Domo Perpinianensi.

XIV. Tres ex Collegio ad Superos iêre. P. Fráciscus Guttierrez, quatuor vota Professus, Concionator egregius, annis tribus supra triginta in Societate exactis, summa animi trâquillitate occubuit. P. Onuphrius Masdeu, emenso studiorũ cursu, cùm trienniũ in Vrgellitano agro strenuè laborasset, febri obsessus, Deo manus & animâ dedit. Iacobus Martinus domestica sua ministeria deseruit, postquam ea tribus annis impigrè in Societate obijsset. Excelluit candore animi, orationis dono, ac vitæ austeritate. Defunctus etiam est Andreas Capella Vrgellitanus Episcopus, Collegij parens ac conditor, tam suæ, quàm alienæ salutis sitientissimus, è Carthusianorum familia ad eam dignitatem euectus. Religiosam, austerámque viuendi normam tenacissimè obser-

Digitized by Google

obſeruauit ſine aulico apparatu, ſine faſtu; annuos cenſus in ſubleuandâ pauperum inopiâ, & noſtri Collegij, aliúſq; ſui ordinis Cœnobij conſtructione impendit. Quotidie vniuerſo mendicorum gregi, ad eius aulam confluenti panis ad victum neceſſarius porrigebatur. Dormientibus famulis ipſe vigilantiſſimus paſtor ſingulorum obibat cellas, ac ne quid vſpiam indecens fieret, ſecretò nocte intempeſtà arbitrabatur.

XV. OSCÆ in quadrageſimâ Sacerdos vnus in Parœciâ ſingulis hebdomadis bis terue concionatus id effecit, vt plerique de totâ vitâ rationes ſubducerent. Nobiles feminæ ſolemnia DEIPARÆ feſta cantu vario & harmonico, alióq; apparatu in noſtris ędibus celebrârunt, magno pietatis incremento. Sacrarium centum aureos dono accepit.

XVI. PERPINIANI (quæ in Galliæ confinio eſt) vtiliſſimè conſultum præſidiarijs, qui arcem tenent. Vbi conuentus militum frequentior, repoſiti pij libelli, pictæque imagines pietatem ſpirantes, quibus ludorum frequentia & immoderatio diſturbaretur. Placuit inter ceteros viro grauiſſimo illac fortè trāſeunti inuſitata hæc domûs militaris facies, ſibíque gratam affirmauit non minùs, quàm ipſa Romanæ vrbis Sacratiſſima monumenta: additæ hortationes mirificè profuerunt. Quinque certè ex eo genere hominum poſito ſago religioſam togam induerūt. Sacerdos vnus totius anteactæ vitæ confeſſiones excepit ſupra centum. Sodales Parthenij ſtatis diebus ſinguli ad publicas cuſtodias cibaria detu-

Digitized by Google

detulerunt. Annuos reditus Cœnobij cuiusdam in domum hanc nostram transferre Philippus Rex parabat: ea res mirum est, quantam Societati inuidiam contraxerit: Et quia malũ hoc alienâ felicitate crescere solet, grauior incubuit procella, postquã nobilis quidam Sacerdos morti proximus Societatem ex asse hęredem scripsit: sed enatârunt tandem Nostri, luculento ipsiusmet Testatoris de innocentiâ Societatis facto testimonio. Ducentos interim aureos alius quidam ædium constructioni reliquit.

COLLEGIVM BALEARICVM.

XVII. SVBLEVANDÆ egestati, quâ hoc anno Balearis insula premebatur, solitæ Eleemosynæ additum, quantum nostra tenuitas patiebatur: hinc & in nos quoq; liberales alij fuerunt. Duo enim aureorum millia tabulato aræ maximæ ornando attributa. Sacrarium nuper constructum cum elegantissimis se componat. Sodalitij pietas in frequenti ad Nosocomium accessu excellens fuit: sedulâ inibi gessêre curam optimi Sodales lectulorum octo, vbi grauiùs ægrotantes decumbunt: ex quibus hoc anno supra centum conualuerunt. Nobili medico lethali morbo pœnè confecto, medicus B. IGNATIVS fuit, cuius reliquias venerabundus vsurpauit. Eædem reliquiæ puellam nimiâ sanguinis affluentiâ faciem, oculos, totúmq; caput deformatam, alios item tres, febre laborantes releuarunt.

Digitized by Google

XIIX. EXPEDITIONES duæ in insulæ pagos factæ. In vnâ earum abolitis peruersis ludendi & execrandi cõsuetudinibus meliores introductæ: vt agricolæ primâ luce ante opus Sacrificio interessent; vt rus pergẽtes, vel inde redeuntes orbiculos VIRGINI sacros percurrerent. In alterâ Nostri ob messis copiã auxilia ex DD. Franciſci & Dominici familiâ adhibuerunt. Feminæ cuidam ob viri acerbitatem admodum ærumnosæ, dum in agros prandiũ viro defert, Cacodæmon sub humanâ adolescentis formâ fit comes; quò tendat, quærit, respõsóq; accepto, *quid* verò *moraris?* inquit, *age fis, tuum maritum de medio tolle, & ego tuum tibi filiũ ex mortuis repentè dabo.* Inhorruit ad tam temeraria veteratoris promissa mulier, signóq; Crucis sese cõmuniens, IESVM ingeminat; hoc salutari nomine, ceu fulmine, ictus fugã accelerauit personatus adolescẽs, ac licet ter deinde sub eodẽ schemate ad id consilium redierit, proditus tamen à muliere apud Sacer*dotem nostrũ* præstigias illas stygias intermisit. Alia quædam famosa in publicâ cõcione ita animo est perculsa, vt præ dolore ipsamet peccata sua clamoribus palàm enunciaret, in faciem vnguibus sæuiret, séq; tantisper cruẽtaret, dum corruens humi veluti mortua iaceret. Postea verò quã ad se redijt, elutis totius vitæ sordibus pœnitentiũ ædes subiuit. Vtriq; demum expeditioni hoc cõmune fuit, vt priusquã soluerentur, in gratiarũ actionẽ sacra Eucharistia solẽni pompâ & comitatu per præcipuos vicos deduceretur, cũ antea vtrobiq; vniuersim illum diuinũ cibum sumpsissent tres hominum Chiliades.

SOCII

SOCII DECEM ALGERIVM A PIRATIS IN SERVITVTEM abducti.

XIX. Annvs iſte Aragoniæ Prouinciæ inter alios fuit memorabilis, caſu infelici, euentu meliore. Soluerant è Balearico portu V. Idus Decembres ſuperioris anni vento ſecũdo Socij decem: Sacerdotes duo, Blaſius Vayllo & Petrus Planes: Scholaſtici quinq; Ioſephus Fuẽtes, Antonius Marques, Onuphrius Serra, Gabriel Alegre, Hieronymus Loyez: Tirones tres, Raymundus Gual, Ioannes Alcouer, Raymũdus Anglada. Vehebantur naui munitiſſimâ, quâ Marchionis Villenæ filius è Sicilia, vbi pater pro Rege erat, in Hiſpanias traijciebat. In altũ prouectos atrox procella ad impendentes labores cõparauit; ſedatâ ea tempeſtate auditus intempeſtâ nocte tubę clangor belli minax; ſonitũ conſecutus tormentorũ fragor, flamarum globorũmque iactatio è vicino myoparone: noſtrâ tamen naue tormentis contra tonante finita eſt ea pugna, hoſte ſeſe retrahente. XIX. Calendas Ianuarias conſpectæ ſunt procul quinq; piraticæ naues Simonis Donſer Lutherani Archipiratę; qui incredibili velocitate, dum noſtri nautæ vectoréſq; conſultarent, ad noſtrorum nauigium militibus quinquaginta, bellicis tormentis quatuordecim inſtructum, quinq; ſua ſexcentis militibus Turcis tormentiſq; centum munitiſſima admouit, impetum fecit.

Digitized by Google

Disploſa vtrinque tormenta magno tubarum clangore perſonante ſeuierũt: ſex horarum ſpatio ſclopis, gladijs, ſpiculis, lapidibus maximà contentione, incertóque Marte dimicatum *eſt*. Interea Sacerdotes noſtri confeſſionibus excipiendis, alij implorando Numinis auxilio intenti erant: omnes pro CHRISTI fide & amore ſanguinem, vitámq; profundere parati: Tandem vulneratis à parte noſtrâ viginti, è Turcarum nonaginta, Piratę in debellatam nauim deſilientes armatos omnes crudeliter trucidárunt. Deſideratus inter alios adoleſcens, qui Societatem noſtrã ingrediendi deſiderio nauim conſcenderat: ſeruati ferè illi tantummodo, qui in profundo nauigij inter ſarcinas, donec Turcarum rabies deferueret, latitárunt. In ſeruitutem traditi centum & triginta inter eos Didacus Pacheco Marchionis Villenæ filius, quẽ Algerij Rex ad Turcarum Imperatorem Conſtantinopolim *dono* miſit. Captiui omnes partim labore fracti partim ſauciati vulneribus in ſentinam proiecti: ibi Noſtri vinctis à tergo manibus pane bis cocto duriſſimo & aquâ fœtidâ dies aliquot vitam tolerarunt. Hac prædâ exultanti Donſer occurrit inſignis Myoparo, tormẽtis inſtructiſſimus: irruit Archipirata præteritâ victoriâ extimulatus; fregit tamen eius impetum aduerſariorum alacritas, ſed noſtrorum capita in ſummum periculum coniecit, minãte Donſer ſuam nauim ſulphureo puluere inflammaturum, ni victoriam reportaret: deſtitêre tamen à pugna, & quatriduo Algerium appulit piratica claſſis. Optionem

nem fecerat duobus è Nostris perfidus Simon, vt vel Turcarum impietatem, vel Lutheranorũ perfidiam sectarentur, sic seruitutem euasuri. Negarunt constanter tam atrox flagitium se patraturos, quamuis crudelissimè in membra secarentur. Eadem animi magnitudo & constantia perinde in omnibus animaduersa.

XX. ALGERII vniuersi captiui in ergastulum angustum, humidúmq; detrusi, cõmunem sortunam perferebant: vbi loci incommoditas Dominicanæ familiæ vnum, & alterum præclaræ indolis adolescentem, Societatem ingrediendi percupidum, vita priuauit. Socij omnes morbo affecti, transactis diebus septem venales in publicum forum producuntur. Venditi ergo aureis supra duo millia ducentis in varios heros disperguntur. Atque hìc demum miseri, immo enimuerò felices pro CHRISTO esse cœperunt. Ipsis pro domicilio stabulum, pro stragulo rudè sagum quo vestiebantur. Cibus duo hordeaci panes à barbaris assignati, plures colaphi, conuicia, opprobria, quæ domi, foríque hilariter libentérque perpetiebantur; catenis compedibúsque ligati, málèque calcibus accepti, bene omnibus precabantur. Sacerdotes ambo atrociùs, quàm reliqui à suis Dominis exerciti; quippe qui firmiori Sacramento in CHRISTI IESV militiam, adeóque perferendos pro eo labores, & contumelias fuerant auctorati. Illi in tetrum carcerem abstrusi, ferro vincti, interdicto alijs captiuis ad ipsos accessu, pane solùm, & aqua pleriſq; diebus miserrimam egêre vitam, si misera tamẽ

Digitized by Google

vocari potest, quæ dulcedine cœlesti fuerat plenissima. Sed & eo postea solatio sunt priuati, quod ex vno contubernio capiebant, dum in ergastula diuersa seiunguntur. Qui fidem Christianam perfidè abiurarunt, noua incommoda nóstris peperêre, eos apud Christianos honore maximo haberi dictitantes, vt heri ad maiorem pecuniæ summam exigendam stimularentur, & interdum captiuos ad maturãdam liberationem dirâ tyrannide vrgerent. Præcipuè Fironum ætas virtúsque tenera, ac minimè probata, inter Mahumetanorum petulantiam effrenatámque libidinem periclitans, seruitutis Socios, aliósque omnes curæ ac sollicitudinis stimulis lacerabat. Verùm diuino subsidio erecti, ad emeritæ militiæ stipendia properarunt.

Ioannes Alcouer vix decem & septem annos natus stricto mucrone ab hero bis petitus, pugnis, calcibus, fustibúsque oneratus, in ipso prælio occumbere paratus fortissimè pro castitate dimicauit. Postea herus Constantinopolim profecturus statuerat seruum eò deferre: verùm diuinâ prouidentiâ è lupi illius faucibus aliorum Sociorum industriâ ereptus, imminentia maiora pericula euitauit.

XXI. ALTER Raymundus Gual ætate par post diuturniorem oppugnationẽ insigni victoria potitur. Præconio subiectus emptorum omnium oculos ad se rapiebat, & post lõgam multorum (Regis etiam) contentionẽ emptus est aureis ferè quadringentis à Turca nobili & copioso, eo præcipuè animo, vt à Catholica Religione abstractum

ſtractum in filiũ & hæredẽ adoptaret. Ergo Turcico more inuitus induitur, tondetur. Impatiens mœroréque profligatus adoleſcens, eam perſonam agere recuſans, indignabundus capitis tegumentum in terram proijcit, Mahometémq; execratur: tum deinde arrepto cultro capillorũ apicem Turcarum inſigne reſecuit, fidémq; palàm profeſſus, lachrymis vbertim profuſis à Turca impetrauit, vt Chriſtianorum more ſe indui patereturꝰ. Maiora dehinc ſubijt pudicitiæ certamina, quæ, quò erant periculoſiora, hoc etiam ad victoriam & laudem illuſtriora debent videri. Prima nocte cùm impudicus Turca in eo lectulo decumbere tentaret, quem Raymundo ſtrauerat, reſilijt celeriter adoleſcens, mortem ſe amplexurum potiùs aſſeuerãs, quàm aliquid minùs pudicum deſignare. Hæſit Turca ad adoleſcentis Chriſtiani inopinatam conſtantiam attonitus. Ab hac ergo irruptione liberatus Raymundus totam illam nocte orans collachrymánſq; trãſegit. Expergefactus mane impurus ſolliciator, iamq; mollitus continuo lachrymarũ fonte, Chriſtianos aliquot adhibet ad leniendũ iuuenis dolorẽ; quorum cõſilio, ne ſeruulus mœrore cõficeretur, pios libellos cõquiſiuit, vt eorũ lectitatione luctũ, fletúmq; abſtergeret. Sed identidẽ malus homo æſtuãte libidine telaignita in adoleſcentẽ cõtorſit, quæ pari ſemper animi firmitudine ab eo ſunt ꝓpulſata. Poſt leuiores has pugnas & quaſi velitationes furẽs libidine Turca, toties iam repulſꝰ, impetũ fecit nocte quadã; adoleſcentẽ fuſtibꝰ atrociter cõtudit,

Digitized by Google

fractóq; fuste à furore arma accepit calcibus, pugnis, morsibus miserè laniauit. At verò necdum sedatâ vesaniâ, capitis sui diadema iuuenis collo circũduxit, quò fauces premeret, occluderétq;. Perrumpitur diuinitus, credo, linteum quatuor palmorum amplitudine; nudat inde mucronem furiosus, adolescentísque iugulum petit: fixit ille in cœlo oculos, in solo genua, sacrum illud Canticum, *Te DEVM laudamus*, subrauca voce enitens, impauidéque mortem expectans. Perstrinxit Turcæ furentis oculos diuina virtus, dũque mucronis aciẽ gutturi admouere parat, cœcutiens applicuit dorsum dorso, leuíque solùm vulnere iugulum notauit. Accurrit vicinus clamoribus debacchantis accitus, attulítque seruo colaphos, & calces, eius castimoniam, obedientiæ contemptum, falsus æstimator interpretatus. Sed victor defessu liuidóque corpore, animo erecto magnóque, in genua procumbens, meritas Deo grates pro victoriæ beneficio persoluit. Postridie vnus è Socijs Raymundum inuisit, cernit vibices, contusúmque corpus; tactúsque illius misericordia se lachrymis dedit. At ille: *mecum*, inquit, *tibi potiùs collachrymandum foret, proximam Martyrij palmam me indignum effugisse*. Sed enim acerrimo hoc conflictu pugna finita nondum erat. Alia nocte eodem furore stimulatus Turca seruum adoritur, quem non tantùm non imbecilliorem, sed & robustiorem offendit, vtpote post belli victoriæque vsum: sæuit ille impotentiùs, languidúmq; corpus pedibus, pugnisq; protritum humi profligit. Adolescens viribus omni-

Digitized by Google

omnino defectus, nec iniuriam arcere potens, collegit animum, diuinóque spiritu afflatus, in hæc verba prorumpit: *Supremum imploro NVMEN omnibus venerabile, obtestórq; vt mihi parcas.* His verbis hominis audacia profligata omnino, & protegente iuuenem implorati NVMINIS prouidentia, impius ille Religionis reuerētia permotus, impetum retinuit, miráque quies consecuta est. Nam primo diluculo Turca suæ procacitatis pœnitudinem præferens veniam à seruo precatur. Alcorani codicem eleganter concinnatū profert, ori simul capitiq; admouet, ac deinde nihil molestiæ seruo illaturum se iureiurādo, librū illum, DEVMQVE contestans, pollicetur. Ea Turcæ religio Raymundo nostro dedit animos; vt, cum postea eius aures à tergo pedetentim accedens manu prēsare vellet, ille audacter ad latus hero duxerit alapam, simulans, putasse se alterius id manu attentatum: *Credere*, inquit, *mihi here te tanto Sacramento obstrictum id fecisse, nefas erat.* Obmutuit Turca, excusationéque hac cōtentus, auriculas ipsius pòst reliquit intactas; eam verò adolescentis constantiam continentiámque postea sæpe commendabat, singulariq; cum benevolentia prosequens ad Sacrificium Missæ non rarò ipse perduxit, pecuniam, aliarúmque rerum copiam subministrauit, qua alienæ quoque paupertati succurrere potuit; ac tandem contra Regis Algerij insidias, qui Raymundum sibi seruum facere studebat, eius libertatis vindex, & assertor extitit acerrimus: quòd fatetetur, in ipso sese aliquid supra humanam con-

Digitized by Google

ditionem aduertere, cœpitq; tum de Mahumetanæ sectæ veritate ambiguus esse.

XXII. TIRONEM in hoc periculoso certamine constitutũ alij veterani Socij monitis, hortationibus, precibus, ac solitis Societatis nostrę meditationibus pro virili sua iuuerũt, instruxerũntq;: neq; enim aut cõditionis iniquitas extinguere in animis eorũ fraternam charitatẽ, aut loci incõmoditas impedire religiosæ professionis cõsuefueta munia, aut hominum barbaries abterrere poterat, quo minus instituti sui decorẽ sine labe conseruarent: sæpe cõmuni mensa vsi, votorum solemnem instaurationem in priuato sacello facta prius generali cõfessione celebrarũt: animarum lucro, quantum seruitus patiebatur, ardentissimè incubuerunt. Duo Sacerdotes rem diuinam frequentes faciebant; alij, Domini saltem. Diuorúmq; diebus, panem Angelorum manducabant. Ad reliquos interim captiuos frequentes habitæ sunt cõciones; inter eos instaurata Sacramentorũ frequentia. Iubilæum Missionibus nostris cõcessum magno fructu ꝓmulgatũ: plerique ad veterẽ fidem, quam deseruerãt, reducti: alij de eadẽ recuperãda serio cogitare cœperunt. Impetratã à Summo Pontifice potestate absoluendi ab hæresi, in interno foro reconciliati nõnulli. Femina sexagenaria annis abhinc quadraginta à Christiana religione defecerat: Nostrorũ operà ad CHRISTI gregẽ reuocata perpetuæ sibi abstinentiam indixit, solo pane & aqua victitãs; anteactæ vitæ pertœsa; quod illa beneficiũ DEIPARÆ meritis, cui Rosarij preces ieiuniáq; inter

cam-

cum errorum caliginem offerebat, acceptum retulit. Ex ijs, qui conscientiam expiarunt, alij triginta, alij quadraginta annos à sacrâ Cõfessione abstinuerant: accessêre nonnulli, qui manu aræ sacræ impositâ, prauum consilium nunquam confitendi iuramento confirmarant. Corrupti peruersiq; mores, qui inualuerant, repressi conuulsiq;. Euchariſtiam argenteâ thecâ inclusam sæpe Sacerdotes in sinu conditam ad moribundos detulêre, astitêreq; animabus exituris. Fratrum nostrorũ colloquijs Mauri aliqui ad Christianam Religionem suscipiendam accensi. Hæc Nostris in tanto laborum pondere solatio erant, aljjs admirationi, & vtilitati pluribus.

XXIII. DVMQVE ita Algerij Nostrorũ seruitus multis animi libertatẽ affert, suæq; omnes alienæque saluti consulunt, in vniuersa Aragoniã eorundem solatio redemptioniq; pari studio inuigilatur. Fusæ ad DEVM preces continuæ, corporis afflictationes vltro susceptæ, missæ consolatoriæ & hortatoriæ epistolæ, pecuniæ, aliarũque rerum subsidia diligenter procurata. Abiêre per omnem Hispaniam Patres, qui Eleemosynas conquirerent. Impetratæ à Rege Galliæ aliisq; primoribus litteræ commendatitiæ ad Simonem Donser, & Gallicæ nationis Consules, qui Algerij tum versabantur. Ii his stimulis excitati Nostrorum patrocinium tutelamque susceperẽ; sed quo minus liberatio maturum effectum nanciscereturꝰ obstitit tumultus aduersus generalem redemptionem cõcitatus. Quæ procella ijs, qui libertatẽ emerãt, egressũ interdixit, ipsos-

ipsósque redemptores invincula, angorésq; coniecit. Tandem res, quæ non facilè expediri poterat, Dei potissimùm beneficio, adhibitâ Galliæ Consulum industriâ non exiguo labore confecta est. In libertatem ergo vindicati septem Fratres & Sacerdos vnus, relictus alter, ne solus desereretur Nouitius, cuius ab Algerio exitus omnino prohibebatur, donec procella illâ conquiêsset: omnium libertas aureorum ferè nouem millibus empta. Octo priores luce Diuis omnibus sacrâ Algerio soluerunt vecti lembo. Petrus Viaz Gallus eorũ libertatis assertor sese illis comitem, ac tutorem adiunxit. In Valentini regni oras proram direxêre, aduersaque aura lembum in Balearem Maiorem triduò applicuit. Incredibili totius vrbis gaudio, & magnâ procerum frequentiâ sunt excepti; tum verò maiori vnius lætitiâ, qui Algerij beneficia non vulgaria in Nostros contulerat, Maioricæque postea creditus explorator, atque ideo patibulo destinatus, supplicij horam expectabat: quem modò veritate patefactâ Socij à periculo capitis liberârunt; tandémque felicissimo nauigationis cursu peracto, Dionij portum in regno Valentino tenuêre.

PRO-

Recensuit hoc anno Bæticus ager Societ. Colonos tres & viginti supra quingentos: Domicilia nouendecim; mortuos quindecim: misit in Peruuianam Prouinciam, & Paraquariam octo, in Neapolitanam vnum; vnum in Belgicam. Septem & viginti probandos suscepit.

		Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
Hispali	In Domo Professâ.	LXX.	XXLIX.		VII.	XXXV.
	In Collegio.	LXXI.	XXVI.	V.	XXII.	XIIX.
	In Seminario Anglicano.	X.	V.			V.
	In Nouitiatûs æde.	VI.	III.			III.
	In Collegio Cordubensi.	XLVII.	XVI.	II.	XI.	XIIX.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
In Granatensi.	LXXX.	XXII.	IX	XXII.	XXVII.
In Malacensi.	XXIV.	X.			XIV.
In Coll. Montellen. & prob. do.	XLVIII.	IIX.	I.	XXI.	XIIX.
In Collegio Astigitano.	XXVI.	IX.		X.	VII.
In Marchenensi.	XIIX.	IIX.	I.	I.	IIX.
In Cazorlano.	XVII.	VI.	I.		X.
In Triguerensi.	XIIX.	IX.			IX.
In Gaditano.	XV.	VII.	I.		VII.
In Xerensi.	XII.	VI.	I.		V.
In Fraxnetino.	XV.	V.	I.	V.	IV.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholaſt.	Adiutores.
In Guadinenſi.	XV.	IX.	I.		V.
In Baëzano.	XVII.	IV.			IX.
In Obulcenſi.	IX.	IV.			V.
In Antiquaria ſede.	IX.	IV.			V.

Hæretici aut Iudæi in fide Catholicâ inſtituti tredecim.
Omnia totius vitæ peccata aperuerunt apud nos ducenti.
Condonatæ graues iniuriæ in noſtram gratiam centum triginta ſeptem.
Emendicati pauperibus aurei mille.
Ad pudicos & honeſtos mores reducti nouendecim.

Digitized by Google

QVATVOR NOSTRORVM HISPALI Domicilia.

I.

QVATVOR IN PARTES NOBIS Hispalēsis tota diuisa res est: in Professorum Domum; Collegium S. Ermenegildi, Anglorum Seminarium, Domum Probationis: & primùm quod ad Professorū domicilium attinet, obierunt in eo quatuor, tam ex Patribus, quàm Fratribus, ex singulis bini. Primus ordine fuit P. Blasius Maldonatus, duos & quadraginta annos natus: viginti tres in Societate egerat, Philosophiæ, Theologiæ, diuinarúmq; litterarū eruditus Professor: homo planè humanus, & propter naturæ facilitatem, tum in alijs regendis, & pio colloquio iuuandis, tum verò in exceptādis confessionibus, atque adeò concionibus habendis, omnibus apprimè gratus. Proximus huic fuit P. Antonius de Leon, sexagenarius, vnus ex ijs, qui quatuor votorū Professione totius Prouinciæ

vinciæ sunt antiquissimi: solitudinis fuit, ac silentij non minùs amans, quàm temporum obseruans, laborum diligens. Veteranos hos secuti sunt paulò pòst Tirones duo: hic, scholasticis, ille domesticis laboribus designatus; prior Ioannes de S. Iacobo adolescens erat tam in se rigidus, vt nisi ei regula moderaretur, sese ipse aut inediâ, aut flagris confeciſſet. In morbum illum extremum cùm incidisset, complures sei cucurbitulas admoueri medicus iusserat, quarum cùm duas tantùm incisâ leuiter cute videret, quàm potuit enixissimè postulauit, omnes excarnificatæ carni applicari, quo minùs in expiatoriâ flammâ propter sua, vt aiebat, delicta vreretur. Crystallinum prorsus pectus ac planè perspicuum habebat aduersus maiores suos, quòd cùm in Societatis hominibus omnibus, tum in Tironibus præsertim requiri non ignorabat. Coadiutor Thomas Barcinonensis Ioanni nihil cessit, quà candore animi, quà pietatis feruore rigoréq; disciplinæ. Multò enim antequam eam à Domino acciperet mentem Societatis adeundæ, scuticis iam, & cilicinâ veste atterebat corpus: Pudoris vsque adeò eximiùs cultor, vt inter profanos mũdi incolas etiam tum degens, ne calceos quidem præsentibus contubernalibus, nisi extinctâ lucernâ exueret, quam castimoniam DEVS singulari vocationis beneficio, & placidâ securáq; morte videtur rependisse.

His ex Collegio duos alios subijcere necesse est; Laurentiũ Garicã multæ expectationis adolescentem, qui tãtos in Philosophiâ habuit pro-

Digitized by Google

gressus, vt interrupto cursu ad cœlestem Theologiam gradum rectâ facere meruerit; alterum, P. Melchiorem S. Ioannis, non in Bæticâ tàtùm, sed in alijs etiam Prouincijs à virtute suâ notissimum. In Sardiniâ Prouincialis vicem, in Bæticâ munus ipsum sapientissimè sanctissiméque administrauit. Fuit etiam annos duos & triginta sacræ Fidei Inquisitionis consultor, maximo cum publico bono, & sanctimoniæ suæ opinione. Nulla viro huic defuit virtus, quæ Religiosum deceret: verbis quasi scintillis quibusdâ diuinis audientium animos inflãmabat: in Confessionibus pannosos æquè, & de ponte venientes amplectebatur, quàm copiosos, aut rhedâ aduectos: agmina puerorum doctrinam Christianam per compita canentium venerandis honestabat canis: sub dio an tecto verba de rebus cœlestibus facere perinde ipsi erat: tam altas submissionis radices edebat, qui ad tam altas cœli sedes volebat assumi.

II. DE SODALITATIBVS, quæ quatuor à Patribus Professis administrantur (prima Clericorum, sub Conceptæ VIRGINIS clientelâ; secunda Primariorum, sub nomine ter sanctæ TRIADOS: tertia sub S. SPIRITVS inuocatione; quarta, quæ à Catechismo, quem curat, nomen accepit) déque Sodalium studio, pietatéque superiorum annorum litteris satis supérque demonstratum est: de tertiâ illâ, quæ ex lectissimis capitibus, scribis, procuratoribus accensis, nuper collecta, déque illâ, quæ Catechismi est, aliquid perstringendum. Ita nimirũ floret

Digitized by Google

floret prior illa nouitia omni virtutum genere ac pietate, vti plùs ne quidem optandum videatur. Nosocomia sedulò inuisere, aditare publicas vrbis custodias, miseros consilio, pauperes eleemosynâ iuuare iam illis antiquum est. Par commendatio eorum, qui in Catechismi Sodalitio membra sunt, quorum operâ factum est, vt non quâque tantùm hebdomade centum pauperibus (quos vel conditio, vel pudor mendicare prohibet) panis abundè distribuatur, sed etiam solemnioribus Paschæ diebus multis egenis, atque ærumnosis cum pane carnes præbeantur.

III. IN OPPIDA laboratum exierunt è domo Professâ Sacerdotes septem. Oppidanus quidam longâ annorum serie salutis suæ negligens conscientiam ferè omnem exuerat, adeò vt machinas tam verbi diuini, quàm amicarum suasionum peruicaci fronte, atque obturatâ aure repelleret: is autem simul resciuit Nostros illuc veniisse, diuino quasi æstu efferuescens: *Me me, inquit, me quærunt hi Patres, meâ causâ adsunt.*

Nec mora, amouet à se flagitiorum fomenta, à quotidianis rei familiaris occupationibus auellitur, totúmque octiduum conscientiæ sedulò ad Confessionem excutiendæ tribuit. Patrem deinde adit cadentibus lachrymis, quibus & deformitatem animi abluit, & vitæ melioris initium fecit. Admiserat & femina graue piaculum, & (vt genus id hominum, est leue ac meticulosum) sacrilego quodam pudore præpedita illud in Confessione nefariè

Digitized by Google

suppresserat, scelus sceleri addens. Accesserat nihilominus temeraria ad sacram mensam: in quâ cùm aliquando sanctissimum CHRISTI corpus linguâ cõtingeret, tanto diuinæ animaduersionis metu perculsa est, toto vt corpore perhorrescens frigida sudaret, consilij omnis ignara penitus & expers. Tandem digitos ori inferre ausa sacram hostiam educit, linteo inuoluit, domúmque suam asportatam in loco quem habuit decẽtissimo collocat, vbi singulis diebus coram cœlesti illo thesauro certum orationum numerum, inter suspiria multa gemitúsque persoluit, veniam identidem postulans scelerum suorum, & temeritatis. Deinde verò cùm ad suam illam quasi aram pro more accederet aliquando, & inuolucrum, in quo CHRISTI Corpus recondiderat euolueret, adeóque excuteret, plùs non reperit, quàm olim Maria Magdalena in sepulchro, linteum & locum. Ingentem ea res metum, terorémque incussit feminæ (neque enim alius præter eum, quem ibi absconderat, facti notitiã habebat) vt tanquam amens impósque sui ad Sacerdotem cucurrerit, cui & peccatum illud occultum, & quæ deinde sequebantur, vt à me iam narrata sunt, ordine detexit.

IV. SCHOLASTICI, quorum mille plùs minùs Hispali scholas nostras adeunt, officium suum, tam in litteris, quàm virtutibus addiscẽdis more antiquo fecerunt: quod supellectilis nouæ templo accessit trecẽtorum aureorum fuit; mille verò minimùm stetit tabula, quæ in Collegio Anglicano D. Gregorium Magnum, suum Patronum

Digitized by Google

num repræsentat: præter alia aliunde huic templo assignata, legarunt testamento morientes duo, alter quingentos aureos quorum annuo reditu quatuor & viginti fiant piacularia sacra; alter quotannis centum, eâ conditione, vt totidē pro legatoris animâ offerantur. Probationis domus, paratâ iam supellectile, & commodâ habitatione incolas suos adhuc operitur, sequenti primùm anno ex Montellano Collegio deducendos.

CORDVBENSE COLLEGIVM.

V. NISI insigni virtute viri æquè prodesse mortalibus possent, cùm soluti è corpore diuinam intuentur Maiestatem, damnum profectò plùs quàm mediocre dicerem ad hoc Collegium peruenisse morte sui Rectoris, P. Augustini Lopez. Magnus in eo viro fuit in DEVM amor, magna cœlestium rerum cognitio, & despicientia humanarum. Ita totum se superioribus reliquit, eos vt nunquam vllius sui commodi gratiâ lacesseret, ne vel vnâ quidem quotidianarum petitionum (vt fit) interpellatione grauaret; quod ego tanto sanè magis commendandum arbitror, quanto ille affectâ magis valetudine vtebatur. In vultu modestissimo animum vidisses; adeóq; ille omnibus opportunus fuit, vt mœstus nemo ad eum non accederet, mœstus nemo ab eo rediret. Vtramque Philosophiam diuinam & humanam multa cum laude docuit; præter hoc re-

Digitized by Google

xit Collegia Hispalense & Cazorlanum : triginta tres annos in Societate, vndequinquaginta in vniuersâ vitâ consumpsit".

V L. PARTHENII Sodales bis hoc anno dederunt operam, vt vniuersa vagorum mendicorũ, & circũforaneorũ turba è palearijs receptaculisque suis, è plateis compitisq; certum in locũ cõuenirent. Hos ijdem Sodales multis antè diebus instituunt Catechesi, & rectâ confitendi ratione imbuunt, illincque ad statum diem agmine per vrbem circumducto, Christianam doctrinam decantantes, nostrum in Collegium deducunt; vbi ad Confessionem eos nostri operiuntur Patres, aliique eiusdem Sodalitij Sacerdotes, vniuersim ad quadraginta: expiati ad templum pergunt, Sacrificio & Diuinæ mensæ vnà omnes interfunt eius conditionis homines circiter quadringenti. Quibus ritè peractis, eodem, quo venerunt, ordine, ijsdem ducibus in hospitales ædes reducuntur, cohonestante pompam vtroque Sodalitio, tam VIRGINIS, quàm S. SPIRITVS: nec non & aliquibus alijs Ecclesiasticæ dignitate præditis, qui in partem tam pij operis hoc anno venire voluerunt. Audita est & harmonia templi templi maximi, quæ paupertinæ cohortem ad ædes aduentantem iucundissimè salutauit". Hic ergo accubuerunt": Sacerdotes tam Nostri, quàm alij officia sibi ministrorum, cum magnâ sui victoriâ, pauperum solatio, aliorum cõmendatione fructúq; sumpserunt. Porrò Sodalitas Parthenia eos viros hîc informat", quorum opera non vrbem modò istam, verùm etiam

etiam conterminas, alióſq; pagos attingit: excurrunt Noſtrorum ad inſtar, concionantur, Catechiſmum docent. Confeſſiones excipiunt.

VII. A NOSTRIS verò tres præcipuè expeditiones ſunt ſuſceptæ: Lucenam, Bellamarcem, Hinoxoſam, oppida huius Diœceſeos populoſa. Lucenæ Sacerdos vnus iam diu demoratur, ab excellentiſs. Cardonę Duce ad cõſcientiæ præcipuè negotia detentus. Duobus alijs locis ea fuit quandóq; hominũ accurrentium audientiúmq; frequẽtia, vt & ſuggeſtus ſub dio fuerit erigẽdus, & paucis intrà diebus ampliùs centum fuerint auditi, qui in primam pueritiam confitẽdo ſunt regreſſi. Cuidam longum peccandi exercitium, & à quindecim annis continuatum, habitum, & quandam quaſi neceſſitatem fecerat. Is à concione ad Sacerdotem recta ſui accuſator futurus abit: vix limẽ attigerat, vbi ſacer Iudex ſedebat, cùm ingẽti ſe detineri impetu ſenſit: rei nouitas ſtupefecit reum; eodẽ deinde iterum veſtigium ferre tentat, iterum è veſtigio retrahitur; ſepties idem conatur, ſepties eodem modo impeditur. Aduertunt interea Sacerdoté hi fluctuantis hominis curſus & recurſus, qui facilè inde reciprocationes animi, & conſcientiæ miſeros Euripos pro ſua prudentia conijcere habuit. Itaque eo, qui priùs abſoluẽdus erat, dimiſſo, ſurgit ocyùs, hominẽq; iam recedentem inſecutus, aſſecutúſque blandè comitérq;, numquid ſe velit, interrogat? ille ore ſubtriſti; nihil, inquit, aut te, aut tuâ operâ mihi vſus eſt: magis vrget Pater, magis ille negat: donec ſæpius repetitis ictibus

bus percussus, fractúsque silex scintillam dedit diuini amoris, & apertis per confessionem culpis, aquam pœnitentiæ.

GRANATENSE ET MALACENSE COLLEGIA.

VIII. VTRVMQVE hoc Collegium habuit, quos lugeret: Granatense, P. Andream de Zea, contemplationis studio ita deditum, vt horas quot diebus ternas, aut quaternas in orando poneret; festas verò luces ei negotia rotas cõsecraret. Animaduertere tamen erat illum certis quibusdam temporibus alacriùs quodammodo, & maiore cum animi suiuoluptate, æstúque diuina tractare: ij fuêre dies quo sacri Baptismatis charactere signatus est, quo ad apicem Sacerdotij euectus, quo Societatem ingressus, & omnes denique illi, quibus aliquo se beneficio singulari à DEO affectum meminisset. His exercitijs ita diuinam sibi Maiestatem fecit propitiam, & benignam, nullius vt vnquam petitionis repulsam facilè ferret. Accitus aliquando ad infirmum, super peccatis audiendum, reperit miserum de mentis potestate deiectum, sùique omnino impotem. P. Andreas collegit se tantisper, animæque periculum DEO cõmendans, petit, quàm potest enixissimè per merita B. P. N. IGNATII, tam diu sana mente vteretur æger, quoad peccata saltem detegere & absolui posset. Impetrauit: sed plùs non quàm postulasset; expositis enim culpis, àse iterum subitò cœpit exire, & delirus

lirus aliena agere. Alius cùm Asmodæum importunum haberet, corporisque titillationibus ad molestiam vreretur, Patrem Andream pro asylo sumpsit, eius consilium, & preces pro remedio. Suadetur ipsi, in templum se ad augustissimum CHRISTI Corpus conferat, demisso animo supplicique voce auxilium poscat, experturum scilicet, quantum in eo miraculo præsidij, quantum victoriæ sit contra omnes eiuscemodi Cacodæmonis insultus. Obsecutus est alter, & deinde non modò non expugnatus, verum ne impugnatus quidem est. Gramaticen quatuordecim ipsos annos (cùm in Societate quindecim tantùm exegisset) docuit vir optimus, tanta pietate & solertia, vt ab eo discipuli non minùs inflectere nomina, quam prauos mores, non magis cõiugare verba, quam virtutes discerent. Dum ius à recto modestiæ tramite adolescẽs quidam eius, discipulus in vitiorum abrupta præceps ibat, doluit bonus Præceptor tantam animi indolisq; iacturam, vocat seorsum ad se, elapsúsque cum illo in Gymnasium, attritam exuit vestem, induitq; saccum (qui eam in rem Nostris vsui est) & mox Xaueriana virtute flagris ita in se cœpit animaduertere, eos gemitus sensúsque ab imo pectore extrahere, vt miser adolescens exterritus, ac pœnè exanimis ad illius sese pedes prouoluueret, vitæ emendationem omnémq; morum elegantiam promitteret. Sed nihil æquè in P. Andrea splendidum fuit, quàm ea virtus, quæ splendidum omne fugit atque contemnit, adeò vt se omnium imbecillimum indignissimúmq;

Digitized by Google

non simulatè dictitaret. Supellex cubiculi paupertatis amorē quo tenebatur, satis vtiq; demōstret: sedes lignea, tunica setosa, scutica, tres quatuorve libelli pij, imago CHRISTI Cruci affixi, & cineres sacri, quos à cinericijs diebus reseruarat, quò recentiorem haberet mortis memoriā: hęc, inquam, vniuersæ ipsius erant diuitiæ. Ierat aliquando annosâ lacernâ tectus in cœnobiū quoddam Religiosorum, vt cum rogatoribus ad postes eius diei victum emendicaret. In reditu efferuescente, vt solebat, spiritu, suadet comiti, duplicato ad humeros Epitogio secum incedere: incesserunt itaq; ambo per medias vrbis vias, ridiculi & contemptibiles, cumq; eleemosyna victoriam quoque sui domum retulêre.

Denique mores illius vniuersim, tam exteriores, quàm interiores, tales erant, qui non modò Nostris in eum reuerentiam, sed alijs etiam religionem quandam inijcerent, SANCTVM eum pleno ore in omni ferè sermone appellantibus. Ea verò aduersus ipsum existimatio præcipuè declarata est in funere, quod cohonestatum est, non solùm hominum Sodalitatis (quam ipse instituit) sed frequenti etiam aliorū conuentu, qui aut corpus exanime tangere, aut exuuiarum aliquam particulam auferre certabant. Quem Malaca priorem sepulchro intulit, fuit Ioannes Ortizius domesticus adiutor formatus, cùm alijs animi dotibus, tum præcipuè paupertati deditissimus, adeò, vt nunquam induci potuerit, vt vel pileum alium, nedum togam assumeret, quam non pauperrimus aliquis exutam deposuisset.

Poste-

Digitized by Google

Posterior P. Iosephus de Quadros fuit, Concionator in hac prouincia nulli secundus. Ante Religionis ingressum, totum suum assem (qui bene magnus erat) ex consilio CHRISTI pauperibus distribuit, in cuius aliquam partem Societatem quoque admisit. Indoles viro erat omnibus mirum in modum amabilis. Alia horum Collegiorum hæc habe.

IX. INTER Sodalitia, quorum vtrobique terna vigent, illud, quod S. SPIRITVS est, pro pauperibus maximè laborat. Ipsi Sodales singulis hebdomadis aliquoties contentâ voce pro illis stipem rogant. Lupanaribus suam pietatem inferunt, & animas subinde aliquas ex lenonum manibus ereptas in pudicitiæ castello collocant. De corporis volũtarijs macerationibus, tametsi frequentibus, vt alibi, ita etiam hîc dicere supersedeo. Motritũ oppidum maritimum aliàq; cõplura Granatẽses fructuosè diuinis rebus instruxerunt. Malacenses quinq; Hæreticis fidem nostram, totidẽ Iudæis CHRISTVM IESVM verum Messiam persuaserunt. Res, quam hi posteriores accidisse testantur, miraculi speciem habere videtur. Vocatus Pater est ad ægrotum graviter afflictum, sanâ tamẽ mente (vt potuit) vtentem. Hic peccatis suis ordine, vt decebat, enarratis, acceptáque absolutione: *Attende* (inquit ad Sacerdotem) *attende sis mi Pater, quæ vera tibi dicam, vtpote qui rationem factorum DEO quàm mox redditurus sum. Horâ postmeridiem secundâ* (quarta autẽ erat, cùm hæc narraret) *voluebam animo, quàm plurima frivola et inutilia: Confessio ne im-*

men-

mentem quidem veneraſi; nec enim vero rebar vt morerer, cùm tam nihil propiùs mihi ſit quàm mors. Hæc, (inquit) *agebam, cùm ecce tibi neſcio, quà ingreſſus in cubiculum eſt homo grauis, et omni parte venerandus, eo ornatu habitúque corporis, quo tui inſtituti homines vtuntur, poſitúſq; contra lecti ceruical, & pedes huius ſimulachri ſummo capite contingens* (erat effigies CHRISTI Domini è cruce pendentis) *nutu veruicis ſimul & manûs me vocauit. Ego quantum potui caput attollens, ne quâ inani ſpecie ludificarer, attendo, clarius dignoſco virum illum venerabilem ſedere in pugno innixâ maxillâ, eorum ad inſtar, qui confitentibus ſe accommodant, méque iterum manu alterâ vultúque hilari, ac beneuolo inuitare. Ego vt mandatis illius obtemperarem, iam è lecto, vt poteram ſurgebã, quando ſubitò ex oculis euaſit, tanto mihi Confeſſionis faciendæ deſiderio relicto, vt confeſtim vxore accerſitâ vnum aliquem è Patribus Societatis ad me vocandum cenſuerim.* Hæc ille lachrymis præ gaudio fluentibus, narrabat: quis autem vir ille venerabilis fuerit, ſapientiſſimo cuique licebit arbitrari: ſunt qui B. P. N. IGNATIVM fuiſſe credant, cuius tum celebritas Beati fieri ſolita, Malacæ indicta erat; quorum in ſententiam facile iuerim, quòd ægrotus ille (vt ipſe declarauit) nunquam antea Societatis hominibus ſolitus fuerit confiteri.

COLLEGIA MONTELLANVM, ASTIGITANVM, MARCHENENSE, CAZORLANUM, Triguerenſe, & Gaditanum.

K. DE MORTVORVM rebus potiſſimùm hic nobis

nobis sermo instituetur, cùm præter celebrem Montellæ nuper institutam S. SPIRITVS congregationem, & quotidianâ è Triguerensi Collegio excursionem, aliámq; Marchenâ Lucenam Ducis Cardonæ oppidum susceptam, vix sit, quod aut alijs annis, alibi saltem non lectum, aut generalem rerum cumulum, & computationem non fuerit ingressum. Igitur à Ioanne Gomezio ordiamur, qui ex prouincia hac in Castellanam, propter insignem virtutum omnium, quo animus eius fragrabat, odorem missus est, vt in Collegijs, prouinciisque lustrandis comes esset Patris Simonis, qui vnus è decẽ Architectis illis fuit, qui prima Societatis nostræ fundamenta iecerunt. Eo gnauiter perfunctus munere in prouinciã remissus, vitę suæ reliquias in Montellano Collegio transegit, Tironibus nostris iuuandis mirè aptus, donec morbo, & senio eæ curæ cesserunt. Quo tempore mirandi vehementer erat, senem octogenarium, maximisque ægritudinibus pœnè confectum quot diebus corpus flagellis atterere, cõmuni omnibus hora è lectulo se proripere, genibus flexis orare, aut si quando in oratione sedens deprehenderetur, verecundè petere sibi hoc ætatique condonaretur. Frequens erat in postulanda à DEO perseuerantia, quam quia sibi, videlicet iam morti proximus, impetrasse videbatur, ingenti perfusus lætitia, animique tranquillitate gestiẽs exclamauit: *O felicissimus, ô fanstissimus, ô terque quaterque beatissimus Coadiutoris temporalis status in Societate IESV.* Animabus, quæ in purgatorio

igne

Digitized by Google

igne cruciantur, singulariter volebat bene, maximóque curabat opere, easdem suffragijs & precibus suis quàm frequentissimè iuuari; quam illæ pietatem in beatitudine postea rependisse videntur, cùm eo ipso die migrarit è corpore, quo solemnes defunctorum feriæ ab Ecclesia peraguntur.

XI. CAZORLÆ decessit P. Bernardus Alphonsus, qui licet paucas in Societate vixerit horas, meritorum tamen communium amplitudine temporis breuitatem extendit. Fuit vnus eorũ, qui tanto cum rei litterariæ, & totius prouinciæ cõmodo Baëzanæ Academiæ primi posuerunt fundamenta. Deinde Apostolico spiritu, atque animarum salutis ardore æstuans, inculta noualia sedulò obiuit, doctrina excoluit, mirabilíque vitæ suæ exemplo illustrauit, donec affecta iam ætate à Generali Præposito facultatem impetrauit, vt postremis saltem vitæ horis in Societatem admitteretur: quod ea animi illius iucunditate factum suauitatéq; fuit, nihil vt dubij Nostris reliquerit, quin inter ipsos Societatis viros sanctissimos locum fuerit sortitus. Octingentos Collegio legauit aureos, si vnà Bibliothecam æstimes. Ter mille assignauit Illustrissima Marchionissa Camarasæ.

XII. MARCHENÆ humanum cursum expleuit Antonius Turrensis Coadiutor formatus, miræ probitatis frater, & magna aduersus Socios charitate. Obijt item Illustrissima Princeps, cui vt nostra res semper cordi fuit viuenti, ita & defunctæ corpus in nostro sacello humari, sepul-

chro

Digitized by Google

chro iustíſq; ſolemnibus ornari voluit. Scripſit nos hæredes ex dextante: legauit etiam nobilis quædam femina aureos ducentos: eleemoſynæ tantundem acceptum aliunde.

XIII. GADIBVS Ferdinandus de Leon formatus Coadiutor morbo victus eſt. De ſeptuaginta annis Societati dedit quadraginta, omnium virtutum genere imitandus. Æditimi munus diu multa cum animi ſui voluptate, ſacræque rei vtilitate varijs in Collegijs adminiſtrauit. Ex eo munere ad vacandum diuinis rebus aptiſſimo, tantam ſibi pietatem religionémque erga ſanctiſſimam comparauit Euchariſtiam, vt multas ſæpe horas coram illâ ſuauiſſimâ contemplatione defixus hæreret. Appendam his vnum Gaditani cuiuſdam adoleſcentis pulcherrimum facinus. Ex Parthenio cœtu erat hic & fortè pomeridianam de more concionem ſolus petebat. In via à Salaci mulierculâ ad flagitium intercipitur: ille, ſiue antiqui exempli memor, ſiue nouum ſtatuere cupidus, relicto in manibus impudicis, ad inſtar Ioſephi Patriarchæ, pallio, fugâ ſuam texit ſeruauitque integritatem.

FRAXNETINVM, XERENSE, GVADIXENSE COLLEGIA.

XIV. BIS ex Fraxnetino Collegio excurſum, Medinam Turrium primò, populoſum oppidũ, vbi nunquã antea Noſtri pedẽ poſuerunt; ideóque

que plena omnia sentibus, & vix aliquas alicubi vinas fidei radices repererunt. Villaluam deinde, vbi primo aspectu oppidanorũ animi non nihil cõmoti videbantur, suspicati aduenas istos de genere eorum esse, qui sanctimoniæ prætextu prouinciam illam perditum ierant (Illuminati vulgò vocabantur ij) ita vt iam nemo Socios cõgressu, nemo colloquio dignaretur. Postea tamẽ breui labore ita omniũ inflexæ voluntates sunt, vt neminem iam magis sequerentur, quàm quos maximè fugissent. Erat in oppido, quod Fraxineto non longe abest, Sacerdos, qui curandas animas susceperat, is eâ vitæ licentiâ effrenataque libidine diffluebat impunè, stygium, vt esset omnibus offendiculum. Nihil hominem, mouerant blandę religiosorum virorum admonitiones, nihil publicæ concionatorum voces acriter obiurgantium, nihil carcer & vincula, nihil pœnæ grauiores à suo Præsule irrogatæ: nihil ipsum denique exilium, quod ab eo oppido fuit diuturnum. Videbatur grauiori Vindici debere pœnam nihili homo. Rus ergo se contulit equo inuectus caprandarũ auicularum gratiâ, cœlo aperto & sereno: ibi nihil minùs timentem, repentina tonitrua, fulgura, grandines, & omnes cœli iniuriæ inuadere, tamque effusâ pluuiarum vi obruere, vt miser annosam sub quercum confugeret, ibíque salutem quæreret, vbi malũ reperiret. Enimuerò crescente turbulentissimâ tẽpestate, quercus ipsa, eques cũ equo fulgure humi affliguntur, maxillâ hominis dextrâ totóque latere ad summam cutis vstulatis. Tamdiu sub

equo

equo fulmine enecto iacuit semiuiuus Sacerdos, quoad tempestas posuit, tum verò, vt potuit enixus ad villam loco finitimam adrepsit, vnde in oppidum relatus, & fulminati lateris, & animi hiantia vulnera curauit: siquidem viuâ etiam tum cicatrice nostrum adijt collegium, sacrisq; excultus commentationibus, vniuersam vitam priuatim aperuit, publicè omnium cum admiratione correxit.

XV. XERÆ magna pecuniarum copia proprijs dominis redhibita; occasiones peccandi resciss frequentes; pacificationes factæ plurimæ; quarũ rerum singillatim meminisse longũ foret. Nos ex centum & triginta eiusmodi exemplis vnum ponemus. Vir nobilis quâ nescio læsus honoris offensiunculâ Sodalitatis pomeridianas conciones, aliasque pias exercitationes desierat accedere; qui ex illâ statim die cœpit malè affici, & tam animi, quàm corporis doloribus non mediocribus torqueri, qui quidem nullâ medicorum arte, nullâ humanâ industriâ poterant impediri, quò minùs per totum corpus malum diffunderetur. Lecto affixus sex integros menses tanta incommoda passus est, quanta vix credi possunt. Tandem sapuit, diuinitúsque in se vindicari animaduertens, sacrum cœtum, quem inconsultò deseruerat, quàm maturrimè repetere decreuit, ædes Societatis adiuit, confessus est, Eucharisticum panem sumpsit, & cum eo pristinam animi & corporis sanitatem. Lustrârunt præterea ex Xerensi Collegio Sacerdotes duo Moronẽ oppidum prænobile, cum pagis circumiectis: Scholæ

Digitized by Google

numero discipulorum longè superârunt præteritos annos.

XVI. AMPLIVS septuaginta homines ferro vincti ex agro Valentino per Guadixensem trahebantur ad quinqueremes: hi ex itinere à grassatoribus intercepti, vinculisque soluti in fugam diuersi abierant: sed tandem comprehensi denuò, & in vincula coniecti Patribus nostris amplam benefaciendi dederunt occasionem. His illi omni aliunde auxilio destitutis diuina Sacramenta ministrârunt; hos pijs præceptis, & admonitionibus instituerunt, suisque, quatenus licuit, & alienis eleemosynis subleuârunt; nihil vt esset, quod Socios vniuersæ ciuitati magis commendaret, quàm cum viderit eos cum ollulis & sportulis per vrbem in pauperum caussâ discurrere. Eadem cura pro moribundis suscepta. Compererat Pater, feminam in vltimo discrimine positam non tantùm Christiana sacra non flagitare, sed vltro etiam oblata peruicaciter neglectui habere, respuere. Aggreditur eam principiò blandior; tum deinde acerbior; æternam postremò irati NVMINIS iram, & horribilia inferorum supplicia quantis seueriſſimis verbis potest, ob oculos ponit. Frustra fuissent omnia, nisi aliud valuisset. Procumbit in genua Pater, obsecrat circumstantes, se præeunte Litanias Sanctorum recitent. Quod dum faciunt, illicò auditur femina; *Confiteri, pater, confiteri non recuso.* Cui mox Sacerdos aures, DEVS cœlum haud dubiè dedit. Quem diem S. Torquato huius vr-

bis

bis iuxtà ac Collegij patrono sacrum hîc celebramus, eũdem solemnis pompa è templo maximo in nostram ædem procedens cohonestauit, quę quo fiat in posteros annos illustrior, certam statamq; pecuniæ summam Pontifex huius loci de annuo suo reditu assignandam curauit.

COLLEGIA BAEZANVM ET OBVLCENSE.

XVII. NESCIO, an vsquam in totâ prouinciâ maior incolarum sit pietas, & tam aduersus Societatem ipsam, quàm eius auctorem B. IGNATIVM amor & reuerentia, atque Baëzæ. Septem sunt istic Congregationes florentissimæ, cum quatuor tantummodo ex Nostris sint Sacerdotes. Prima habet vrbis prima capita; Priores, Canonicos, Doctores, Theologos, aliósq; tam Ecclesiasticis, quàm Academicis dignitatibus ornatos: quibus mirũ est, quàm sit cordi sacris Sodalitij exercitationibus & concionibus pomeridianis interesse, cùm tales sint, qui quadraginta aliquando annos ipsimet in cõcionandi munere summâ cum laude, & rei Christianæ accessione sint versati. Educat secunda auditores Theologos & Philosophos, Magistros & Laureatos vniuersim supra centum. Tertia & quarta recenter hoc primùm anno pullulârunt, minorum & maiorum scholasticorum. Hi à lectione vespertinâ quotidie in nostrum templum conueniunt, piáque libelli auditâ recitatione in diuinis commentationibus ponunt sesqui an semihoram.

Digitized by Google

Quinta ingentem hominum instituit multitudinem, quibus in templum dominicis diebus conuenientibus historia, aut aliud quid piam Christiano homine dignum narratur, explicatúrque.

Disparis conditionis homines complectitur sexta, tum publicos, tũ priuatos: qui omnes sub noctem primò caput aliquod ex P. Ludouico de Ponte audiunt; mediam deinde horam meditãdo consumunt, & alternis diebus toto anni decursu, nimirum die Lunæ, Mercurij & Veneris à meditatione piam vltrò diuerberationem suscipiunt.

Septima denique Sodalitas nobilibus nonnullis, & Clericis lectissimis viris constat, quorum primum institutum est, *Salue Regina*, quot diebus Sabbathinis in templo Societatis multâ symphoniacorum, & instrumẽtorum varietate, quam apparatissimè decantare: deinde vnà cum Sacerdote nostro adire nosocomium, ægros solari, catechesi informare, purgare cubicula, sordes eluere, ad vilissima quæque mediastinorum ministeria demissionis exercendæ sese abijcere.

Sodalitia hæc omnia ac singula tanti faciunt ciues, vt in eo homine absolutam virtutem vix esse posse existiment, qui vnius saltem eorum alumnum se non profiteatur.

XIIX. Dvæ Missiones ex hoc, & Obulcensi Collegio perutiles fuêre: altera Anduxarem, vrbem in Bæticâ nobilem, in quâ Societas iam pro se statum vectigal habet, vt superioribus annis indicatum: altera Linares, Baylenum, Giennensis

Digitized by Google

sis Diœceseos oppida non obscura. Nec minùs egregiè in Socios animata est ciuitas Obulcum, quàm Baëza, cùm illi sit finitima, ab eáque vix leucâ vnâ distet, atq; adeò eadem ciues ingenia, eandémque morum facilitatem à naturâ sortiti videantur. Prætextum est altare duplici pallio, serico vno, gausapino altero: ornatum argenteis candelabris: empta Collegio villa iugerum quadringentorum, quæ stetit aureis nouies mille: legati testamento in præsens ducenti aurei, aliíq; quadrageni per sexennium accipiendi. *Benefacientibus* DEVS *faciat quoq; bene.*

Digitized by Google

Socij ſeptuaginta duo ſupra trecentos (ſi viginti & duos, qui ex Hiſpaniâ ſuperuenerunt, annumeres) Peruuianam Prouinciam conſtituerunt, domicilijs quatuordecim diſperſi. Tredecim inter viuos eſſe deſierunt; cœperunt eſſe inter Noſtros viginti.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Collegium Limanum.	CXV.	XXXVII.		XLII.	XXXVI.
Domus Probationis ibid.	LVII.	X.		XXIV.	XXIII.
Seminar. S. Martini ibid.	X.	III.		V.	II.
Sedes S. Iacobi ibidem.	III.				
Collegium Cuzchenſe.	XXVI.	XII.		IV.	X.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Arequipenſe.	XVII.	IIX.	I.		IIX.
Ciuquiabenſe.	XIII.	V.		I.	VII.
Potoſinum.	XIX.	XI.			IIX.
Ciuquiſacanum.	XIIX.	VII.		II.	IX.
Huamanganum.	XI.	V.			VI.
Sedes Iulidenſis.	XI.	V.			VI.
Sedes ad S. Crucem.	IX.	VI.			III.
Collegium Quitenſe.	XXXVI.	XI.	II.	II.	XXI.
Seminarium S. Ludouici.	IV.				

Digitized by Google

Baptizati sunt ex adultis centum triginta sex.

Venefici celebres malas artes dedocti viginti vnus.

De omni ætate confessi Nostris nongenti quindecim.

A cæde propriâ inhibiti quinque.

Refrænatæ libidines, aut concubinæ auulsæ duodecim.

Simultates grauissimæ compositæ septendecim.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM LIMANVM.

I.

DISTRACTA TANDEM HÆC prouincia fuit (antè enim de totâ vniuersim paucula tangentur, quàm ad singula descendatur) in Paraquariam, & noui Granatensis regni, quæ diuisio vtilis maximè fuit, quod adeò pateret Peruuium, vt à Carthagine ad Paraquariam vsque leucæ amplius mille ducentæ terrestri itinere numerarentur, quæ vix à Prouinciali Visitatore magnis laboribus percurrebantur. Ad harum Prouinciarum fundamenta iaciunda, Peruuiana hęc non solùm eos socios, qui in illis tunc temporis versabãtur, reliquit, sed duos insuper & viginti alios, partim ex tertij anni, partim ex litterarum palæstrâ eductos libenter liberalitérque obtulit. Suppleuerunt autem locum istorum totidem alij ex Hispania, IV. Calendas Martias Præpositi Generalis iussu dimissi, & Lionam VI. Idus Septembres felici vsi nauigatione læti, incolumésq; appulsi. Decimauit tamen in ipso nauigationis de-

Digitized by Google

cursu militum mors. Primum abstulit P. Ioannem Herbite, qui dum è Panamanâ sede nouum vectorum, & reliquæ multitudinis confessiones excepturus cõtenderet, nimiâ scaphæ iactatione agitatus, in medio itinere Socios inter amplexus reliquit, ac licet imparatus morì nunquã fuerit, eo ipso tamen die magnâ religione rem diuinam fecerat, quod vnum in tanto Patris desiderio solatio omnibus fuit.

Alter quem sors eadem tetigit, Ioannes Lopezius erat, familiaris adiutor, dysenteriâ multorum dierum cõfectus in mari Xurio, sacro priùs & viatico & oleo impertitus. Aliorum interim Nostrorum, qui superstites nauigabant, eæ fuerunt exercitationes rerum sacrarum, eæ studiorum & Societatis ministeriorum obseruationes, vt, si præsto esse licuisset, bene constitutum Gollegium dixisses. Sed quoniam eiuscemodi nauigationum labores audire pluribus fortasse gratum, aliquibus etiam vtile esse poterit, eos paucissimis verbis dabo. In naui præter Catechismi explicationem, quæ duobus in locis ad nautas & milites, tum ad rudium puerorum imperitam plebeculã quotidie habebatur, Nostri ter in hebdomadâ (ieiunium vernum erat) ad turbam verba faciebant; piam Sabbathis narrabant historiam; egenos eleemosynis quotidianis iuuabant; ægros extremis Sacramentis, mortuos iustis funebribus prosequebantur. Item etiam pulchro quodam excursionis genere ex vnâ ad alias naues: Archithalassiam præsertim Carthagine ad portum Bellum vsque Sacerdos,

Digitized by Google

cerdos è Noſtris cum fratre, Ducis rogatu, ſecutus eſt, magno ad conciones, ad confeſſiones hominum concurſu. Ibi cùm ex claſſe multi in morbum incidiſſent, tam diu bonus pater curandis ægris operam dedit, dum ipſemet febri correptus, ab alijs curandus alióq; tranſportandus fuit. In alijs nauigationibus eadem Noſtrorum exercitia, quæ, vt nunc Collegia ingrediamur, conſultò prætermimus.

II. PRIMVM ſe offert Limanum, in quo Sodalitates præcipuè florere video, hoſpitales domos frequentari. Erat in his grauiſſimo quidam obſeſſus veterno, qui linguæ pariter auriúmque vſum perdiderat, adeóque teſtamenti conficiendi, cuius plurimum intereſſet, prorſus ineptus. Magis tamen meritò ſtimulabat ea cura, quòd Confeſſionis Sacramento non obito periculosè moreretur. Aduocatus è Noſtris vnus communes preces à præſentibus impetrat, quas merito B. IGNATII efficaces eſſe voluit, cuius & chirographum magnâ fiducia capiti ægrotantis impoſuit, & coniux eidem votum nuncupauit. Ex eo facto moribundus ſtatim tantùm effari, & agere potuit, vt rationes ipſe tam rerum ſuarum, quàm peccatorum ritè ſubduceret, nec prius animam dimitteret, quàm tria Sacramenta percepiſſet.

III. XIII. CALENDAS Nouembres ſeptimâ poſt meridiem horâ inuſitato motu terra hiſce in partibus concuſſa, ingens tum vrbi vniuerſæ, tum Collegio attulit detrimentū: huius. n. vel vnius damnum triginta millibus pondo non

do non redimatur. Sed vel ex eo motionis illius magnitudinem conijcias, quòd in noſtro prædio mulier indigena tanto fuerit pauore correpta, vt è veſtigio corruerit, & nullis conceptis verbis animam exhalarit. Ceſſante terræ motu, homines moueri incipiunt, & ad nos vndique certatim lymphatis ſimiles accurrere, trepidíque peccatorum ſuorum arcana Sacerdotibus aperire. Vix interceſſit hora quietis, cùm alius æque terribilis ſubſequitur. Videbatur diuina ſapientia hoc modo mortales ad officium voluiſſe cogere; tantam omnibus fecunda hæc concuſſio iniecit religionem: is certè hominum ad templum noſtrum fuit concurſus, vt ex tempore fuerit referandum, & apertis auribus ad multam noctem ſedendum: decem continuis diebus identidem trepidatum eſt.

MISSIONES DVÆ AD VALLEM TRVXILLENSEM, GVANVCVM, Sannam, & Idololatras indigenas prope Limam.

IV. SOLEMNES iam ſunt excurſiones illæ in oppida Callao & Ica: quæ verò in has partes à quatuor Sacerdotibus ſuſceptæ, aliquid nouitatis habent. De priore P. Antonius Pardo, qui vna cum P. Philippo de ſopià in illa verſabatur, ita ſcribit: *Cùm hæc obirem loca, ſæpe mihi in mentem veniebant illa S. Ioannis verba: Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas DEI manet in illo? Quodſi de cor-*

Digitized by Google

de corporis alimentis intelligendum est, quanto verius & vtilius de animæ? Nullus ferè Indorum reperitur, qui Catechismi habeat cognitionem; plurimi nullo obito Sacramento decedunt, etiam Baptismatis: & hoc non Parochis iniuriæ vertendum, fortè enim officium accuratè præstant, sed itineris difficultatibus; quare vix possunt à Parochis inuisi.

Ad Guanucum cùm accessissent Patres, Iubilæi concessiones statim promulgarunt; fuerúntque tam Hispani, quàm Indigenæ, eas qui acceptarent, quindecim intrà diebus ad quadringentos ferè, fuissentque multò plures, si copia daretur eorum, qui vernaculam callerent. Inde Caxatambum digressi, repererunt hominem, *qui sibi P. Antonium Lopezium notißimum fuisse testatus est, seque ab eo comitem itineris sæpe numero adscitum. Patrem verò cùm sibi ab indigenis insidias parari, venenúmque propinari suspicaretur, Mayzio auectum, postea tamen veneno extinctum credi ab iis, quorum intemperantiam, & ebrietatem, aliáq; scelera reprehendisset, à quibus nunc Martyr haberetur.* Est hic ille P. Antonius Lopezius, quo de annis superioribus scriptum; qui cùm grandæuus esset, & quatuor in Societate vota professus, litterarum virtutúmque apprimè peritus, eum sibi scopum designauit, semper Indorum caussâ huc illúcq; vagari, à quibus demum interfectus gloriam sibi immortalem comparauit. Vlteriùs cum processissent, & præsertim cùm ad Chachapoias diuertissent, tanti erant hominum conuentus, vt quemlibet stupore defixum tenerent. Qua ipsa de re P. Antonium Pardo loquẽtem, iterum audiamus:

Digitized by Google

diamus: *In tanto*, inquit, *animorum motu, quid prius admirer, prorsus me latet: vtrum internum diuini spiritus afflatum, quo res abstrusas & reconditas aperire cogebantur; vel copiosam lachrymarum vim, quam ex oculis inter confitendum emittebant. Quæ ego tacitâ cogitatione perpendens, sæpe in illa verba prorumpebã: Domine in mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis; digitus DEI hic est, hæc mutatio dextræ Excelsi.* Hæc ille. Rebus ad Chachapoias feliciter ita peractis, Sannam Nostri peruenerunt, quam dissidiorum ardentibus facibus laborantem, & miseris distractam modis inuenêre, sed aliam longè abeuntes reliquerunt.

V. NONDVM Sacerdotes isti domum rediérant, cùm alij duo ad vicina oppida exibant, P. Petrus del' Castello, & P. Caspar Montaluo: quorum iter, quia res ita petit, paulò altiùs resumam. In Huarochirienſi præturâ prope Limam multæ Indorum parœciæ sunt, inter quas insignis hoc anno fuit D. Damiano dicata, cuius curam gerit Doctor Franciscus de Auilâ, qui & totius simul prouinciæ est Vicarius, vir in promouendâ Indorum salute mirè industrius, vt propterea apud improbos & in inuidiam, & in multa sæpe crimina per iniuriam fuerit vocatus. Ille tamen, quâ est animi magnitudine, nihil fractus iniurijs, periculisque nihil territus, susceptum semel consilium æquanimiter vlterius produxit. Cùm enim in Idolorum conquisitione animaduerteret plurima efficacioribus remedijs esse curanda, publicis edictis cauit, ne

quis

quis Idolorum cultorem occuleret; quin eiusmodi hominem ad se deferret quamprimùm. Quod quo faciliùs obtineret, ex legibus clementiæ se cum ijs acturum recepit, qui sui ipsorum indices essent futuri. Hac ratione ingentem protinus hominum multitudinem ad se attraxit, quorum alij idola exhibenda ferebant, alij reos absentes nominabant, alij Huacas digitis monstrabant: sunt autem Huacæ præcelsæ rupes, quibus Numen inesse stultè arbitrantur Indi.

VI. His ita se habentibus in partem laboris euocati adsunt Nostri; quibus cum oppidum S. Damiani obtingeret excolendum, seniores oppidanorum ad se accersunt statim, atque ab alijs, num quæ inibi reliquiæ Idololatricæ supersint, exquirunt: illi mirari primò hoc à Patribus in quæstionem & dubium vocari: *Ite quàm potestis,* inquiunt, *longissimè, & vniuersam hanc perlustrate prouinciã, nullum fortasse reperiatis hominem, (exceptis infantibus,) qui Pariacacam et Chaupinamok* (Idolorum sunt nomina) *non toto animo deueneretur.* Quod vbi intellexerunt Patres, impigrè se ad opus accingũt, cogunt multitudinem, & à fictorum numinũ cultu grauissimè dehortantur. In eâ turbâ aliquot ętate maiores capillíſq; detõsis (est autẽ inter illos vt cæsaries honoris, ita caluities dedecoris insigne) reliquorum Præceptores esse animaduertunt; conuersâ ergo ad hos oratione, vnũ aliquem illorũ surgere, & interroganti nomine omnium respõdere,

Digitized by Google

dere imperant; mox intrepidè surgit vnus: ex illo Noster quærit, *vtrum Pariacacam Chaupinamok Conchuríque, & alia id genus idola sint DEI, nec ne?* cui ille altiore voce: *minimè gentium*, respondet, *Dæmones illi sunt.* Extorta hac confessione, facilè erat promiscuum vulgus oratione in eandem deinde sententiam trahere: itaque dictus à Vicario dies est, quo die & Huacos diruerent, & cadauera mortuorũ idololatrarum exhumata pro Christianà suà fide attestandà cremarent. Ingens statо tempore ad Huacas mortalium concursus factus: defunctorum extrahunt corpora, & humeris imposita alij auorum, parentum alij, aut maiorum suorum ad destinatum locum cõportant, vbi rogo iniecta concremebantur: sub hæc illis à Patribus gratiæ actæ: tum verò ad Huacas etiam euertendas, ne vlla impiæ religionis vestigia remanerent, omnes animati magis. Et quò idololatriæ crimen fœdiùs, detestabiliúsque videretur, curatum est, vt cadauera nobiliorũ maiorúmque veterum, quos cœca gens religiosiori quodam cultu Numinum instar prosequebatur, in Huacis ad id vsq; tempus asseruata, medio in oppidi foro, adstante & probante populo, vniuersa in pyram aceruatim congesta exurerentur, adijcerentúrque insuper plurima alia idolorum supellectilia, quibus eorum dies festi celebriores reddebantur. Ad quod spectaculum gens magnis itineribus vndique tota confluxit, in cuius oculis & illa fiebãt, & ad expianda impura Huacarum loca nouem Cruces solemni, & supplicante pompa ibidem eminẽtioribus in partibus inter

Digitized by Google

inter tibiarum, tubarúmque harmonicum ſtrepitum collocabantur. Vt verò miſera illa gens tantorum ſcelerum pœnas vltro aliquas daret, à Noſtris ter in hebdomade pia diuerberationis conſuetudo introducta eſt, ad quam omnes turmatim properant, auditáque ad rem pertinente hiſtoriâ, recitatóque pœnitentiæ pſalmo vindictam peccatorum de ſe alacriter ſumunt. Horum feruorem, tam in veri DEI agnitione, quàm in delictorum ſuorum abolitione gnauiter imitata ſunt oppida D. Ioannis, & Tumnæ, in quæ Patres ex itinere inciderunt.

VII. INTER alios inſignes quidam venefici peccata Noſtris detexêre. Qui reliquorum præcipuus haberi volebat, ſe Deorum interpretem iactabat, ad quem proinde, tanquam ad aliquem Apollinem, magni in dies hominum concurſus fiebant, quibus ille Deorum nomine reſponſa & oracula dabat: quod, ne fraus alicui innoteſceret, hac ratione cauit. In obſcurum aliquod velut Trophonij antrum ſeſe abdidit, vbi natiuâ primùm voce multa effutijt, tum auctiori & ſubtiliori ita nonnulla quædam confuſè immurmurauit, vt ab ijs, qui reſponſum pauidè expectabant, minimè perciperetur. His peractis, quod in rem ſuam & loculos erat, reſpondebat; quibus fraudibus tantùm ſibi nominis & auctoritatis comparauit, vt difficile ea de præſtigiatore peſſimo exiſtimatio, atq; error ex hominum pectoribus euelli poſſe crederetur. Vnde neceſſariò faciendum fuit, vt ipſe die quodam dominico, cùm frequens conuenit

Digitized by Google

populus, modum, quo malè credulis imposuerat, publicè explanaret. Nec onerosum fuit homini in re difficili obtemperare, & tot annorum præstigias in auctoris infamiam patefacere. Elapsis deinde aliquot diebus, postquam id *sæpius* submissè flagitâsset, ad Sacramentum Confessionis admissus est.

IIX. QVINQVAGINTA & ampliùs dies in his & similibus emendâdis posuêre Nostri, quibus seges abundè suppeditauit. In oppido S. Ioannis multi sunt inuenti, qui communem totius regni linguâ ignorantes proprio vtebantur idiomate. Ad horum salutẽ nullus patere aditus videbatur, nisi ipsimet, ne confessione fraudarentur, præcipuas locutiones, quibus peccata declararẽt, addidicissent. Imò femina quędam senio & prudẽtiâ venerabilis per interpretem peccata expiare cõtendebat, Nostróq; pudorẽ illi obfuturũ obijcienti, respòdebat: *Tametsi cum pudore, sine Confessione tamẽ à te non recedam:* conniuendũ tanto salutis desiderio ratus Sacerdos, eam mirâ alacritate cõscientiæ suæ vulnera prodentẽ audiuit. Non ita multò pòst Tumnam repetiêre Patres, vbi tres offenderunt ætate confectos, nec baptismatis tamen lauacro mũdatos. Hîc illis à nescio quibus lapillus exhibebatur, cui peccata remittẽdi virtus inesse credita: quod vt fieret, radi eum, eiúsq; rameata capiti cõfitentis injici oportebat: discussa ea nugamẽta. Ita hîc ludit miseros mortales humanæ salutis hostis; ita ipse vicissim luditur à Nostris, qui tandem sexcentis plùs minùs totius vitæ Confessionibus auditis Limam repedârũt.

IX. SVB

IX. SVB IDEM tempus inde in arenam, ac puluerem iterum egressus P. Gaspar de Montaluo cum socio P. Petro de Paresà in febrim incidit, qua in dies inualescente humeris indigenarum impositus quamuis repugnans, domum reportatus est, breuiq; transacto temporis interuallo mortuus. Sacerdos in Societatem venit, in quâ cum omnium virtutum exemplar semper fuisset, tum verò demissionis, & singularis cuiusdã solertiæ argumẽta frequentia dedit, dum, vt Superioris munus admitteret, persuaderi nunquã potuit, & se Peruuianorum Confessionibus excipiendis, (quòd eorum vernaculam apprimè nosset) totum impendit. Eiusdem virtutis fuit P. Ioannes Perez de Aquilar formatus Coadiutor, qui sexagesimo octauo ætatis anno, cũ quadragesimum in Societate ageret, IX. Calendas Septembres animam egit. Is cùm in Nosocomio profanis accinctus vestibus DEO pauperibusq; inseruiret, dignus habitus est, quem CHRISTVS miro quodã splendore è latere simulachri sui promicante irradiaret, inusitatáque interius lætitiâ perfunderet. Setis & funiculis in corpus suum animaduertere non cessauit priùs, quàm viuere; quibus molestijs vti præcipuè consueuit aduersus periculosas illas occasiones, quæ castitati nocere apud incautos potuissent. Oratione plurimũ excelluit. Cùm quadã die magno DEI videndi desiderio flagraret, interiùs vocẽ audiuit hæc suggerentẽ: *Meliorem partem à me iam accepisti:* cùm iterum felicem finem vitæ deposceret; *Incolumem te reddã*, DEVS respõdit, *ità .n. fiat volo.*

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS ET COLLEGIVM S. MARTINI CVM SEDE S. Iacobi ad Limam.

X. HORVM locorum constitutio hæc est. Domum quidem insalubri cœlo subiectam, morbis obnoxiam existimauerant Nostri, eò scilicet, quòd duobus prioribus annis aduersâ cõplures valetudine vterentur: sed ita hoc anno DEI beneficio valuerunt omnes, vt hornus fructus maior extitisse videatur, quàm superiores. Antonius Correa domûs huius auctor non cessat annuos reditus augere: aliorúmque liberalitate aliquot millia pondo pro vtraque æde collata. Seminario D. Martini nihil deest, seu humana, seu diuina spectes. In D. Iacobi commendandi occurrunt à moribus & pietate ciues, quorum tanta in res sacras & diuinas reuerentia est, vt ad cœleste conuiuium ante non accedãt, nisi tribus, aut quatuor diebus præuijs ad noctem vsque ieiuni perdurent, adeóque sacram famem abstinendo quasi obsonent: cauent sibi à leuissimis etiam animorum maculis, aut certè si quis fortè illorũ grauius quid designet, id piaculum nouendiali vltrò susceptâ corporis afflictatione, lachrymis, aliísque pijs operibus extinguunt. Quàm verò in Christiano bello sint fortes & animosi, vel à feminâ disce. Hæc ab impudico quodam per vnam, & ampliùs horam vehementer oppugnata, vt eâ se denique molestiâ liberaret, pro armis phialam è luto fictilem rapit, eáque in hostem fortiter excussâ obsidionem pudicitiæ soluit.

Hi vir-

Digitized by Google

Hi virtutum radij ad exteros vsque pertingunt, quibus illustrati ipsi nõ rarò suas tenebras damnant, & lucem istorum exemplo sequuntur.

Summam præterea tenuiorum rationem habent; in quos ingentem sanè hoc anno pecuniæ summam effuderunt; excepto, quod Nostris indies largiuntur. Nam cum magnum domus nostra ex terræ motu detrimentum accepisset, templo fœdum hiante, turri solo æquatâ, ære campano rupto, atq; vno ferè diruto sacello, ea omnia indigenarum eleemosynis instaurantur.

COLLEGIVM CVZCHENSE.

XI. SACERDOTES nostri, quòd linguam gentis percalleant, incredibili fructu hîc cõcionantur: nunquam audiuntur, nisi ab aliquot auditorum millibus: audiuntur autem diebus Veneris & Dominicis bis; manè & vesperi. Motus animorum, lachrymarúmq; profusio maior nunquam fuit, quàm in cœnâ Domini, cum in foro de acerbissimâ CHRISTI morte ad duodecim circiter hominum millia verba fierent. Is enim tum fuit multitudinis de Seruatoris sui doloribus sensus, ea peccatorum detestatio clamore prodita, vt Nostri domi tunc absentes in vrbe exortam seditionem arbitrarentur.

XII. VETERIS adhuc Idololatriæ, & veneficiorum in hac prouinciâ aliquas passim reliquas est inuenire, quæ vt stirpitus tollantur, Nostrorum multus est labor. Veneficorum quidam pluribus annis decliuitates collium, fontiúmq; per-

Digitized by Google

ennitates, & solem exorientem venerabatur; cui & eulsa ab oculis supercilia pronus offerebat, & simulachra quædam (quæ ipse ex massâ sebaceâ quibus nescio herbis permixtâ fingebat) veluti Soli sacra religiosè colebat. Si quando iter esset facturus, has, quas modò dixi, animantium effigies abdebat in terram, orabátque profectionem suam faustam & auspicatam esse iuberent. Amentem hunc hominem ad mentem reduxêre Nostri, auditúmque de totâ vitâ Christianorum sacra obire docuerunt. Admodum dispar fuit Cuzchensis cuiusdam aniculæ viuendi modus: quæ veste cilicinâ ferè perpetuò vtebatur, ac flagellis se inhumaniter adeo tractabat, vt in morbum sæpius incideret. Sex mulierculas, quæ pudorem vulgauerant, sibi alumnas fecit, ad Confessionem suo exemplo perduxit, tantisper domi suæ continuit, dum alijs moribus instructas matrimonio honesto collocauit, in earum denique locum alias, atque alias recepit. His charitatis Christianæ operibus magnam rei suæ familiaris partem impendit: reliquam moritura egenis transcripsit. Triclinio domûs nostræ, aliisque officinis manus vltima imposita est magnis quidem sumptibus: nihilominus tamen æs alienum prorsus dissolutum est.

AREQVIPENSE ET CIVQVIAbense Collegia et hinc facta excursio.

XIII. Se-

Digitized by Google

XIII. SOLVTVS è corpore est P. Franciscus de Medinâ septuagenarius, in Societate quinquagenario non minor. Ex omnibus virtutibus, quæ illustrissimæ in illo erant, suos maxime radios prodidit tranquillitas quædam animi, & cum submissione coniuncta humanitas: hac ille animos tractabat pro voto, hac omnem voluntatem sibi demeruit, hac in illâ Cusquiensi & Arequipensi luce pater pauperum, solatium ægrorum ac morientium audiuit. Ad eius funus vniuersus populus, & religiosæ familiæ, vno quasi agmine confluxerunt. Quo charitatis officio satis declarârunt, quo apud eos P. Franciscus loco fuerit. Porrò quemadmodum Arequipensis vrbs diuitijs, agris & ædificijs maiora indies sumit incrementa, ita similiter Hispanorum iuxta, ac Peruuianorum numerus fit amplior; & quod hinc sequitur, manipuli, quos messores nostri comportant, grandiores.

XIV. CRESCIT quoque Ciuquiabi Sodalitas Neophytorum feliciter, cuius clientes & sibi & alijs sunt emolumento. Femina vrbẽ peccatorũ à puritiâ resumendorum ergo ingressa, propositiq; cõpos facta, eo vsq; incolarum viuendi ratione est commota, vt nũtio tam diuitijs, quàm consanguineis suis remisso, pedẽ ab vrbe referre noluerit, quò meliùs obsequio DEI se consecraret. Alia quendã è Sodalibus nostris, qui moribundæ anûs peccata audiret, aduocauit: qui cùm casulã ruinam minitantẽ ingressus esset, offendit eam, quæ se Ingerum tẽpore (Priscorũ hoc Peruuij Regum nomen erat) natam esse affirmauit,

Digitized by Google

& à parentibus, quò minùs salutari aquâ perfunderetur, prohibitam; postea pudore etiam præpeditam fuisse; nunc autem CHRISTI Domini rebus cognitis, nihil magis velle, quàm vt ante mortẽ ablueretur: impetrauit id vetula cum multâ gratiarum actione: vt & alij complures è circumiectis oppidis adulti viri, quos pudor obex à cœlesti hoc lauacro huc vsque excluſisſet.

XV. MAIOR tempore excursionis hinc susceptæ fuit fructus, cùm hæc tantummodo fuerit menstrua, ille verò æternus. Ex mille Confessionibus auditis, trecentæ totam vitam complexæ sunt: baptizati centum vniuersim, adulti triginta. Veneficis magna præda abacta; huiusmodi namq; professionis homines, & frequentes hîc sunt & audaces: adeò vt coniuges necromantiâ celebriores, Confessariorum sibi munus vsurparent; vir virorum, vxor vero feminarũ, quos ipsimet ad id suo priùs exemplo audendum informâssent. Quid tandem (DEVS bone!) non molitur, quas non artes & strophas adhibet humanæ salutis oppugnator Diabolus, vt vna secũ cœcos mortales in æternam perniciem abripiat? Miserrima sanè foret hæc gens, nisi vbi abundauit malitia, abundaret & gratia. Tantum nec potest, nec audet hostis animarum destruere, quãtum vis diuina resarcire. Eum illa quibusdam iniecit feruorem & alacritatem, vt ægrotos suos duarum leucarum spatio ad Confessionem apportarent. Abitum paranti Nostro occurrit femina, eumq; ita apprehensum sustinet fortiter; illi

illi missum vt se faceret roganti, respondit in hæc verba: *diebus elapsis ab se oppidum illud inuisum, nec sibi tunc aditum ad eum patuisse: nunc verò quando in suas manus illum fortuna tradidisset, antè non dimissuram, quàm animum ritè expiâsset.* Quidam post auditum aliquando de pœnitentia sermonem, solus remanserat in templo, vberémq; lachrymarum copiam profundens, de totius vitæ peccatis apud Sacerdotē agebat, vtpote qui pudore præpeditus, multis annis ad confessionē non accesserat. Tantum viri huius fuit emendandæ vitæ desiderium, *vti se paratum diceret, vel omni adstante populo peccatorum arcana pandere, ne olim scilicet ipse Cacodæmon in æternam ipsius ignominiam eas sibi partes sumeret.* Quin vt magis in suscepto consilio roboraretur, homo optimus Nostro se multis diebus comitem itineris adiūxit, donec pleniùs, quæ ad animi profectū pertinerent, addisceret. Tam gratus verò oppidis plerisque Nostrorum fuit aspectus, vt quacunque transirent, ipsis omnes cum ramalibus obuiam procederent, & ad confessionem (quod id Patribus gratum esse nossent) alij alios hortarentur.

XVI. POST vbi domum reuenere Patres, incredibilis hominum multitudo ad nos se cōfessionis caussâ ingessit. Primas pietatis eiusce tulit Caciquij Prætoris filius, qui in hanc vrbem concessit: tum verò ipse parens, qui ambo diuina obeundo mysteria, quid à popularibus suis requirerent, non obscurè significauerunt. Ipse etiam Caciquius cùm fortè ebrios quosdam offendis-

Digitized by Google

fendisset, eos vinctis post terga manibus ad supplicationem Catecheseos adducit, vt horum ignominioso exemplo alij à tam turpi vitio abterrerentur.

COLLEGIA POTOSINVM, CIVQVISACANVM, HVAMANGANVM.

XVII. POTOSII Parthenia ex Scholasticis instituta Sodalitas Conceptæ VIRGINIS patrocinio sibi adsciuit. Æthiopibus seruitutem seruientibus (quorum magna in hac vrbe copia) quot dominicis diebus in forum coactis doctrina Christiana à quatuor, aut pluribus aliquãdo Socijs est exposita. Idem factum alijs quoque & extra vrbem. Rependit istum laborem diuina bonitas liberalibus amicorum, & sponte oblatis eleemosynis, quæ vt ingentes hoc anno fuerunt, ita ingentes etiam à nobis gratias requirunt.

XIIX. CIVQVISACÆ nihil est quòd immoremur. Huamangani Sodales non minori studio conceptam VIRGINEM eiúsq; festam lucem prosequuntur, quàm Potosini. Diplomata, quibus Romanæ hoc anno sunt aggregati, magno paratu diuulgarunt. Grammaticæ schola quinquaginta numerat auditores; qui numerus in exiguo oppidulo pro magno habetur. Mulierum ægrotantiũ curam Nostrorum suasu tres Peruuianæ feminæ susceperunt: habet ea res non minùs exempli, quam pietatis. Femina se flagris exceptura in sacram ædiculam de nocte recesserat: ita duo perfrictæ frontis viri illam adoriuntur.

Pro-

Digitized by Google

Prouoluitur in genua pia mulier, DEIPARÆQVE opem supplicibus verbis implorat. Vix orare cœperat, cùm ecce ab eorum oculis ita defensa est, vt licet radijs lunaribus tota illa ædicula pateret, multáque indagine foret quæsita, acquisita tamen non sit, recedentibus illis ingenti cum stupore; hac, pari cum gaudio miraculique depredicatione.

XIX. HVANCAVELLICÆ aliisq; in locis, dum lucrum quæritur foris, interea domi fit iactura magni viri, Patris scilicet Illephonsi de Mirãda quatuor vota professi. de cuius egregijs facinoribus longa institui posset narratio. Habuit virtutes, pleraſq; omnes non in humili gradu. Eleemosynæ faciundæ (quia pauperes vnicè amabat) fuit propensissimus; quà in re ipsum B. F. Ægidio Franciscanæ familiæ alumno non immeritò comparaueris. Sexagenarius decessit, postquam quadraginta annos in vineâ Societatis pro denario diurno strenuè laborâsset. Et tamen (quod meritò & miramur, & pro maiore cautelà audimus) de hoc tanto viro narrauit quidam huius vrbis primarius fidéque dignissimus homo, se dum pro P. Illephonso defunctorum pensum orando persolueret, eius animam in expiatorio igne versantẽ apertè vidisse: deinde tamen post viginti plùs minùs horas ad cœlestes Beatorum sedes conscendisse. Hoc, inquam, P. Rectori ipsemet nobilis ille magnam præ lætitiâ lachrymarum vim effundens retulit, & si opus esset, id iureiurando se confirmaturum affirmauit.

SEDES

SEDES IVLIDENSIS.

XX. SENEX quidam Neophytus multos sacro lauacro consperserat, nec visitata tamen ab Ecclesiâ verba protulerat: vnde coacti Nostri sunt, & populo totius rei seriem exponere, & ad iterandum baptisma hortari eos, quos rudissimus ille Baptista tinxisset. Verùm licet decem tantùm eorum reperti sint, qui errorem corrigi voluerunt, multi tamen ex adultis fuêre alij adhuc per summum nefas sine baptismate Christianis permixti, qui cœlestibus aquis perfundi se permiserunt. Nec minori solatio est mos, qui iam Deo iuuante obtinuit, cùm ad ægros sacra defertur synaxis; ad æris namque campani signum, tantum confluit hominum, quantũ vix templum admittat. Qui sacram ipsi percepturi sunt Eucharistiam, incredibili animi ardore, flagris, ieiunijs aliísque acerbis modis nouem diebus, (quod alibi quoque in Peruuio fieri submonuimus) se præparant. Ipso quo accedunt die, egenos hospitio conuiuióque excipiunt, nec nisi eleemosyna donatos à se dimittunt. Femina cùm in extremo iam vitę discrimine versaretur, B. VIRGINEM à se visam testata est, imperãtem, Iulidem Confessionis causs à contenderet: quâ hortatione vires recepit, huc venit, expiatóq; vt iussa erat, animo, magno multis exemplo fuit. Coniugata alia, quæ in suum prædium secesserat, offensa à Peruuiano quodam impudẽte homine, ad ius pudicitiæ soluẽdum sollicitatur. At illa importunissimum procum, quâ potest vi repel-

Digitized by Google

repellit; ille repulsam istam tam indignè tulit, mox vt in matronam pudicissimâ latronis more irruerit, eámque crudelissimo ausu enecârit. Non dubium, quin nomen illius dignissimum (cùm à nobis posteritati tradi non possit, quòd acceptum non sit) celebretur ibi, vbi omnium Martyrum nomina factáque purpureis conscripta notis perennant. Rem gestam auctor ipse sceleris diuino compulsus instinctu Nostris retulit, & magno (vt decebat) animi sensu lachrymarúmque fonte, nec non crebro verba tertiante singultu, animum expiauit. Ceterùm consuetum suum expeditiones susceptæ cursum & fructum, sedes ipsa consuetudinem illam seruauit, quâ in pauperes solet esse benigna: eleemosynæ nomine egentibus, tam Hispanis, quàm indigenis distributa vndecim millia pondo & quinquaginta; Sodalitium verò, quod pueri IESV tutelâ gaudet, bis in anno, bis mille hominibus exteris cibum largè apposuit.

MISSIO ET SEDES AD S. CRVCEM IN MONTANIS.

XXI. ET Hispani, & Peruuiani in rebus salutis Nostros occupant, magis tamen isti, vtpote indigenæ, & quorum præcipuè caussâ in tam remotis terrarum partibus sedem fixerunt. Sed & ipse B. Parens Noster IGNATIVS plurimùm videtur fauere genti, cuius de cœlo opem, & auxiliũ subinde experiuntur. Gratiâ exempli sit nobilis femina: quæ cùm graui morbo decumberet, & tan-

Digitized by Google

& tantis genu doloribus torqueretur, vt loco moueri non nisi ęgerrimè posset, contacto Beati chirographo, repentè nullius aliûs interuentu moueri se sensit, paulatimq; meliùs habere; ita, vt breui exacto tempore, aram B. Patris gratuitò pro acceptâ ab eo sanitate vestiret.

XXII. ASSIDVÆ ad variarum linguarum gentes excolẽdas de more fuêre profectiones; Gorgotiquen, Cianensem, alias: quarum gẽtium ea iam est post Nostrorum institutionem peritia, & in fide eruditio, vt tametsi alios, quorũ curę commissi sint, non habeant, fidei tamen mysteria probè norint. Salutari Baptismatis fonte abluerunt hoc anno Nostri viginti supra quingentos, è quibus octo & septuaginta adulti. Contracta matrimonia centum quinquaginta tria. Ad Chiriguarum vsque remotissimorum hominum fines peruentum. Hi præ se alios omnes despiciunt, indigenarum (Cianensium maximè) operâ tanquam mancipiorum abutuntur. Ad vtrosque ergo iuuandos duo Sacerdotes, alter Cianensium, Chiriguarum alter idiomatis gnarus, sunt dimissi. Primo vnius oppidi ingressu perhumaniter à Barbaris excipiuntur, humaniùs tamen à Caciquio quodam, cui anno CIↃ. IↃC. IIX. Laurentij nomen in Baptismo obtigerat. Domini huius magnus fuit, & in Patres amor, & in fidem feruor. Obibat ipse domos singulas, singulos seorsum collocutus monebat, saluti suæ prospicerent, diuino verbo interessent. Verùm nihil barbaris eâ tempestate præ arcuum & sagittarum vsu placebat; nihil tam

Digitized by Google

tam cordi erat, quàm acceptas iniurias ferro vlciſci. Non tamen nihil hoc loco effectum, quando è Chiriguarum filijs ſacro fonte cõſperſi ſunt ſeptuaginta, è ſeruorum quadraginta. Ægrotabat Cianenſis Chiriguarum ſeruulus, in quem Noſtri, cùm oſtiatim infirmos conquirerent, caſu opportuno inciderunt. Rogant ſaluúſne eſſe velit, & Chriſtiano more lauari? Annuit ille. Noſter homini breuiter capita fidei proponit, Baptiſma tamen conſultò differt; itáque diſcedit. Habuit deinde ea dilatio ſalúſq; hominis tam ſollicitum Sacerdotem, vt rediret: & ſanè vix tantùm ei à reditu temporis conceſſum, quo baptizaret moribundum. Alius Barbarorum cùm iam extrema ageret, claudicans ac ferè repens Noſtros quęſiuit, acceptóque Baptiſmate expirauit. Tertio idem contigit, qui cum iam iam tingendus foret, ſollicitè rogauit Noſtros; *Modò ne ad locum ſe, vbi à Dæmonibus torqueretur, præcipitarent*: ſecurus à timore eſſe iuſſus, madidum à Baptiſmate corpus reliquit.

COLLEGIVM QVITENSE.

XXIII. E Qvitensi Collegio excurrit P. Raphaël Ferrerius ad Cophanes immanitate barbaros, ingenio intractabiles populos: quorũ tamen multi mitius viuendi genus amplexi baptizatíq; ſunt. Patuit etiam aditus ad Succumbios, qui pręter characterem & Sacerdotem vix quidquam habent Chriſtianorum: Humaguæ atq; Enſennij ne illa quidẽ habent. *Meßis* ergo *multa*, *opera-*

Digitized by Google

operarij pauci. Sed iuuabit horum populorum in Sacerdotem noſtrum propenſionē, animúmque paulò amplius cognoſcere. Cùm Pater *oppido* cuidam intentus munia Societatis *vigilantiſſimè* obiret, præmonuit Vicarius alius *oppidi* Curacas, (id dignitatis nomen eſt) ſemetipſum ad eos in fide inſtituendos præſto futurum Curacæ accepto nuncio litteras ſtatim dant ad Noſtrum, quibus enixè petunt, ne ad eos venire Vicarium patiatur, ſed ipſe potiùs id oneris ſibi ſumere ne grauetur. Vicarius interim ingreſſus eſt Prouinciam, oppidum petijt: quo aduentante oppidani omnes fugā capeſſiuêre, ita vt ne vnus quidem è tanto numero ibi fuerit repertus. Hoc gentis in ſe ſtudio captus P. Raphaël ita eſt, vt cùm ad Collegium à Quitenſi Rectore reuocaretur, ſupplicibus litteris poſtulârit, *ne tot populos tam denſis ignorationis tenebris obrutos, in Societatem, quæ illos curat, tam bene animatos eo ſolatio auxilióq; priuaret. Enimuerò fieri nullo modo poſſe aiebat, vt Hiſpani aliquando hos tam potentes populos imperio ſuo iungant, à quibus ſepties iam forent repulſi, niſi tales præmittantur, propter quos Hiſpanienſibus ipſis ſecuris iam atque omni periculo vacuis hîc eſſe liceret.*

Scripſit eadem ferè veteranus quidam Clericus Ferrerij comes, qui & indigenarum ſalutem, & Hiſpanorum incolumitatem ex vno Patre dependere apertè teſtatus eſt.

PRO-

Sunt in his Insulis Collegia tantùm duo, Sedes, quas Rectorales vocant sex, cum vna domo, & Tirocinio nondum absoluto. Habitarunt hæc domilia Socij nonaginta. Quatuor in numerum sunt recepti. In viuis ad Indorum credo salutem, & consolationem DEVS Optimus seruauit omnes.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Colleg. Manilanum habitârunt.	XXXVII	XIX.		XI.	VII.
Sedem Silanensem.		II.			
Missionem Octonien sem.	II.	I.			I.

Mm

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Tirocinium D. Petri inchoatum.	XII.			X.	II.
Sedem Antipolanam.	VI.	III.			III.
Boholanam.	IV.	III.			I.
Dulachianam.	VI.	IV.			II.
Carigaranam.	V.	II.			III.
Tinagonenſem.	V.	IV.			I.
Palapacanam.	V.	III.			II.
Collegium Zebuanum.	VI.	III.			III.

Digitized by Google

Ad Catholicam fidem tùm Hæretici, tùm Pagani accesserunt trecenti octoginta vnus.

Confessionem de totâ vitâ instituerunt ter mille octoginta duo.

In honestam vitam deseruerunt triginta octo.

B. P. N. IGNATII auxilium senserunt sex.

Digitized by Google

COLLEGIVM MANILANVM.

I.



FINE HVIVS ANNI Exordium sumamus, sub cuius exitum, nempe adulto Octobri, prima harum Insularum Prouincialis Cõgregatio coiuit. Interfuêre huic plures ex Pictis Insulis Pâtres, quos tanquam Apstolos, & in expeditione perpetuâ occupatos viri primarij non inuisêre modò, sed & se suáq; illis volenti promptóque animo obtulerunt. His operæ pretium fuit Manilæ diutiùs, quàm statuerant immorari. In caussâ erat Hollandus quidam Hęreticus & Pirata, qui primo vnà cum nauibus aliquot hanc Manilæ oram, omni ad eam ingressu egressúque prohibito, occupauit: sed huius exitum infra narrabimus. Interea verò temporis boni Patres eos omnes dies, quibus hîc morari coacti sunt, exilij loco habuerunt; tantus siquidem eorum erat ardor, adiuuandíq; Indos suos cupiditas, quos aliquot ante annos non sine magno labore CHRISTO Domino peperant;

Digitized by Google

rant; cum quibus maluissent esse in periculo, quam sine illis, in tuto. Itaque vbi primùm illis per Hæreticum, aliò haud longè velificãtem, factus est ad suos remeandi locus, eâ se celeritate ad optatissimum iter accinxerunt, quâ solet fluuius diu multúmque repressus, solutis repagulis sese præcipitem in mare euoluere. Verùm & horum Patrum ad Pictos reditum, haud exiguo indicio demonstrauit sibi placuisse, qui eos custodiuit DEVS. Nam vt vnus eorum deinde Manilam scripsit, asseuerauit Hispanus quidam homo (qui è certo loco, regis iussu quasi è speculâ onerarias quascunque naues, biremésq; illic transeuntes monebat, sibi cauerent ab hostibus) *biduo tantùm ibi Nostris tum vela facientibus prosperum afflâsse ventum, quem vsq; ad eum diem illac nauigantes aduersum fuissent experti, non sine periculo in hostes contrario vento incidendi*: quo tamen periculo liberati sunt Nostri, qui quantum satis erat ad euadendum secundo tunc vsi sunt cursu.

Porrò eadem hîc in omnibus Nostris, ac singulis, tam ad Tagalenses, quàm alios Indos iuuãdos viget propensio, idem laborandi pro his Philippensibus contemptum studium. Quare nonnemo Patrum grauissimorum, quorũ multis iam annis in Societate magni æstimata fuit opera, Theologicas quæstiones cum primis Indicæ linguæ elementis commutare non dubitauit.

II. DIMISSA Congregatione bis Theologicæ quæstiones publicè sunt defensæ, non sine Nostrorum voluptate; siquidem nonnulli ex illis tredecim quatuordecímve annorũ spatio eiusmodi

Digitized by Google

modi disputationibus nec semel interfuerant: immò tunc primùm se laboꝝ suorum fructū percepisse arbitrati sunt; quippe qui primi in hac prouinciâ studiorum iecerint fundamenta: nullus enim vsque ad Nostrorum aduentum ad has Insulas, vel infimæ etiam Grammaticæ disciplinas, aut rudimenta hic vnquam docuit. Confessionum frequentia priores annos longè superauit. Ex ijs, quos hospitalis domus habebat infirmos, adiuti nonnulli in maximo vitæ periculo. Nam cùm Octonium versùs in Champanio (Sinense nauigium est) deferrentur, seque ad bellum contra Hollandum pararent, fortè vsuvenit, vt scintillâ quadam decidente in doliola, quibus tormentarius pulvis asservabatur, raptis per aëra quibusdam, alij qui remanserant eodem igne adusti, atq; ad Xenodochium deducti adeò fœdâ facie corporéque apparerent, vt magnam sui commiserationem in spectatoribus excitarent. Miserabilis simul, simul intolerabilis fuit aspectus, ob fœtorem, quem viui vermes ex eorum computrescentibus corporibus prorepentes secum efferebant: adeóque miseri ipso sui fœtore ad se accedentes arcebant. Sed verò illis in tam ærumnoso statu constitutis prouidit mirabiliter DEVS; vt quidam è nostris Sacerdotibus, qui olfactu carebat, eos facilè posset ferre, solari, audire, eisdémque præsto esse in omnibus: nec defuêre præter hunc alij è Nostris, qui illatâ sibi vi vstulatos hos inuiserent, iuuarentque sollicitè; qua quidem industriâ effectum, vt

vt nonnullis illorum vitâ functis plures reualuerint.

III. DICITVR ad varios duplici linguâ frequenter, Hispanâ & Tagalâ: nec ad vniuersum duntaxat populum, sed ad singulos. In his mulier, quæ aliquot annos impudicè consumpserat, adeò Sacerdotis sermone commota est, vt mutatis moribus, vitam Christianâ feminâ dignam instituerit, quin & ab antiquo proco sollicitata, eum abs se propositis æternis pœnis abegerit. Hoc enim illa sibi remedio cauit, caueréque solet, quoties instigante Dœmone ad turpe facinus prouocatur: manum in ignem mittit, quò aliquid experiatur doloris, quo apud inferos cruciari solent luxuriæ mancipia: sed & socias hæc habet in tali experimento alias, quæ à simili hoste, flagitioue impetitæ, non dissimilibus sese armis muniunt; suntque inter eas nonnullæ, quæ quinquies, & eo ampliùs quotidie palmas igni admouent, vt clauum quodammodo clauo trudant, ignémq; igni extinguant.

Sinensis quidam aliquot antè annis in nostra villulâ agriculturam exercuerat, fidus quidem Nostris, sed DEO infidus: erat enim vanorum DEORVM cultor pertinax. Hunc sæpius familiariter commonitum quò suæ consuleret saluti, obsurdescentem viderunt Nostri: quare re imperfectâ desperatáq; ab incepto destitêre. Erat tũc quadragenarius: itaq; laboribus aliquando fastigatus, in morbum incidit: inuisit illum noster Procurator, eíque innuit Chri-

Digitized by Google

stianam fidem; morbum eum esse grauem, periculosum, incertum, certas verò post mortem æternásque pœnas, ni religionem mutet. *Verum*, inquit, *narras pater, attamen ego non infirmis adeò vtor viribus, quin possim conualescere: superfunt præterea vxor cum filijs apud Sinas, ad quam, si Christianus fiam, nunquam mihi redeundi fides erit: optimam vestram Religionem veneror, quam & amplecti paratus sum, si morbus cogat.* Cui Pater: Ergo si probam existimas Religionem nostram, si CHRISTVM Dominum verum DEVM agnoscis, quamam ratione non vis ei in vltimo vitæ agone nomē dare, à quo recepisti & vitam & victum? à superatus ille hoc argumento, *Pater*, inquit, *bidui tantummodo inducias rogo, post, vt vis Christianum profitebor.* Indulsit Pater. Exactis inde duobus non ampliùs diebus, misit Sinēsis homo, qui Patrem accerseret: renuit primò, qui mittebatur, sed vrgenti, tandem obsecutus accersiuit Nostrum, à quo probè institutus, petijt etiam, vt abraso priùs capillo (mos namque Sinensium est oblongos passósq; mulierum instar capillos alere) Christianum morem imitatus, sacro ablueretur lauacro. Factum est petenti satis: at dum tondebatur caput, adfuēre vnà cum eius nepote Sinenses nonnulli, qui rem detestantes: *Heu heu*, ingeminabant, *haud quaquam poterit amplius Gumiel* (hoc eius nomen erat priùs, postea Bernardus) *ad nostros remeare, capillis omnibus, patrio decore orbatus*: hos contra reprehendens ille; *finite*, inquit, *hæc; quæ quidem ego pili facio; ad aliam me nunc accingo patriam, aliud me spero breui petiturum regnum*,

Digitized by Google

regnum, in quo nec capillis egeam, nec de vxore, aut liberis doleam. Vni DEO iam dedi nomen felix: vos vobis consulite miseri, non mihi. Ita Bernardus cum capillis suis humana lœtus omnia deserens, eo, vti sperandum, profectus est, vbi nec capillus de eius capite peribit.

IV. BEATISSIMA VIRGO, cùm sit Regina mundi, non minùs obseruantes sui in his quoq; partibus habet Clientes ac Sodales, quàm in Europâ. Dux quidam insignis isque Hispanus enixè petijt ab Electoribus, vt sibi æditimi liceret fungi munere; impetrauit: itaq; curæ habuit id muneris, vt si in castris militarem aliquam prouinciam administraret: quoties sacellum, vel peristromatibus, vel tapetibus, aliisque rebus ad ornatum cultúmque VIRGINIS spectantibus fuit instruendum, ipse suâ manu (cùm plures habuerit seruos) munia omnia accuratissimè fuit executus: quod maioris est admirationis, ibi hoc facere eum, vbi ciuis Hispanus quilibet quasi principum more natus tantùm videtur ad imperiũ Indi contrà Æthiopésque ad laborandum, ijsq; obtemperandum: vt sint hodie gentibus istis Hispani, quod Romani olim sub liberâ Repub. toti terrarum orbi. Eorundem porrò Sodalium est, triduum illud Baccho præposterè consecratum in Paschatis dies, (quos ita etiam nominãt) conuertere. Itaque serico panno ædem sacram conuestiunt, tibicines inuitant, cereos suis sumptibus accendunt, seni coram venerandâ Eucharistiâ humi defixi supplicant, omnia denique agunt, quæ in alijs quoq; prouincijs tacuimus.

Digitized by Google

Inter hos Græcus quidam quinque supra viginti argenti libras obtulit, hoc fine & consilio. Erat ei nauigandum ad eam huius Insulæ partem, per quam velut ianuam huc primò aduentantes eunt mexicanæ naues: inde ipsi Manilam vsque deuehendæ erant sericæ quædam merces, quæ ex superioris anni naufragio, quod nostra nauis ibi fecerat, supererant. Ad hoc iter, quod centum minimùm leucarum erat, opus ei fuit Hispano, eóque diligenti nautâ, cui tantùm argenti pro naulo soluendum erat. Tum Græcus, *vt quid hominem quæro socium, qui nullo me nauigaturum periculo liberabit? DEVM præstat habere non nautam, sed nauclerum: hunc eligo meæ ducem nauiculæ, meæ nauigationis comitem, sicque ei hoc tantillum pecuniæ his futuris Bacchanalibus offero, quo cerei ardentes augustissimum sui Corporis Sacramentum quoquo modo cohonestent.* Et sanè non fefellit Græcum comes. Nam cùm Manilam vna cum alijs nauibus velificaret, aduerso flante vento, pluribus ad scopulos allisis, ipse incolumis cum naui, ac mercibus portum tenuit, votóque se exsoluit. Maturiores istos tertij generis Sodales pro suo quoque modulo imitantur, elementares, inquam, pueri septuaginta. Cuidam tredecim annos nato, cui atra bilis iram facilè excandescentiámque excitabat, suasit Sacerdos, vt eiusmodi impetus patientiâ frangeret: ita morigerus fuit puer, vt cùm non multò pòst ab æquali alapam acciperet, imperturbatè responderit: *Hanc ego pro DEO feram lubens*: ab alio item iniuriâ affectus;

Digitized by Google

ctus: *& hanc*, inquit, *feram.* Die quadam accessere ad portam ex ijsdem pueris tres quatuorve, qui à ianitore interrogati, quid quærerent; *Quid*, quæreremus? inquiunt; *nihil aliud, quam hoc modicum solatij accipere in domo Domini.* Murmurabant quidam coram alio ex his B. VIRGINIS clientulis de nostra Societate; ille rem non ferens ac subindignans; *Alia vos agite*, ait, *ne talia de iis Patribus, à quibus ego, meique similes omnem hauriunt pietatem, obloquamini: Ego quidem inter ingratos numerabor, si talia præsente me effutiri sinam.* Ad excursiones iam veniamus; in quibus magis seria, vtpote à viris gesta recensebuntur,

V. FACTA est hoc anno ad Cauitensem portum vna, vbi seruantur nostræ naues ac triremes: distat à Manilanâ vrbe duabus leucis. Huc primò conuolârunt auxiliarij milites cum Regio præfecto, quos, visis ex vrbe Batauorum nauibus eò vela facientibus, subsecuti sunt duo ex nostris Sacerdotibus aliíq; plures ex vrbe ciues. Nostri nó modò abvniuersâ cohorte, sed ab ipso etiam præfecto perhumaniter sunt recepti, regióque cubiculo ac mensâ donati, idque non semel; sæpiùs enim illuc remigrandum fuit, tam ad milites, quàm ad ciues in maximis periculis iuuandos. Et vero licet eam omnium in se beneuolentiam, liberalitatémque animaduerterent Nostri, malè olentem tamen triremem potiùs, quàm prætorium pro habitaculo sibi esse voluerunt. Eorum ibi munus erat, per portum sursum deorsum cursitare, pręfidijs animos oratione addere; Confessiones, eásq; vitæ

vniuer-

Digitized by Google

vniuersæ quamplurimas ad multam vsque noctem audire, & quod reliquum erat à labore tẽporis, in captiuorum, qui in triremibus erãt, vtilitatem expendere. Hinc ipsi belli duces insolitam militum suorum mirabantur modestiam, & nunquam à se visam (vt dicebant) eorum in exequendo munere suo diligentiam. Vix à Nostris B. VIRGINIS imploranda tutela nominata est, cum statim per totum exercitum de erigendâ militum Sodalitate decretum ac proclamatum est. Iam se Sodales vocare, VIRGINISQ; alumnos præcoci feruore solebant, nondum à Nostris eâ facultate obtentâ. Hostes à se vnicâ tantùm leucâ distantes habuerunt; at Nostris tamen præsentibus securi omnísque metûs expertes consistebant: adeò eorũ præsentiæ multùm tribuebant, vt si quando in vrbem reuersi paulò longiorem moram necterent Patres, eos vniuersus exercitus per litteras à Præsidibus repeteret. Porrò expeditio hæc, quæ initiò terrestris fuit, maritima deinde facta est. Nam dum hîc Hæreticus aliâ reliquis suis adiunctâ naui mare hoc omne latrocinijs furtísque vltra sex menses infestum haberet, datus est nostri exercitûs Præfecto locus, classem non mediocrem bello parare. Ad hanc in ijs, quæ ad animi bona faciunt iuuãdam designati sunt quatuor è Nostris, P. Valerius de Ledesma, P. Angelus Armanus, P. Ferdinandus de S. Romano, & F. Franciscus Niedo; quamuis in locum primi postea suffectus sit P. Melchior del Vera.

VI. SOLVIT è portu classis ad XI. Calendas Maias,

Digitized by Google

Maias, anni ſexcenteſimi decimi ſupra milleſimum, viſóque hoſte octauo Calendas eiuſdem ſub auroram (erat apud Occidētales Sabbatum, apud Orientales dies Dominica) ſuus cuique locus à claſſis Præfecto eſt deſignatus. Patres verò noſtri, quibus duæ maiores naues, Præfecti nimirum, & Admiralij (vt vocant) conceſſæ ſunt, omnium animis ad tam iuſtum prælium diſpoſitis, habitáque breui ad Hiſpanos, Tagalóſque Indos oratione, vniuerſorum excepēre Confeſſiones. Deinde ipſo nauali certamine vltra quinque horas commiſſis maximis nauibus durante, noſtros milites præliantes, vel animabat verbis, vel vulneratis medebantur, vel obeuntes pœnitentiæ Sacramento iuuabant, vel mortuos iam ſparteo ſtragulo operiebant indefeſſi, non ſine magno perpetuóque vitæ periculo. Siquidem hac, illac, ſurſum, rurſum cōtinuò properare neceſſarium fuit, vbi bombardæ, vbi glandes ferreæ, æneæ pilæ è tormentis diſploſæ obuia quæque rapiebant, perfringebántque. Illud mirum tanto tempore, tantáq; nauium propinquitate, (diſtabat enim alia ab alia citra paſſum) exoneratis quingentis ferè tormentis maximis (de minoribus vt ſileatur) neminem è Noſtris, vel in ſummo quidem vertice fuiſſe tactum. Parta eſt ergo Deo iuuante celebris victoria, captæq; duæ Hæreticorum naues, tertia cremata: nam aliæ duæ, quæ ſuperfuerant, non procul à loco (profundum littus vocant) in quo initum eſt certamen, audito tormentorum fragore, viſóq; bellico puluere fugam plenis velis arripuerunt.

Capta

Digitized by Google

Capta sunt vltra quinquaginta tormenta maiora; magna vis argenti & mercium: interempti sunt aduersariorum multi, atque inter eos ipse præcipuus, qui tredecim nauibus præfectus erat. Interea Patres nostri Hispanum in officio continere, ne tam secũdis rebus insolesceret; ostendere verbis non minus glorioſum esse partà victorià bene vti, quàm vincere. Infirmis & vulneratis perinde fauebant, seu qui in nostrâ, seu qui in hostium classe ceciderant: vestes, cibos, medicamina, tam corporibus, quàm animis omni diligentià & studio conquirebant. Domi interim toto eo tempore, quo in ancipiti Victoria erat, apertâ sacrâ pyxide supplicatum ab omnibus, donec accepto de victoria nuncio ciuitas vniuersa in communem lætitiam effusa templum nostrum gratijs DEO persoluendis adiuit. Sed antequam victrix classis ad portum rediret, præmissi ad vrbem sunt, quotquot in prælio sauciati manum medicam requirebant, tum Hispani, tum Batani, qui in eâdem hospitali domo, eandem curam charitatémque sunt experti: immò Hæreticis aliquid plus tributum: quippe quorum non corpora modò, sed animi quoque atrocioribus vulneribus *hiantes* erant persanandi. Auctoribus enim Reuerendo Patre sacrarum cõtrouersiarum arbitro Ordinis Prædicatorum viro grauissimo, Patribúsque Franciscanis, quibus Nosocomij cura est demandata huc ex Antipolanâ sede P. Andreas della Camera euocatus est: qui cum Hollãdici Idiomatis peritissimus foret, licet à se multos annos intermissi,

missi, facilè ac libenter ab Hæreticis est auditus: adeò, vt *nihil simile dum viuerent, se audisse* affirmarent, *nec quidquam magis cuperent, quàm Catholicè institui: fallacijs se Cacodæmonis circumuentos, nauticam omni bono carentẽ exercuisse: eumq; quem pro concione habuissent, hominẽ indoctum esse, vxorium, sartorem, qui acu melius, quàm biblia tractásset.* Igitur hi omnes (plures cẽtum erant) tametsi Catholicæ Ecclesiæ conciliari vellent, haud id facilè obtinuerunt; non tamen denegatum est multis, qui ingraueſcente vulnerũ dolore, morbóq; creſcente auditi, æternę glorię pignus cum gaudio sumpserunt: reliquorum verò constantia in fide diutius videbatur exploranda. Atq; hîc prætermittendi non sunt quatuor alij eadẽ Caluinianâ Hæresi infecti, qui visâ suorum in Catholicos rabie rapináque, clam se improbis relictis ad nostros contulêre; quibus deinde etiam omnino fecit satis idem P. Camera. Eorum præterea, quos fortuna belli abstulit, summa ratio, vt æquum erat, est habita. Breui enim postquam in vrbem cum spolijs & captiuis ingressus est triumphantis more Imperator, instituit, vt qui è nostris in bello fortiter occubuisset, honestâ funebri pompâ ornarentur ab omnibus. Quare erectam per eum in templo D. Francisci insignem molẽ, cereis, carmine, & emblemate vario voluit exornari, quod & totâ vrbe acclamãte, apprecãteq; peractũ est, quàm potuit accuratissimè. Sed lætis his victorię euentibus, vt humanarũ rerum ordinẽ morémq; solemnem sequamur, non minùs tristẽ ac funestũ subnectemus, eius naufragij casum,

Digitized by Google

casum, quod fecit nauis, quæ à S. Francisco nomẽ habuit, quæq; ex hoc portu duabus alijs comitata soluit anno superiori.

VII. IN EA petiturus Mexicum erat P. Petrus de Montes vna cum alio Patre ac fratre Socijs, Is fuerat huius Manilani Collegij Rector annis quatuor, vir magni nominis in his Insulis, atque consilij. Itaque cum in Lacutensi portu, dum ventos expectabant, multùm Patres in præparãdis nautarum animis, quâ Confessiones de totâ vitâ audiendo, quâ discordes componendo, laborâssent, ipso D. Iacobi Apostoli sacro die, pelagus meridianum sublatis anchoris ingrediũtur. Soluêre è portu simul naues tres, D. Franciſci, quæ Nostros ferebat, & DD. Andreæ & Annæ. Duo statim vitia, ventis quasi placandis, ex naui proturbata: inhonesta scilicet mulierculârum & blasphemiarum impia consuetudo. Vehebantur eadem naui, cum Patribus nonnulli, qui maiori anathemate seu excommunicatione obstricti, catenam hanc flocci faciebant, ambâsq; aures Nostris, vt solutionem quærerent, monentibus occludebant, quamuis eorum non pauci ex eo sese vinculo expedirent. Illi deinde ad omnia monita obsurdescentes, obsurdescentem quoq; iustissimè habuere DEVM. Nam cùm exortâ subito tempestate, procellis vndíque turgescentibus alij omnes ad Patres conscientias suas exoneraturi properarent, hi etiam inter reliquam turbam lamentabundi aderant; *Heu*, inquiunt, *nos miseri his iam immergimur vndis: nec spes salutis vspiam reliqua apparet: quid agẽdum suadetis, Patres?*

omnis

omnis enim à nobis peccatorum ablata memoria, nihil meminimus eorum, quæ sceleratè huc vsque patrauimus. Interrogati, num de commissis à se peccatis saltem indolerent? nihil penitus respondent stupore pauoréque attoniti. *Apprehendite* (exclamant Nostri) *apprehendite disciplinam, ne quando pereatis de viâ iustâ:* at illi hæc audientes cingula Nostrorum capitata, ferróq; obarmata magno impetu arripiebant, atq; in sese diuinam implorantes clementiam, crudeliter animaduertebant, donec æquoribus iuxta, animísq; sua malacia est reddita. Fuère hæc mala causſa magni boni. Ex quadringentis enim hominibus, nullum ea nauis postea inexpiatum vehebat: qui totam vitam excusserant octoginta, superabant. Huic tempestati succesſit alia, atque alia; ac denique quarta, quæ multis vltima, ac fatalis fuit. In eâ periculum omnem vicit pudorem; adeò vt non ad aures Sacerdotis, sed palàm & præsentibus atque audientibus omnibus enormia quæq; crimina faterentur plurimi, nec quo minùs id facerent, à Nostris inhiberi possent. Interea crescunt discrimina, aquę montium instar intumescunt, summóque in fluctu pendentibus præsentem videntur intentare omnia mortem: & iam vndæ secum deuoluere merces, merces ipsæ vna rapere homines. Sacerdotes nostros validiores quidam nautæ in edito puppis loco collocárant, in quo Confessiones omnium securiùs exciperent: quod breui inter ipsos ventorum turbines, & stridentes procellarum reciprocationes fecerunt: tum alios, vniuersi madi-

Digitized by Google

di atque defessi ad danda veri atque sinceri doloris indicia, magnis clamoribus admonuerunt. Iã nauis non longè à Iaponiâ terrâ aberat, quæ nubiũ obiectu adhuc quidẽ latebat, ruptóq; malo, atque exiguo ad proram velo pulsa, inter breuia & syrtes luctabatur. Hîc longis tabularum compagibus hiantéq; sentinâ, diuersi multiplicésq; venti nauim vndíq; aggrediuntur, quassatámq; adeò luxârunt, vt anteriore proræ parte cum malo à reliquâ naui abscissâ triginta homines, qui eò fortè conscenderant, natarent potiùs, quàm nauigarent. Tandem abrasa inferior vtrinque tabula vndísque oppressa proram ipsam cum reliquâ illâ hominũ multitudine, prægrandi fluctuosi maris voragini absorbendã tradidit, nemine prorsus euadente. Hinc quod remanserat mediæ nauis perdurante ventorum vi inclinatum ad latus procubuit, cunctis ad summa labia alterumve latus celeri cursu defugientibus, ad quam quidem fugam manibus magis, quam pedibus vsus erat. Non multò post afflictorum labores miseratus DEVS, summa nauis tabulata cũ superiore puppe à vẽtre totius corporis auulsa, in arenã non procul à littore sparsam eduxit. Inde quasi è conuexâ scaphâ ad vadandum reliquum maris tractum descendêre pleriq; omnes: quia tñ exiguũ erat ibi maris littus, qui illuc deuenerant læti, mox à rapacibus vndis nullo iuuante inuoluti naufragiũ in ipso littore, atq; interitũ omnes videntibus sociis miserè patiuntur. Inter hos P. Petrus de Mõtes bis terue absorptus, semianimis extractus est à peritis nautis: qui visâ ad la-

ad lapidis iactū fluminis exigui ripâ, alios, ne littori fiderēt, sed illuc celeres properarent, admonuerūt. Ibi mortem iterū, non iam ab vndis, sed à fame expectabant; quippe qui ad paruam insulam se appulsos ob nubium spissitudinem rebātur. Sed enim non longi temporis interiectâ morâ, illuc sese Iapones duo, qui è suo oppidulo ante triduum nauim inter fluctus iactari viderant contulerêre. Ab his ad oppidum eorum sunt dedúcti omnes, quod leucâ tantùm distabat, seminudi madentésque, atque à barbaris minimè barbarè habiti, nostríque Patres Iaponico licet attrito vestitu donati.

IIX. SEDATA non multò pòst tēpestate ad nauim iterum accurrerunt Hispani, si quid fortasse merciū expiscari, aut in eâ puppis parte, quę mari nondū cesserat possent extrahere. Dum isti hæc agunt, quieti sunt Iapones, neq; linguâ neq; manum mouēt: at vbi primùm collocatas in littore conspexêre merces, continuò eas suas esse dixerunt. Nauarchus hoc audito Imperatorem Iaponensem cōstituit adire Surungæ tunc vrbe regiâ commorantem. Facta est ipsi vnà cum P. Petro Montio alióq; comite eò proficiscēdi potestas, reliquis interim in oppido velut custodiâ detentis. Pauci tamē interceſsêre dies, cùm omnibus religiosis, vnà cum aliquot Hispanis, qui se eorum seruos simulabant, inde licuit discedere: qui primò pedestri vsi itinere, difficulter promouebant: præcipuè verò alter ex Sacerdotibus nostris, qui claudicabat. Impegerat enim pedem ad palum, cùm in naui toties mutan-

Digitized by Google

da ſtatio fuit. Cuius claudicationis cauſsâ per ſeſquimenſem decumbere immorarique Meaco cogebatur. Suppoſiti ergo ſunt, tam huic, quam alijs equi, donec in quadam vrbe Toni ſeu Principis imperio ſubſiſtere iuſſi ſunt. Ibi cùm Chriſtianis à Patribus olim baptizatis innotuiſſet, inter Hiſpanos aduenisse Patres Societatis IESV, ſtatim ingruente nocte (ne, ſi de die feciſſent, punirentur à Tono) pecuniâ cuſtodem domûs corrupêre, enixè ſimul ab eo poſtulantes, vt ſibi fas eſſet captiuos homines, vel paululum contueri. Facta poteſtate Noſtros adeunt, defatigatos, famèque pœnè enectos, cibo ac potu recreant: & quod linguam eorum ignorarent, lachrymis amorem commiſerationemque teſtibantur. Cuſtodi deinde munuſculum, ceu cani offam, denuò oggerunt, ne tam dulcem moram impatienter latrando abrumpat: tum autem renouato fletu doloréque ad mutuos aſpectus iterum conuerſi, veſtibus oſcula defigunt, quóſque linguâ non poſſunt, amicis geſtibus motibúſque conſolantur. Denique ſummâ nocte valedicere coacti diſceſsêre: hoc tantùm læti ſolatio, vidiſſe ſe Societatis Patres, in remotiſſimâ Iaponiæ orâ.

PORRO ab eodem Tono impetratâ vlteriùs progrediendi licentiâ Icendum (vrbs eſt, in quâ Princeps Imperij hæres habitare ſolet) peruenerunt, ibíque à Patribus Franciſcanis perhumaniter accepti habitique, Surungam iter direxêre: vbi iam tum P. Petrus Montius bene ab ipſo Imperatore erat acceptus. Reperit enim Iaponem quen-

Digitized by Google

quendam nobilem, quem ipse, cum esset Manilæ Rector, omnibus modis iuuit. Hic vt esset quoquo modo gratus antiquæ beneuolentiæ, Patrem is tum quendam in Philippinis Bonzum esse dixit, eóque nomine ipsum Imperatori tantùm commendauit, vt publicas ab eo litteras acceperit, quibus tam ipsi, quàm Socijs omnia, non minus, quam si regio essent orti sanguine, ad iter necessaria grazis subministrari iubebatur. Surungà Meacum versus ière: quo cùm peruenissent, non à Nostris tàtum iuxta Societatis morem magnâ gratulatione gaudióq; salutati sunt, sed à præcipuis etiam Iaponẽsibus inuisi, & munusculis pro more gentis affecti. Nangasaci (quò deinde venerant,) decretũ est, vt P. Petrus Montes cœptum prosequeretur iter ad nouam Hispaniam in naui S. Annæ, quæ ex alio etiam naufragio ad Bungẽse regnum, paulò antè littus tenuerat. Eius Socij, Sacerdos cum fratre huc in laponensi Iunco, (nauigij genus est) adnauigârunt cum alijs quibusdam, qui ex naufragio vna cum illis euaserunt. Iuncus quo vehebantur, in piceas, piraticásq; Batauorum deuenit manus: sed priùs datus est locus triginta Nostris in scapham, quæ nauim à puppi sequebatur, descendendi, quorum precibus Pater quoq; victus, sese coniunxerat: in qua biduo remigantes sine cibo potúque, non item sine periculo Zambalensium barbarorũ prærupta saxa subière: vbi pro Hollandis habiti, parum abfuit, quin ab ijsdem sagittis conficerentur: nam paulò antè nonnullos strauerant, quod aquatum ad eorum fluuium,

Digitized by Google

descendissent: sed ab homine qui eorum linguam callebat, de nostris rebus certiores facti, mitius ingenium induerunt, illæsósque dimiserunt. Pater ex itinere ad D. Augustini *Sodales* (discalceatos vocant) diuertit, apud quos summa eorum benevolentia tamdiu substitit, quoad ei nauigium commodum ad Manilensem portum vsque licuit comparare: ad quem tamen citiùs exscendit noster frater, qui in illa naui, quæ in Hæreticos inciderat, cum reliquis Hispanis remanserat. Simul namque Holandicus pirata nauim direpturus conscenderat, manúsque in Socios & vincula iniecerat, hiscè fortè in ipsa naui non procul ab Augustiniano quodam Religioso itidem capto absconderat, itaque non quæsitus, ibi relictus est, cõscijs tantùm aliquot Iaponensibus, quorum erat ea nauis: quam postea obiectum cum Iaponensibus fœdus restituerunt Holandi absque captiuis Hispanis, quos sibi in prædam reseruare voluerunt: sed & hi demum ad vnum omnes nostrorũ armis in libertatem vindicati sunt, excepto solo illo D. Augustini egregio discipulo, qui bello ipso nauali durante tormẽtariâ pilâ traiectus interijt, cùm paulò antè captos socios ferróq; oneratos à peccatorum vinculis eximisset, se illósq; omnes præuijs litanijs DEO, quàm diligentissimè cõmendâsset,

SILANENSIS SEDES ET ANTIPOEANA.

IX. BONÆ sunt indolis Silanenses, & in quibus

bus dolus non est. Duci faciles ad omne id, quod cum vtili & honesto coniunctum est. Habent multùm pietatis & religionis, plurimũ misericordiæ: nec in populares solùm, aut Christianos, sed in eos etiam benigni sunt, quos scelus Idololatriæ etiamnum deprauat. Id nuper in eos liberalissimè ostenderũt, qui ab Hollando exagitati fugatíq; Silanum transierunt. Indus quidam de prætermissa annua confessione à Patre nostro non semel admonitus emendare se tamdiu neglexit, donec in contumacem diuinæ iustitiæ videretur animaduertendum. Conscendit ergo arborẽ præmaturis pomis fœtam; fefellit ramus, miserque in terram excussus gulam fregit, & sine sacris eodem loco expirauit.

X. ANTIPOLANA sedes tria habet oppida, in quorum vnoquoq; nunquam desiderari solent Nostri. Inuisit hoc anno Antipolanos simul & Taytayenses Segouiẽsis Pontifex, tum sacros ibi collatũ ordines, tum confirmationis Sacramento indigenas roboratum. Eum Indi quibus potuerunt reuerentiæ significationibus exceperũt. Duplex primò eorum cohors ad militiam facta, ante suum quæq; oppidũ, displosis in lætitiæ signũ sclopis, tibicinibus, musicísq; instrumentis accinẽtibus. Hoc deductus comitatu ad oppidũ Taytayense, magnam reperit hóminũ multitudinem se flexis genibus præstolãtem, tanta modestia ac pietate, vt lachrymas præ gaudio tenere non posset. Quaquà incedebat, stramine cõstratæ viæ, fenestræ Indicis pãnis inauratæ visebãtur. Mox atrium ingresso, signiferi vexilla priùs agi-

Digitized by Google

tata ad ſolum vſque ſternentes ab Epiſcopo ſubiectionis ergò calcari voluerunt. Modis multis & varijs defeſſum ſæpe exhilarare, aut excitare ſunt ſoliti; Indicis, Hiſpaníſque ſaltationibus: erecto ingeniosè arundineo propugnaculo, quo Malucenſem expugnationem feliciter iucundéque repræſentabant. Cùm iam iterum diſcedendi tempus aduentaſſet, pluuiíque dies vias omnes luto impleſſent, delatus humeris eſt à præcipuis nobilioribúſque Indis vſque ad fluuij ripam, vbi conſcensâ cymbâ ab ijſdem remigantibus Manilam deductus eſt.

XI. ANTIPOLANVS ciuis Tanaënſe oppidum, quatuor diſtans leucis ad præſtinandam orizam petierat. Dies is erat Apoſtolorũ Principibus ſacer; ſed ipſe nulla diei habita ratione oriza ſuam humeris imponit, Miſſam ſe in noſtro Iacobitano oppido ſperans auditurũ, quod quidẽ quàm facillimum videbatur, tum ob loci propinquitatem (citra leucam aberat,) tum etiam ob itineris planitiem & facilitatem. Iter ergo fecit vltra quinq; horas, necdum tamen D Iacobum, è trito illo tramite oculis aſſequebatur. Sub meridiem peruenit, denique ad ſata quædam, vbi intellexit ſacrificium iam omnino eſſe peractũ: inde dolens Antipolum properat, quod etſi leuca non amplius dimidia à D. Iacobo ſeiungeretur, tribus integris horis non attigit. In campo enim (qui minimè aſper interceſſerat) obnubilatis oculis viſu cœpit deſtitui: ſiſtit illico gradũ, arboríque ſibi propinquæ accliuis, rei euentum cum ſtupore præſtolatur. Non diu factum eſt, & om-

Digitized by Google

& omnem videndi facultatem amittit. Tum primùm oculi mentis aperiri, agnoscereq; ille, eas se profanatæ sanctissimæ diei, neglectiq; diuini officij pœnas dare. Quare in ipso loco vouet, se rem istam, vt gesta est, quamprimum Antipolum peruenirent, vni è Patribus Societatis aperturum, tum vt ipse castigaretur, tum etiam vt alij exemplo suo discerẽt sacros dies non violare. A voto statim visum suum recepit: sed (vt homines sumus) promissa tam diu præstare neglexit, donec secundo puniendus toto corpore acerrimis cruciatibus cœpit torqueri. Igitur humeris aliorum in templum delatus, geminæ punitionis rationem Patribus reddit, simúlque rogat, rem totam è suggestu alijs in exemplum publicari. Confessus deinde de peccatis quoque, pœnas illas à se omnino amouit, & cum DEO in gratiam redijt. Coniuges duo ex D. Iacobo oppido ob similem culpam pœnas dederũt hoc modo. Maritus in arundineâ casâ formandâ firmandáque, vxor verò in orizâ secandâ diem totum, quo sacris vacandum erat, occupabantur. Non visum est hîc conniuendum DEO; immisso igitur diuinitus igne ipsam domũculam cum orizâ in cinerem ac fauillam vertit, intactis atq; illæsis ijs, qui in vicinià negotia sua Ecclesiæ præceptis posthabuerunt.

XII. DEFVIT hoc anno Antipoli Nostris victus, quòd exigua fuerit eorum seges, quâ hîc ferè sustentantur. Auxit id mali tum ipsa Indorum egestas, tum etiam eorundem graues impẽsæ. Nam cùm ad bellum, quod vrgebat, pecunia

Digitized by Google

conferenda esset, adeò exigua Antipolanorum res apparuit, vt coacti sint Nostri sericos eósque recentes Ecclesiæ pannos, sacras item vestes cum argenteo calice illis ad debitorum solutionem offerre. Sed cum iam iam de earum rerum venditione ageretur, præcipui quidam ex ciuibus, rem indignam iudicantes, ea quæ iam DEO dicata erant venundari, ad nostram domum accurrunt celeres, & cum lachrymis P. Rectorem rogant, id ne fieri vellet, *sese ipsos de pecunia curaturos; quam si via alia parare non possent, pro Mancipijs vna cum filijs seruituros, dummodo tale nefas auerteretur.* Fuit huic piæ voluntati DEVS, mentémque iniecit harum insularum Præsidi, vt eam Indis pecuniæ summam Nostris agentibus facilè remitteret.

PORRÒ crucem illam, quam apud se retinuerunt, miraculis iam antè aliquot annis celebratã colunt, venerantúrq; religiosè. Illud hoc præcipuè anno firmatum, vt primâ sextâ cuiusque mensis feriâ eam à solemni sacrificio spectandam exhibeant Nostri, magno campanarum simul tubarúmque clangore. Eandem quotannis inuisunt pedestri supplicatione Taytayẽses vniuersi. Tres D. Matthei oppidani huius salutiferæ Crucis opem experti sunt; pater cum duobus filijs, qui sacro illius puluere in aquam immisso hausto, febrim & ventris assiduos pœnè dolores amoliti sunt.

XIII. NON procul ab oppido præardui sunt ad Aquilonem siti montes, quos Itæ barbari pro oppidis absque domibus habent. Hos quibus pos-

Digitized by Google

possunt studijs Nostri ad fidem Christianam amplectendam inducere laborant, nullam vt occasionem rei gerendæ intermittant. Descenderant ad oppidum aliquando Itæ quatuor, eos Gubernator statim quasi exploratores duci iussit in carcerem: & sanè vexatio dedit intellectum, quosque non potuit corrigere ratio, metus correxit. Pollicitabantur illis Nostri immunitatem libertatémque obtenturos, si fidem non aspernarentur: annuunt; missíque, qui vxores liberósque ex præruptis ijs montibus accerserent, locus datus est ipsis in oppido, factáque facultas adeundi catechesin, quâ ad Sacrum suscipiendum fontem præpararentur. Breui itaque conuenêre omnes numero viginti.

OPPIDVM TAYTAYENSE.

XIV. ADVERE huius oppidi Partheniani ciues vltra duos menses infirmis, qui ad centenarium vsque numerum hoc anno ascenderunt, æquis voluntati operibus. Nec defuerunt communi harum insularum periculo, tam precando assiduè coram diuinissimo CHRISTI corpore, quàm se affligendo, vt Hollandum ex suis insulis omnino propulsarent. Ac licet ad ineundum contra hostem prælium magnam pecuniæ vim effuderint, aliam tamen non minorem, in construendâ Nostris hominibus lapideâ domo, promptissimè insumpserunt. Quapropter & maioribus à DEO beneficijs sunt aucti, quãdo ab eo igne, qui quatuor oppida circumia-

Digitized by Google

cumiacentia absumpsit, immunes sunt conseruati; quorum vni ad leucæ spatium distanti nullo alio, quàm Christianâ charitate inuitante opem egregiam tulerunt: à quo deinde in simili periculo ipsi quoque sunt adiuti: parum namq; abfuit, vt ab irruente alio igne nostrum cum domo templum conflagraret. Sed & ab alio prætereà incendio, eóq; propinquiore liberati sunt. Bacchanalia erãt, & Æditiuus palmarum ramos, ad sacros cineres conficiendos, igni tradiderat; accensa interim candela ante sacram Crucem, in mensam, adeóque ipsum peristroma, quod ei prætextum erat, delabitur. Concepit flammam bene apta materia, eamque breui in tectum sacrarij extulit, quod quidem paleis coopertum, certissimò absumpsisset, ni DEO obstante sopita esset.

XV. AMOR Indorum erga B.P.N. IGNATIVM, seu potiùs IGNATII erga Indos est mirificus. Mulier quartâ à partu die repentinâ phreneſi abrepta, variâ capitis totiúsq; corporis agitatione adstantium commiserationem excitarat. Applicata sunt ei sacra aliquot remedia, sed ea non tam morbo occurrerant, quam inquietiorem reddiderant decumbentem, adeò, vt à malo genio possessa videretur. Ei hospiti expellendo adhibuerunt Patres numisma rosarij, cuius alterum latus B. IGNATII effigiem repræsentabat. Hoc facto, seu diabolus, seu morbus statim euanuit, apertísque oculis, tumoréque subsidente femina ad sanitatem spectauit; quæ & Beato Nostro ingrati animi significationem sacra aliquot, & ieiunia di-

nia dicauit. Aliæ duæ eiusdem beneficio pepe-rêre. Aqua lustralis suam vim hîc subinde prodidit. Ibant duo pueri per campum aliquando confabulantes, cum ecce tibi venenatus anguis è latebrâ suâ prorepens eos improuiso saltu aggreditur. Illi metu territi fugitant eiulantes: *hem serpens! serpens!* Non procul à loco senex Indus è templo piacularem vndam ad sata sua deferebat; hic visis ad se accurrentibus pueris, quid vos inquit, agitat? *Serpens*, aiunt, *prægrandis insequitur; en adest iam suo nobis morsu exitium allaturus.* Nequaquam ita fiet, subijcit senex, simúlq; serpentem aquâ aspergit, quâ velut flammâ impetitus, quàm longissimè aufugit. Notârunt etiam plures ab eo tempore, quo hic introductus est Melitensis ille lapis, qui à D. Paulo fortitus est nomen, neminem in hoc oppido, vel à colubro, vel serpente, nedum à Crocodilo fuisse percussum.

XVI. ADDENDVM his, quod ad S. Crucem spectat. Quinque enim hîc sunt à totidem annis ligneæ, seu arũdineæ Cruces, quæ omnes rebus supra ordinem naturæ effectis luculẽta fidei nostræ testimonia dederũt, & dant quotidie plura. Vetula quædam Catharina nomine duodecim annis oculorum vsu orbata, adhibito puluere, qui è Iacobitanæ Crucis pede deteritur, tam integrum visum recepit, vt sola nunc, & incomitata, suos mille à domo passibus distantes sæpe adire soleat. Cuius rei totum Taytayense oppidum spectator & testis fuit. Sed de his Crucibus infra plura.

OCTO-

Digitized by Google

OCTONIENSIS MISSIO.

XVII. HVC VSQVE ad Zebuanum Collegium spectauerat hæc Missio, sed cùm plurima, quæ Arevalensis oppidi sunt, è Manilano quasi è capite dependeant, visum est, vt eadem quoque expeditio è Manilano Collegio fieret. Hic ergo Sacerdos cum fratre Socio Hispanis, Sinensibus, Indisque Christianam legem solerter proponit explanatq;. Auxiliaribus copijs, quæ Manilâ in Maludum à Regio Præfecto quotannis mittuntur non negata opera est. Bis hoc anno ad portum, qui vltra leucæ spatium abest euocatus est à Tribuno militũ Sacerdos, vt ijs, priusquam vela darent, secundos ventos precaretur. Verum illud ibi præclarissimum gessit, quòd duos belli duces cum armis & armatis in cædem mutuam spectantes ita composuit, vt in vnam cœnam mirantibus cunctis conuenirent. *In* diuersa quoque oppida ab eodem *Sacerdote* abitum frequenter, in quibus præter paruulos sacro Baptismatis fonte tinxit adultioris ætatis ducentos, quos puditum non est Christianæ fidei rudimenta cum pueris addiscere. Hæc de vno Collegio, rebúsque Manilanis satis sunto.

ZEBVANVM COLLEGIVM.

XIIX. HISPANI, Indi, Sinenses æquè ab hoc altero Collegio, quàm à Manilano certa habent

Digitized by Google

bent auxilia, magna præsidia. Ad B. VIRGINIS Sodales diebus Sabbathinis, vt & sacris eidem VIRGINI ferijs in templo nostro dicitur, in quo populus frequens auditor esse solet. Bisanensem feminam matrimonio sibi iunxerat Christianus homo: is postea de coniuratione aduersus Nostros ab eâ malitiosè insimulatus carceris pœnas tam diu sustinuit, donec ipsâ innocentiâ patronâ inde reductus est. Verùm acceptæ iniuriæ memoriâ extimulatus, odium pro vxore & vindictam seruauit. Adfuit vtrique Sacerdos, rémque inter eos ita composuit, vti priusquam discederet, vxor à marito supplex & genibus nixa veniam oraret. Pepercit hic quidem oranti, sed alij Sinenses, qui eam iniuriam in vniuersum Sinarum genus redundare dictitabant, veniam pernegârunt. Itaque vt his quoque satisfieret, die quodam ipsam Sinensium Ecclesiam ingressa mulier, ibíque coram omnibus humi prostrata & in lachrymas effusa immunitatē criminis postulauit, eamque stupentibus cunctis impetrauit. Quamuis autem Indi toto pectore imbibere soleant Christianam doctrinam, veteres detestentur errores, ad eorum tamen animos magis excitandos firmandósque, visum est per magni Ieiunij tempus, exemplum aliquod è probatis sumptum historijs, non verbo tantùm statis diebus, sed penicillo etiam in tabulâ depictum proponere, quò altiùs in pectora fides nostra descenderet, si per aures simul & oculos iret.

Succes-

Digitized by Google

Successit inuentum adeò, vt quod ad capiendos Indos præcipuè fuerat excogitatum, Hispanis quoque vim inferret, gemitus ab ijs, pœnitentiam, & lachrymas impetraret. Plerique omnes in hac vrbe Societatem eiúsque institutum amant, & suspiciunt: ex his præcipui ferè sunt D. Augustini Sectatores. Eorum vnus dicere ausus est; *se ab eo tantùm tempore nouisse, quid esset maiorum imperio rectè subesse, quo sibi licuit B.P. N. IGNATII Epistolam de obedientiâ perlegere, cuius verbâ ignita ignem quendam cœlestemque flammam in pia Religiosorum corda conijcerent.*

XIX. E BOHOLANA sede huc missus erat P. Paschasius de Acuna: sed hinc statim iterum cum classe Mindanaum versus abire coactus est, postulante illum generali militum Præfecto. Classis ipsa Calendis Martij huius CIↃ. IↃC. IX. anni ad Dapitanum appulsa est, qui locus in Mindanaensi Insulâ Christianis nonnullis sine vllo Curione inhabitatur. Hîc vbi portum tenuere Nostri, mox à Duce flagitarunt, (in limine namque erat Quadragesima,) vt liceret sacellum aliquod tumultuarium ex arundinibus paleísque conficere, in quo diuina peragerent. Quo à Duce concesso, à vulgo facilè obtinuit Pater, seu cum vesperi Indos mixtis Dapitanensibus, seu cùm manè Hispanos doceret. Sub noctem dato æris campani signo, elatâ voce piæ decantabãtur preces à mille, & eo ampliùs Indis: inter quos pagani etiam ad reliquorum sonũ excitati, paulatim sine magno negotio, aptos se idoneósque sacro fonti reddiderunt. Euocatus aliquando bonus

Digitized by Google

bonus pater ad quendam in extremo vitæ articulo baptizandum, in ipsa via à rabido cane ita vulneratus est, vt vulnus acu, & filo fuerit claudendum: nec tamen in eo dolore suis defuit functionibus. Nam dicto vno Hispanis sacro Dominicis diebus, ad Dapitanenses statim semileucæ itinere, eóque ob præruptos montes perdifficili, secundum facturus abiuit. Sunt hi Indi Hispanorum amici, fuereq; apud eos Mindanaënsium hostium exploratores: quare varijs ad Zebuanam vrbem profectionibus, mores paulatim Christianorũ addidicerunt; itaq; plures breui tẽpore baptizati sunt. Alios iã antè baptizauerat P. Melchior Vitado, cùm Mindanaũ captiuus peteret: sunt enim eorum finitimi. Quam verò Dapitanensibus istis cordi sit Religio Christiana semel assumpta, testis oculatus fuit Hispanus quidam legatus, qui vectigal eò loci exigere solitus ex officio, eorum mores, & vitam studiosissimè obseruauit. *Vidisse se persæpè*, aiebat, *plurimos tum matutino, tum vespertino crepusculo, nemine monente consuêsse ædiculam sacram adire, ibique dimissis genibus, summóq; silentio ac pietate, aut horam, aut horæ dimidium orare.*

XX. IN IPSA Mindanaënsi insulà sinus Panghensis est. Ad hunc cùm pergeret Indus quidam, subitò velatis à Cacodæmone oculis, per aëra ferri sublimis cœpit. Gestabat fortè homo ille ex collo pensile B. VIRGINIS rosarium, quo inter volandum apprehenso, quàm potuit attentissimè se DEO commendauit; breuique succollante Diabolo in ipso Dapitanensi oppido suæ

Digitized by Google

damno collocatus est. Vidit eum Hispanus quidam militum Dux, qui tempus discessionis eius non ignorauit, demiratúsque oppidò eius tam citam hominis è tam dissito loco reuersionem: cui Indus ipse hanc mirabilis profectionis suæ historiam, viæque ducem comitémque patefecit. Idem ipse nocte proximâ ingruente repentino quodã furore percitus vxorem aliósq; tres Indos occidit; duos alios crudeliter periculoséque vulnerauit. Indi reliqui Christianos Christiano ritu, Crucibus nimirum feralíque amictu ad maris oram, vbi tunc Pater erat, detulerunt ad illud sacellum, quod supra diximus ineunte Quadragesimâ fuisse constructum; primíq; fuêre Christiani hi, qui præsente Parocho sunt hîc sepulturæ demandati. Admiscuêre se Indis Hispani, admirantes Barbarorum pietatem, qui pòst paulò triginta illuc misêre cereos, octóque simul ad funerale sacrum *argenti libras*. Pater pecuniam respuit, *addiditque* nequaquam se posse ea die pro defunctis facere, quòd esset maioris hebdomadæ feria quinta, Cœnæ Domini solemnis. Reseruari igitur iussit id argenti militum Præfectus, vt pro eo in vibe Zebuanâ commodiori occasione locóque plura defunctorum sacrificia fieri curaret.

XXI. QVOD autem bellum ipsum attinet hac classe cum Mindanaënsibus ineundum, diuino beneficio optimum sortitum est finem, pace vtrinque firmata. Nam tres Mindanaënsium Principes, Silonga, Buisan, & Rasamora duobus millibus Indis stipati, multísque tum armis

Digitized by Google

mis, tum bellicis tormentis munitis, alijs copijs in caracoa (nauigij biremis genus est) ad Panguinensis fluuij ripam relictis, Generalem nostrum Ioannem Soarium Gallinatum cum alia caracoa venientem sunt præstolati. In qua cùm vidissent Mindanaënses, plures, quàm par videbatur, Hispanos, vehementer extimuêre colloquio se credere; missis ergo internūcijs capita pacis designata sunt: quæ donec à Manilano Præfecto cōfirmarētur, datę sunt induciæ, & suū quisque repetière portū. Quanquam verò de huius pacis firmitate à Nostris dubitabatur: res tamen ipsa ostendit, nequaquā illam intermitti debuisse: siquidem his duobus annis Pictorum insulas, vt aliàs solebant, nec depredati sunt, nec ingressi: quod pro magno habitum. Potuissent enim hoc præsertim anno vniuersas eas insulas perdere, Nostris in Hollandensi prælio occupatis. Verùm ad Buineiensem insulam sexaginta Caracois grandioribus se conuertêre. Læsi tamen à Buineio Rege adeò sunt, vt vix superesset, qui nuncium ad suos de Mindanaënsium interitu referret. Dum ita pax cum Mindanaënsibus constituitur, ad eorum aures mors P. Melchioris Vrtado peruenit: quā deplorarunt illi tres principes, eorúmq; præcipui Caciques Morabitæq;, qui defuncti modestiam humanitatémq; deprędicauerunt maximè, *optimum Patrem* nominarunt, & cùm haberent multa alia, quæ in tanto viro suspicerent, illud præcipuè voluerunt commēdare; *quod esset à mulierū familiaritate aspectúq; alieniſsimus*. En quanta vis sit virtutis, vt ab hoste in ipso etiam hoste diligatur. Lau-

Digitized by Google

Laudant Mahumetani Christianum, Piratæ Religiosum, omnibus vitijs dediti pium sanctúmque, & qui pro vnâ centum habent vxores, à feminis abhorrentem extollunt.

SEDES BOHOLANA.

XXII. QVÆ externa sunt Boholanorum bona, superioribus pacis euentibus vberiorem, quàm antea fegetem habuerunt. Sed nos interna, & quæ animos propiùs tangunt, libentiùs scribimus. Nauigabat è Nostris Sacerdos ad Baclainum oppidum: & ecce repentino capitis dolore oneratur: adiungitur nauigandi nausea, quam nunquam antea fuerat passus: descendit è scaphâ: oram ipsam secundo mari pedes init: iam leucam peregerat, cum in humilem casam incidit: quisnam inibi lateret, quærit: referunt, nobilem quendam Indum morti propinquum. Ingressus mox Sacerdos laborantis excipit Confessionem; qui quasi nihil aliud præstolaretur, acceptâ absolutione ad vitam alteram properauit. Plura hîc eius generis exempla narrari possent eorum, qui aut à Baptismo, aut à Confessione rectà ad cœlum discessêre, nisi prolixitas satietatem pareret.

XXI. LOBOCI, in Malabago, & Baclaione supra tria millia Confessionum generalium sunt excepta: posthæc nauigauit idem ille Sacerdos ad Siquiorensem insulam, cuius incolæ à malo Dæmone instigati, nihil ad exemplum Boholanorum fecissent, nisi id eis pia quædam vetula persuasis-

Digitized by Google

ſuaſiſſet; mater, inquam, Michaëlis Ayatumi Boholani Seminarij Alumni: de cuius egregij Adoleſcentuli vitâ ac morte ad finẽ huius anni pluſcula dicentur. Femina igitur illa tum verbis, tum rationibus, tum proprio etiam exemplo tãtum apud barbaram gentem potuit, vt manus libenter, immò pectora DEO, ac Confeſſario darent. Quem eius conatum illa, quæ quibuſdam acciderunt, mirificè adiuuerunt confirmârunt-que. Femineus maximè ſexus extimulatus; vnde recens inſtituta eſt mulierum Indarum Sodalitas, quarum præcipuum munus eſt, alias inſtituere, maritos proprios docere, exemplo prælucere omnibus. Et ſanè inter vulgares feminarum laudes repondẽdum minimè eſt, quòd cùm à præcipui nominis, & generis lenonibus plures eorum propoſitâ mercede quærerentur ad abuſum & libidinem, nulla omnino toto in oppido Baclaiano reperta ſit, cui venalis eſſet honeſtas, aut pudicitia. Contrà viri, quorum iam antiquior eſt Congregatio, feminis vllo in genere virtutis cedere, turpe putant. His inter alia vſitatum eſt ſacratioribus B. VIRGINIS Patronæ ſuę diebus à vino ſe abſtinere. Hæſerat in gutture cuiuſdam pueri ſpina peracuta, & dolorem creans, & periculum creatura. Acceſſit ad Noſtrum anxia mater, Euangeliúmque ſuper dolentem natum recitari petijt. Recitatum eſt, ſed effectui obſtitit ſuperſtitioſa matris Religio, quâ plus ſuis, quàm noſtris ritibus tribuebat. Cum ergo puero peius ſemper habente nihil proficeret, ſubmonita à Sodali quadam eſt, vt ſe VIR-

Digitized by Google

GINI Deiparæ natúmq; vna commendaret. Applicatur inde gutturi ærea B. VIRGINIS imago: Rosario pendula, moxque excussâ spinâ dolor omnis cessauit. Vastarat maximum locustarum examen Indorum sata. Inda tum Sodalis B. VIRGINI se filióq; obtulit, petiitq; suam ab eâ defendi orizam, è quâ vsus vitæ penderet: audijt supplicem VIRGO, aliisq; desertis deuastatísque hanc solam à locustarum vi, atq; incursu tutatæ est. Cuiusdam senis, (qui ab Idolis ad verum DEVM se contulerat, eâque præuia omnium peccatorum narratione firmiter adhęserat) segetem populabantur simiæ quædam, quas Cacodæmones existimarat, quòd nullo possent remedio fugari: tandem petitam ab alio quodam D. Hieronymi icona in satis reliquit suspensam, eâ territi, seu Dæmones, seu simiæ, nunquam ibi amplius ausi sunt comparere.

XXIV. Mos erat inter has gentes locustarum quoddam genus pro gallinis vnius Diuatæ seu Idoli, quod Raom nominant, habere. Cæperat illarum vnam Christianus quidam, eiq; tantum auri, quanto ferendo par esset, ad morem superstitiosæ gentis appendit, vt ad Laomum profecta gallinas ex segete abesse iuberet; hac ergo vsus stultitia ille, & aurum perdidit, & segetem. Factum bene! Is namque damno suo sapiens, pœnitudinéque ductus templum adijt, vbi mutatis moribus in eum virum est mutatus, qui suo postea exemplo plurimùm plurimis profuit. Dederunt & alij tres impietatis suæ commeritas pœnas. Vnus vulnere secundùm crus acce-

Digitized by Google

accepto à Noſtris curatus eſt, ita vt breui meliùs haberet; ſed ille quò perfectiùs citiúſque ſanaretur, ſtulto conſilio ſibi perſuaſit, expedire omnino, vel ſemel ſaltem Idolis ſacrificare. Fecit: ſed ſuo malo; ex vlcere namque illo interijt: quamuis priùs & crimen agnoſceret, & ſalutari ſe pœnitentiâ DEO reconciliaret: quod denegatum eſt alteri, pro cuius ſalute cùm ſues ſacrificarentur Dæmonibus, ipſe quoque ijſdem victima ſine confeſſione ceſſit.

Idem contigit alij, qui licet ipſe deteſtabile ſacrificium non faceret, fieri tamen pro ſe conſenſit: doluit hic quidem poſtea, ſed moriendum fuit: patrem euocari curauit, ſed adeſſe non potuit: atque ita ille abſque Sacramentis diſceſſit. Conſanguinei verò ipſius cautiores redditi, Confeſſiones de tota vita omnes inſtituerunt.

XXV. PORRO, quia hi Indi nihil de cruciatibus malorum, nihil de æternâ Iuſtorum mercede, aut beatitudine niſi ridicula quædam credebant, ideò drama quoddam hoc anno de D. Barbaræ Martyrio Biſayâ linguâ datum eſt. In quo cùm patrem VIRGINIS viderent æternis flammis ob flagitia mancipari, ſubito horrore correpti: *Hic enim vero noſter* (inquiebant) *erit finis, ſi à rectâ Chriſtianorum vitâ defecerimus.* Contrà, cùm intuerentur palma coronáque inſigniri D. Barbaræ animam, cœlum feliciter inter ludos cantúſque Angelorum ſcandentem, non minori ſunt perfuſi lætitia, admiratione-que defixi.

Digitized by Google

ATQVE hæc omnia comparantes cum ijs somnijs, quæ à suis Baylanis seu Sacerdotibus audierant, eos irridebant, nostrásq; religionis res tanto magis prædicabant, quanto magis rationi veritatique consentaneæ videbantur. Comparârant ad id propositum Nostri complura eorum idola, ex quibus præcipua sunt molares Crocodilorum dentes, (de quibus in vita Michaëlis ad finem,) quæ idola cùm viderent in ipso Dramate à Diua alijsque Christianis calcari, proteri, irrideri, nulla suipsorum læsione aut damno, qui erant vnius DEI, præ lętitia applaudebat; qui plurium, præ mœrore & commiseratione tristabantur. Igitur non pauci hoc spectaculo permoti ista simulachra (Dalongdones vocant) ad Patres nostros detulerunt, qui ea in spectantibus illis ad declarãdam eorum imbecillitatem inanitatémque, vel pedibus, vel ignibus ipsis subiecerunt. Baylanus quidam Christianus iam, Patre suadente, publicè in Ecclesia ad populum habuit orationem, in qua Baylanorum quorundam fabulas ac præstigias exagitauit. Hi enim, vt ab infirmis argentum emungerẽt, fingebant dolentes quoscunq; ex lapide quodam intestino, atque occulto laborare: quare membra ægrotantium pannis inuoluta fricabant, tum id quod doloris tumorisq; caussam mentiebantur ipsa brachij, seu pedis fricatione in ignem proijciebãt ea dexteritate manuúmque agilitate, nemo vt fraudem facilè deprehenderet. Ea huius oratio, cremata arbor, & Dalongdones euersi magni apud hos Indos fuerunt emoluméti: multi enim illorum

qu

Digitized by Google

qui priùs à dœmonibus, aut præstigiatoribus eiusmodi consiliũ remediúmque suis malis quæsierant, nunc ad nos conuersi Christiana adhibent amuleta: & fuerunt aliqui, quos sacra Euangelij recitatio, aut salutiferi nominis IESV ac MARIÆ inuocatio ab infirmitate vindicauit.

XXVI. QVIDAM in mari periculosis abreptus procellis suos euocabat Deos: moxque tanquam hoc peteret, vndis inuolutus mergi cœpit. Mutauit ergo preces, vnum verúmque DEVM implorans, & statim superior aquis, sine periculo ad littus peruenit. Alius cum Patrem audiret de nostra fide non sine ingenti animi contentione disserentem; *non potest*, ait, *fides illa vana aut falsa esse, quam hic vir tanto conatu, tantóque corporis sui sudore deprædicat, ergo eam amplector.* Quod & fecit, non minore desiderantis bono, quàm lætitia cõcedentis. Idem & alius contendit deinde, permotus solo audito eius flagelli strepitu, quo se Sacerdos CHRISTI diuerberabat: dicebat enim, *nullo pacto censendam esse, aut paruã eam gloriam pro quâ se Sacerdos ille tam malè mulctaret.* Finxerat se membris captum quidam, debilem, & perinfirmum, vt ne templum scilicet adire cogeretur, & habita quidem ipsi tanquam digno fides est. Verùm paulò pòst, eadémq; ipsâ die è scalis, vindice DEO præcipitatus est tanto corporis damno ossiúmque conuulsione, vt sacro statim oleo ad mortem fuerit inungendus. Alius item se festis diebus aliquoties ab audiendo sacro subduxerat; iniuncta est homini pro culpa pœna, vt per hebdomadam integram sacro quotidie interesset:

Digitized by Google

tergiversari ille, dictámque mulctam procrastinare, seu potiùs omnino prætermittere. Cùmq; ei nemo hac in negligentiâ faueret, ipse initâ fugâ oppidum suum repetijt, ibíque miser ex palmâ quam fortè conscenderat, corruens, vitam extemplò amisit. Senex quidam Christianis aliquot ímixtus opus nescio quod cultro facitabat, illud interim ingeminans: *quod Diuata fortunet.* Christianus verò qui ponè stabat; *heus tu senex,* aiebat, *haud istuc quidem aptè dicis: muta verba, ne mutes sententiam. Dic: Quod DEVS Opt. Max. fortunet: Diuata namq; Diabolus miserrimus est, nec in suâ habet potestate operâ mortaliũ, vt benè vel malè fiant.* Senex posthabito bene monentis consilio, opus prosequitur, impiámq; precãdi formulam tam diu repetit, donec eodem sibi cultro digitũ præscindit; ita nempe fortunauit rogatus Diuata. Fuit tamen hoc infortunium homini occasio melioris fortunæ: nam mores inde vitámq; suam eodem illo iuuante amico feliciter mutauit.

DVLACHIANA, GARIGARANA, TINAGONENSIS ET PALAPACANA SEDES.

XXVII. EX DVLACHIANA sede labores potius Nostrorum ad me peruenerunt, quam laborum fructus: illud certissimum, superari omnino à messe messores. Pleraque cum Boholanis, adeóque ipsius etiam seminarij, quòd hîc est, exercitia sunt communia. In maiori hebdomade tanta fuit multitudo eorum, qui ante templum

à sup-

Digitized by Google

à supplicantibus calcari, & CHRISTI amore suppantari voluerunt, vt modus à Nostris certus numerúsque fuerit definiendus. Eiusdem hebdomadæ supplicatio à Carigaranâ sede habita numerauit vltra quadringentos Indos se ad sanguinem diuerberantes, idq; non semel: nam in ipso Hollandorum ad has Insulas aduentu, idem peregerant, DEVM impensè orantes, vt ab hostibus securi essent: quod impetrâsse videntur celebri de ijs reportatâ victoriâ, vt supra iam demõstrauimus. Eandem pietatem imitata sunt alia quoque oppida, Alangnalanum, Ognucum, &c. In peruigilio Purificatæ VIRGINIS Ognucum se cõtulit nobilis femina, quæ anno CIↃ. IↃC. VI. à Mindanaënsibus capta, in vinculis diu perseuerauit: hæc visâ hominũ multitudine Sacramenta eâ die obeuntium vix se capiebat præ lætitiâ: narrabátque præterea, duos huius oppidi incolas, senem cum puero à Mindanaënsi Domino in Sacrificium Dæmoni fuisse oblatos interfectósque, ac se ab eodem pro vxore designatam, respuisséque conditionem, quod indignum scelestúmq; videretur, Christianâ cum Idololatrâ cõmiscri. Puer ac pœnè infans nescio quid indecorũ puerilevé gesserat in templo: hic monitus deinde, non tantùm petijt à Patre nostro veniam immodestiæ in loco sacro commissæ, sed eò se quamprimum contulit, vbi peccârat, ibíq; se acriter & diu suapte sponte cecidit.

XXIIX. Ex hac sede missus Sacerdos ad oppidum Poranum, à Mindanaënsibus antea cõcrematum, Indis omnibus hac illácque ferarum instar

instar dispersis : attamen breui ex arundinibus confectum sacellum est, vbi priora Christianorum exercitia innouata sunt. Adfuit ad Patris ingressum mulier quædam captiua, de quâ illud publicè ferebatur, quòd in fugâ totos quindecim dies sine cibo in montibus delituerit, singulari Dei beneficio ob vitæ integritatem sustentata. Inter recens baptizatos fuerunt quatuor vetulæ, quæ maximâ in ediscendo Catechismo diligentiâ illud bonum sibi comparârunt. Idem beneficium obtinuerunt alij multi, oppidorum nempe Lapacani & Cabalani Gubernatores, vnà cum vxoribus, familiâ & alijs. In Sogorienſi oppido edocti sunt Christiani verum actum doloris elicere, quo in mortis articulo Sacerdote absente vterentur; dataque baptizandi formula pro ijs, qui in extremis cõstituti, Sacerdotis copiam habere non possunt. Cum Baybayenſibus Pentecosten celebrauit Noster : & quia vrgente fame plures hinc inde vagabantur victûs quærẽdi gratiâ, prouisum est per Nostrum, vt nonnullorum liberalitate orizæ non parua copia ante valuas templi distribueretur, itâque corporibus simul consuleretur & animis.

XXIX. FINAGONENSIS & Palapacana sedes ad vnam tantùm superioribus annis pertinebãt; sed quia difficile erat ob locorum distantiam sub vno regi capite, in duas nunc sedes diuisæ sunt. In Christianos abluti vtrobíq; hoc anno ad mille infantes, exceptis adultis: totidem ferè matrimonia Christiano ritu facta: Christiani ære alieno soluti, mancipia aliquot libertate, Nostrorũ operâ

operâ, sunt donata. Illud accidit duobus paruulis perutile. Dum se parat Sacerdos noster ad comitia prouincialia, petijt ab Indis, vt si quis superesset non baptizatus, sisteretur, se enim abiturum. Adfuit mox femina, quæ susceptum ex fornicatione filium Patri tingendum obtulit. Pater, vt quem non fugiebat, quantum solerent Bisayenses timore pœnæ huiuscemodi partus celare, quasi admirans feminæ in filium charitatem; *probè tu quidem*, ait, *quæ pluris facis salutem filij, quàm proprium dedecus: en tu non celasti crimen, ego tamen celabo pœnam, quæ iure tibi infligenda erat. Age iam rectiorem tibi compara viuendi rationem: vade, & iam amplius noli peccare.* Intererat huic negotio Indus, qui & ipse rem nouerat: is cùm videret hanc Patris humanitatem, & sine omni pœnâ dimissam feminam: *Pater optime*, inquit, *si hoc te modo geris, aliam huiusmodi tibi offeram prædam, eodem morbo laborantem, quæ præ metu, & verecundiâ in hisce montibus latitat.* Affer sis illam, inquit Pater, ad me, reperiet eundem, eandem beneuolentiam experietur; nec mora adductus infans baptismum accepit, & quæ Dei in his Indis prorsus admiranda apparet prouidentia, ambo hi infantuli post biduum morientes ad terram fluentem lacte & melle feliciter sunt assumpti.

XXX. INTER viginti tres, qui CHRISTO nomẽ publicè dederunt, fuêre octo feminæ Idolorum Sacerdotes. Paganus quidam iuramentum coram Iudice fecerat more gentis, vt si falleret, à Crocodilo deuoraretur: fefellit hic; at non fefellit Cro-

Digitized by Google

lit crocodilus: eodem enim vesperi deuotã sibi absumpsit escam. Porrò videtur diuina bonitas nouellis hisce plantulis plus aliquanto cõcedere fauoris, quã robustioribus iam, & quæ suo quasi succo viuere possũt. Vnde frequens apud hosindos est, extraordinarios rerũ sacrarũ ac ceremoniarũ effectus experiri. Quidã ferendæ orizę partem aliquã ad templũ detulit, consuetis Ecclesiæ verbis cõsecranda: eam deinde seuit, citiúsq; procreuisse, quàm, quæ multò ante seminata fuerat, sacrâ quadã vi, animaduertit. Cõsecratos palmarum ramos alius quidam à se deponere noluit, q illis ab imminenti tempestate se liberatũ diceret. Narrauit alius, se ob neglectã in tẽplo Catechesin periculũ submersionis in trãquillo mari adijsse; sed inuocato salubri IESV nomine incolumem euasisse. Iuxta Assunense oppidũ ignis in suburbanis capis erupit tanto impetu, vt oppido iam iã exitiũ videretur allaturus. Huic incendio quidã è Fratribus nostris cũ Agno DEI sit obuius, illũq; in ipso loco reliquit suspensum. Palmus iam tãtum inter ignẽ & Agnum intererat; sed ita stetit tremula flam̃a, vt nec iam progredi, nec ad latus digredi auderet, maximâ Indorũ cũ admiratione. Non ita stupidº & impotẽs fuit ille alter ignis, qui subiectus à Christianis est domui cuidam in recõdito montis loco ad quã furtim Dijs suis facturi accedere solebãt pagani. Flam̃a. n. latè erũpẽs, pfanũ illud lararium & asylũ impietatis, omio deuastauit, vnàq; omnẽ occasionẽ pòst iterũ sacrificãdi improbis hominibº absũpsit. Reliqua nõnulla, quæ in aliquibus huius prouinciæ locis cõsultò hîc missa sunt, cõmodius infra narrabũtur.

Digitized by Google

Latissimum fertilissimúmque agrum Mexicanum Ducenti quadraginta octo Socij habitationibus duodecim, & vnâ Missione diuisi coluerunt; è quibus ad quietem æternam vocati sunt sex, ad laborem in eorundem locum suffecti duodecim.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Domûs Prof. Mexic. Soc. fuerũt.	XXX.	XVII.	–		XIII.
Collegij Mexicani.	LXXIX.	XXXII.	V.	XX.	XXII.
Seminarij S. Gregorij.	IV.	III.			I.
Seminarij S. Ildephonsi.	X.	II.		V.	III.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Collegij Tepotzotlani.	XXXII.	V.		XX.	XVII.
Seminarij S. Martini.		I.			
Colleg. Angelopolitani.	XXVIII.	X.	II.		XVI.
Seminarij S. Hieronymi.	IV.	III.			I.
Coll. Guadalaxarenſis.	XII.	IV.	I.		VII.
Coll. Valliſoletani.	X.	III.	I.		VI.
Reſident. Cacatecanæ.	VII.	IV.	I.		II.
Reſid. Zinaloënſis.	XIV.	XI.			III.
Miſsion. Tepehuanicæ.		VII.			

Vt ſactum fontem ſuſciperent, perſuaſi bis mille quadraginta quatuor.

Vt turpem cum honeſtâ vitâ permutarent, ſeptendecim.

B. Parentis noſtri precibus, & reliquijs curati ſeptem.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA MEXICANA.

I.

VIA VENTO SESE ACCOMmodare debent Mexicani, & à Neptuni imperio quodammodo, marisq; ingenio pendent, ideò annum hũc (quod ad datas litteras) ab Aprili in Aprilẽ distinguũt. Luxerunt in domo Professà Sacerdotes duos, P. Christophorum Brauium, & P. Franciscum à Trento, hũc tria, illum quatuor *vota professum*. Triginta sex annos (è quibus vndeuiginti in Societate posuit) ita vixit P. Franciscus, vt si ei credimus, qui de totâ vitâ confitentem audiuit, innocẽtiam baptismi sepulchro intulerit. P. Christophorus, à vigesimo ad quinquagesimum *tertium* vitę annũ, ita religiosus fuit, vt siue pulpita, siue Theologiæ cathedras possideret, siue Collegiorum administrationes, Prouinciarum visitationes obiret, siue etiam linguis, siue saluti animarum operam daret, ĩnter prima huius Mexicanæ prouinciæ lumina collocandus videatur. Vir fuit (vt ne ad singula descendere opus sit,) omni

Digitized by Google

omni morum, & virtutum elegantiâ exornatus. Mortis ſentẽtiam, tanquam felicitatis nuncium accepit: vnde & merentes increpare, & medico venam tentanti dicere ſolebat. *Multùm terræ deperdi, parùm ſuâ intereſſe, dummodo pro eâ multùm lucretur cœli.* Integris ſenſibus vſus eſt, ad vſq; extremum ferè ſpiritum, ter pane cœleſti refectus, & ad ſupremam denique luctam ritè inunctus. Quantæ verò virtutes viri huius fuerint, ipſe præſertim Princeps nõ obſcurè teſtatus eſt, dum toties ſubmiſit, qui & infirmum ſuo nomine ſalutaret, & renunciaret valetudinis momenta.

II. SED eadem eſt de vniuerſâ Societate reliquorum Mexicanorum cura. Patrem noſtrum Viſitatorem huc aduentantem tanta primatum, plebeiorúmque excepit frequentia, vt multitudinem non caperet capaciſſimum alioqui Mexicani Collegij templũ. Facibus, vocibus, omníq; gratulationis genere geſtientium animorum lætitiam, & ſuũ in Societatis filios proteſtati ſunt amorem. Hinc nihil vnquã Domui, templo, Patribus deeſſe patiuntur. D. Ioanna Guttierres, è cuius bonis, & dotatione domus hæc alitur hoc anno defuncta, huic ſuo templo perficiendo viginti millia pondo argenti teſtamento legauit. Certabit hoc opus cum quocunque occidui orbis, diuitijs, elegantiâ, maieſtate. Sacræ ſupellectili aliũde acceſſit hierotheca, Crux, lampas aræ B. P. N. IGNATII ſuſpendenda: omnia ex multo argento. Pretium in ſacras veſtes impenſum tria aureorum millia facilè excedit. Vix tamen vnquam toto anni decurſu illu-

Digitized by Google

ſtrior fuit templi facies, aut Mexicanorum pietas ardentior, quàm eo tempore, quo maximè bacchari, & in voluptates diffluere ſolet inſana gens mortalium. Hanciſtam celebritatem auſi ſunt P. Franciſcani ſuæ Portiunculæ comparare: triginta è Noſtris Sacerdotes tanto confitentiũ agmini difficulter ſatisfecerunt. Sodalium virtus ſuis ſe exercitijs vt aliàs, ita his præcipuè diebus prodidit. Sepulchrum CHRISTI eodem modo glorioſum fuit, regij præſertim Senatûs Guadalaxarenſis præſidis ſumptibus, tum verò Sodalitij, quod ſub titulo Saluatoris eſt, ſupplicatione triduanâ.

III. GEMINA porrò hinc expeditio ſuſcepta: vna ad oppidũ D. Ioannis à flumine, more quidem antiquo, ſed fructu nouo. Confluxerant eò ex circumiacentibus pluribus villis turmatim agricolæ, paſtores, bubulci: genus hominum, ſi quod aliud, morum inſolens, *diuinarúmque rerum rude*: quippe qui defectu *doctrinæ*, & *licẽtiâ* ſolitudinis, pecudum vitam magis agunt, quàm ipſæ, quas paſcunt, pecudes. Expiati plerique omnes. Altera ad Æthiopas profugos in montibus, & ferarum luſtris delitescentes, *aduerſus* quos Prorex militem expediuerat: quæ Miſſio vt Sacerdoti noſtro periculoſa ac laborioſa extitit, ita etiã fructûs ac gloriæ plena. Vaſtauerant hoſtes, & infeſtos reddiderant paſſim agros, ſuccenſæ ab ijſdem villæ, ſacchari officinæ dirutę, oppida crebris irruptionibus ſpoliata, incendijs vaſtata: res deniq; tota ad ſeditionem certam ſpectabat; Diuiſæ enim iam inter fugitiuos il-

Digitized by Google

nos illos fuerant prouinciæ: Rex lectus (ioco scilicet dicebãt illi) & diademate aureo insignitus. Subitarijs ergo copijs ijsque non magnis periculo obuiam itum est. Centum viginti equites, pedites Indigenæ pharetrati, & hastati ducenti in siluas & rupes educti. Nec latuêre aduersarios consilia Hispanorum, nec animum abiecêre, quin potiùs ad pugnam præfidenter euocare, & multa nostris superbè exprobrare sunt ausi. Ianga enim (sic appellabatur ille, qui inter Æthiopas & genere, & iure, & formâ se regem iactabat) captiuum Hispanum militem, quasi de vicinâ morte trepidantem, hausto sanguine, in Barbarorum morem, bono animo esse iussit; neque enim moriturum, vt qui principis vultum conspexisset. Dictauit insuper litteras ad Præfectum nostri agminis, ambitione, iniurijs, minisque plenas. Addidit *mittere se hunc eundem militem nuncium simul, & indicem vix, ne forsan errore distractus Hispanus prælium differret.* Spes Æthiopi ab ingenio, & naturâ loci præruptí, aditu omni præcluso, vno duntaxat calle vtrinq; in summam altitudinem excauato: & hunc præterea ipsum certo interuallo portis tribus, & armato militũ præsidio munierat. Arma verò hostium præcipua, lapis, ensis, hasta, lunatus contus, sclopetum vnum alterúmve. Accepto tam arroganti nuntio profectionem maturat Hispanus, nec lõgè à saxo hostili metatur castra. Datur ea nox horaéque aliquot sequentis diei reficiendis corporibus, animísque per confessionem apud Sacerdotem exonerandis. Adultâ iam luce Sacrificium

Digitized by Google

ficium Missæ peragitur, ab eo ad pugnam itur: ac primo quidem congressu, Æthiops denso saxorum, sagittarúmq; nimbo nostrum peditem, (equitum enim nullus ibi tum vsus) obruere, cósternereque. Sed vbi detonuit ea tempestas, Hispani indignabundi in obiectas portas feruntur eo impetu, ac fortitudine, vt irrita fecerint munimenta omnia, reluctantiúmq; aduersariorum nisum penitus fregerint. Defertur pœnè simul cum strepitu portarum ad senem languam, in frondoso fano cum imbelli sexu, atque ætate tum orantem, suorum aut fuga, aut strages: re cognitâ in opacissimam siluam à tergo elabitur; sequuntur feminæ regem, miles feminas, fit fuga turpissima. Interim Hispanus nullo resistente rerũ feliciter potitur, diuidit spolia, agros vastat, flammis relinquit cetera. Ita Noster cum victore milite reuersus dici vix potest, quantam gratiam inierit, tam apud militiæ præfectum, quàm apud ipsum Proregem.

COLLEGIVM MEXICANVM CVM SEMINARIIS SS. GREGORII & Ildephonsi.

IV. NOBILITAVIT hoc Collegium mors maximi viri, Patris, nempe, Petri Sancij, quatuor vota in Societate professi, cuius vitam à capite resumere operæ pretiũ erit. In Agro Toletano oppido S. Martini de Valdeglesias ortus, gloriam sibi non tam auitis, quàm proprijs gestis comparauit. Staturâ fuit procerâ, nec tamen indecorè graci-

Digitized by Google

gracili, luminibus cœsijs, inceſſu graui, morum placido quodam, & perpetuo tenore. Nihil in eo occultum, nihil ſubdolum, aut ſimulatum, nihil quod nobilis, nihil quod obſcurus reprehenderet: dignus tandem, qui inter lumina non Societatis modò, ſed Eccleſiæ totius numeraretur: vt non ſine omine in inſignibus ſuis habuerit illud pſalmographi: *In ſole poſui tabernaculum meum.* Vix iuuentam egreſſus inter Theologiæ laureatos numerari cœpit: honoribus illis mox addita publica Academiæ Complutenſis onera. Ibi tum ſtimulis quibuſdam internis agitari, vocibúſque quaſi à cœleſti voce articulatè expreſſis ad Societatem IESV impelli. Secutus monentem, ijs virtutibus Tirocinium Simancenſe illuſtrauit, vt quinquageſimo poſt ingreſſum die Complutū cœpto liberalium artium curſui perficiendo fuerit remittendus. Valliſoleti Theologum, Salmanticæ Rectorem egit, immo Architectum potius, aut operam, quippe qui in ædificium manu propria cæmentarias ſportulas geſtârit. Ex Collegio Complutenſi (cui deinde præpoſitus fuit) vocatus ad magis ardua, Oceanum naui ingreditur, commeatu tenui, comitibus quindecim Mexicanæ huic prouinciæ fundamenta iacturus. Nauiganti placidum ſe præbet mare, nautica plebs morigeram: Socij in Collegio Complutenſi ſibi verſari videbantur, adeò non admonitiones, non exercitia ſolita, non cymbalorum certis horis ſonitus deerat. Littus & vrbem cum Socijs ingreſſo, ciuitas vniuerſa de proſpero aduentu gratulatur.

Digitized by Google

Prorex pijs eorum conatibus omnem fauorem & gratiam promittit. Accingitur inde ad opus magno animo laboriosus Pater; Scholas Regias collapsas restaurat, nostras aperit. Tria educandæ iuuentuti seminaria erigit; Collegiorum aliquot nostrorum fundamenta iacit, quæ paulò pòst ad fastigium educit. Proregi adest consilijs, Sacræ fidei Senatoribus censoriâ sententiâ verus vtique lapis lydius; plebi præsertim & indigenis se impendit, obitis per se pérq; suos ministerijs omnibus Societatis. Totis viginti quinque annis conciones pomeridianas, tam festis alijs, quàm Dominicis diebus habuit. Multorum denique annorum commentaria, & vigilias vulgauit, sub titulo *Regni* DEI, in quo virtutum vitiorúmque apparatum copiosum lectori suppeditat, stylo quidem non fucato, aut phalerato, sed qui Pachomios redoleat & Arsenios.

Hinc quidquid præclarum, quidquid illustre viginti septem annis, quibus hũc agrum coluit, gestum est, id omne illi, ceu capiti & antesignano iure merito attribuunt Occidẽtales. Interim non neglexit suum ipsius bonum, id quod testãtur statæ flagellationes matutinæ, vel in summâ senectâ, cibi parci, & communes; haustus aquæ perpetuus, nisi morbus aliud requireret, indumenta vilia, & ex improbitate satis nota. Diuinarum rerum commentationibus & colloquijs ita insueuit, vt per quietem etiam alia non tractaret: Angelum verò custodem consiliorum suorum omnium interpretem adhibuit. Itaque sincerè & familiariter Nostris est solitus dicere,

Obuios

Digitized by Google

Obuios sibi Dinos se vel ex facie agniturum. Porrò virtutes pleraſque omnes excellenter habuit; ita maioribus apertus, vt ex ſemeſtri illâ noſtrâ, aut annuâ conſcientiæ reddendâ ratione quotidianam pœnè faceret. Accepto mortis inſtantis reſponſo omnem ſupellectilem ſuam cubicularem in vſum vitæ conceſſam iis, à quibus acceperat, remiſit, icone papyraceâ tantummodo apud ſe retentâ, vt pauperem & nudum CHRISTVM nudus & pauper, ſi vnquam aliàs, tum maximè ſequeretur. Vulgata fama de proximo tanti viri diſceſſu ipſum etiam Proregem exciuit, qui vt eſt humaniſſimus, moribundum ſuâ quoque præſentiâ dignatus eſt. Cuius officioſiſſimis quæſtiunculis bonus pater aliquandiu ſatisfecit, vt potuit: ſimul verò de Republica aliquid interſeri cœptum, vrbanè monuit, tempus breue eſſe, eo proinde non abutendum: abitum ergo iubes? ait Prorex; ille, oro certè: hac lege, inquit, diſcedam à te pater optime; ſi bene preceris. Imò, Pater luminum pro bonitate ſuâ, id faxit, ſubdit æger, ſimúlque tollens in cœlum oculos; *Pater*, inquit, *cœleſtis, foue hunc tuum principem, in cuius ſinum fouendam Rempublicam Mexicanam dediſti.* His illacrymans vdos oculos auertit, ſimúlque reuertit princeps optimus. Poſt cuius diſceſſum breui ipſe quoque Pater religioſiſſimè abitum æternum parauit, Socijs valedixit, & tacuit, poſtridie Idus Iulij hoc CIↃ.IↃC. IX. anno, ætatis LXXXI. Obitum mox ſecutum eſt deſiderium ingens, congratulationes tamen potiùs, quàm lachrymæ, pompa funebris publica:

Digitized by Google

Vestes illius præda sacra factæ, exanime indefensúmque cadauer exuuijs suis spoliatum à pia plebe. Quin & ipsi Proregi cessit spolium, Diui Bernardi imago, quâ Pater vti pro pietate sua consueuerat, quam magnâ grati animi, cultúsque significatione acceptam, ad tori sui frontem iussit appendi. Extortum insuper linteum pileolum, aduersus ingruentes morbos, pro aureâ cassîde asseruare voluit. Hæc de mortuo: iam ad viuos huius Collegij incolas.

V. SVBSIDIARII velut sunt isti Patribus Professis, spicásque vellunt, quæ eorum fortè manus effugerunt: iactat tamen hic annus præ ceteris segetem suam. Sodalitates & scholæ nobilitate, industriâ, pietate Europæis nihil cedunt, fortasse nec frequentiâ; sexcentorum ferè numerus discipulorum est: quadraginta vno hoc anno religiosam vitam susceperunt, vt facilè hinc æstimare sit Nostrorum his in locis disciplinam. In vsum & vtilitatem puerorum, qui doctrinam CHRISTI discunt, typo lucíque datus est geminus libellus, duplicem continens Catechesin; alteram in subsidium memoriæ, aut festinatæ mortis; alteram latiorem paulò explicatiorémque, quæ mysterijs salutí necessarijs, adiungit moribus vtilia præcepta, vel eo effectu, vt in re adeò graui Mexicanis idem esset modus loquendi. Subuentum præterea omnibus pro virili non modò quod ad animæ, sed ipsius etiam corporis indigentiam & necessitatem. Collegium enim hoc quan-

tum-

tumuis obæratum, nunquam cessat pauperibus, aut de proprio suppeditare stipem, aut emendicatam aliunde erogare.

VI. PRÆTER naturæ ordinem ac leges quædam etiam DEVS optimus hîc voluit operari. Femina de plebe dubij coloris & gentis in vincula agente riuali conjecta erat: acta ibi in rabiem diris omnibus se deuouet. Grata fuit Orco deuota victima, illicóque à Diabolo obsessa, quod non obscura argumenta docuerunt. Nam rudis, & infimæ sortis mulierecula, latinè, Græcè, Hebraicè cum peritissimis quibúsque agere, occulta prorsus aperire, in gestus planè horribiles ferri cœpit. Adhibentur omnia, quæ ratio, & Ecclesia Catholica præscribit, irrito quamuis conatu. Curritur interea ab vno quodam astantium ad Nostros, rogatum auxilium. Fit ille fortè obuiam Patri Rectori subscriptionem Beati Patris Nostri IGNATII ad collum de more gestanti, qui re breuiter exploratâ properat, & vix præ turbâ aditu impetrato, sacrum illud chirographum capiti obsessæ admouet, Euangelium S. Marci recitat. Femina principio reluctari; tandem tamen verba sacra, quæ suggerebantur, quamuis non sine difficultate, & tumescente linguâ reddere; tum denique penitus quiescere. Octo diebus durauit ea immunitas, quo tempore omnem suam vitam tranquillè discussit, confessáq; integrè, in eum locum, vt creditum est discessit, quo accedere nulli Cacodæmonũ vnquã licebit.

Iter

Iter faciebat de Sacerdotibus noſtris vnus ad villam S. Luciæ. Ex via, ad ædem Dominæ noſtræ à Guadalupe nũcupatę diuertit, eam de more ſalutaturus. Reperit ibi hominem perditiſſimorum morum, qui confiteri de peccatis cupit, proteſtatus nulli alij, niſi Ieſuitæ crimina ſua aperturum: Sacerdos cauſſatus primò viæ longitudinem, ſeptem videlicet leucarum, die iam affecto; ſed victus tandem precibus, & importunitate hominis dedit aures, diligentémque illius ac dolore plenam excepit confeſſionem: tum de nocte properat domum: paulò pòſt & alter actis DEO VIRGINIQVE gratijs Mexicum reuertitur, ſed interceptus mediâ in viâ à neſcio quibus cõfoditur, non tam miſer hoc ſecundo caſu, quam priore illo fortunatus. In portu Acapulenſi homo quidam Canarinus ab annis iam viginti opinione omnium Catholicus, re verò paganus, morbo tunc graſſante correptus ſub veſperum obijt, ſtatim Chriſtiano ritu ſepeliendus, ni vetuiſſet nox. Itaque iacet totâ illâ nocte inſepultum cadauer funerali amictu: ſed (bone DEVS!) redijt elapſus ſpiritus in corpus, ſimul prima lux mundo affulgere cœpit; homóque rediuiuus accerſitum parochum, vt feſtinet aquam luſtralẽ, obteſtatur: in eum duntaxat finem ſibi reditum ad corpus conceſſum affirmans ſingulari priuilegio, mox vt à Baptiſmate in patriam cœleſtem regrederetur; fidem fecit euentus: mirum enim quàm celeriter & propoſita fidei capita apprehenderit, & ſacro fonte ſe ablui paſſus ſit, & ex corpore iterum auolarit.

Ex

Digitized by Google

Ex thesauro istud est diuinæ misericordiæ, illud iustitiæ. Muliercula à marito profuga in suburbijs Mexicanis diuerterat, traditâ custodiæ vestium suarum sarcinulâ. Adijt interim ad hospitem fugitiuæ, tanquam ad lenonem, iuuenis lasciuus consilium petiturus, quînam aditum haberet ad nescio quam Venerem, quam insanis amoribus deperiret. Suadet consultor pessimus depositâ virili veste feminam induat, simúlque peregrinam sarcinam ei ostendit. Arrisit stratagema iuueni, fit femina, prodit ad flagitium primâ, tum & ambiguâ adhuc luce, quâ scilicet horâ ipse quoque maritus fugitiuæ illius in publico erat. Hic ergo obuiam in notâ veste personam aggreditur, strictóq; ferro confodit existimatam coniugem; ita ille, qui suam vlcisci se putauit, DEI vltus est iniuriam.

VII. IN DVOBVS deniq; seminarijs nostris, Sanctorum, inquam, Gregorij, & Ildephonsi omnia ingenua exercitia feruent: vtrobiq; concionum & confessionũ fructus maximus, quarum causa ipsi Caciquij multas leucas permetiuntur. Sodalitia Sinarum & Indigenarum præferunt omnibus faces virtutis. Corporis animæque castigationes iam inter vulgaria numerentur. D. Gregorius pueros alit quadraginta genere indolèq; præstantiores, miro parentum solatio. Gubernator quidam duo charissima pignora sua huic domui, ac disciplinæ committere voluit, nouo quodam, ac planè iucundo modo. Sacrificium Missæ fieri rogat, humíque abiectus filiolos suos lachrymabili vultu, ac voce Domino commendat.

Digitized by Google

dat, instructos ambos lucernis ardentibus. Ea viri pietas adstantium omnium animos ita perculit, vt salutares inter Sacrificium lachymas tenere nequirent. Igitur Christiana rudimenta moresque, quibus recens hîc imbuitur iuuentus, bono suæ gentis diu seruat. Faciunt idem alumni D. Ildephonsi pari in litteris passu, ac virtutibus gradientes. Temperantiæ rarum exemplum, puer nondum decimum annum egressus statuit. Is cùm ad studiorum laborem adiungeret corporis inediam, magnúmque ieiunium tam paruus obseruaret, macrescere deprehensus, & à condiscipulis ad P. Rectorem de nimio rigore delatus est. Qui mox vt audiuit, modum macilento puerulo hunc præscripsit, vt non nisi ternos singulis hebdomadis dies, ab esu sibi temperaret. Opponit puer monita matris, & antiquum morem. Rector in sententiâ manet, & nî pareat, quæ pueris terrori sunt minatur, nominatis etiam arbitris, qui immorigerum obseruent. Puer nescio ingeniosus magis, an pius, nihilominus elusit obseruatores omnes senili inuento: accubuit mensis quidem non abstinentium, sed illis, in quibus mora breuior, patina leuior, sicque effecit, vti nunquam magis ieiun⁹ esset, quàm cùm non esse videretur.

XIX. ILLVD porro hoc loco commendabile: omni festo Mariano die, sub vesperum ancipiti luce, effigies quædam B. VIRGINIS multâ fronde, ac flore ornata, luminibúsq; illustrata, salutationis caussà in publico ostenditur; ad quàm struibus lignorum accensis, dulcia miscentur vulgò collo-

Digitized by Google

colloquia, prout festi materia, ac ratio postulat; narrantur exempla, vel cultæ VIRGINIS fausta, vel spretæ infelicia: atque his præsertim diebus importunis precibus Nostri fatigantur, dum alij flagella, zonas setosas alij, aut pios libellos extorquere laborant.

COLLEGIA TEPOTZOTLANVM, ET ANGELOPOLITANVM CVM SEMINARijs DD. Martini & Hieronymi.

IX. TEPOTZOTLANVM Collegium Tirones. & habet veteranos, vtrosq; officij sui bene memores: Collegio fundus, templo color additus, & ornamentum. Gens extera, quam Nostri excolunt, omnibus facilè huius tractûs occidui, præstat vrbanitate morũ, & familiaritate. Itaq; nec vulgatissimę mortes accolarum imminuunt numerũ: redintegrat enim bona fama, quod mors frangit, aut labefactat. Homines sunt frugi, nec, vt reliqui in diem, viuũt, vnde cõmodior victus, vestitúsq; habilior: in animis eadẽ est mũdities, idem studiũ. Templa, conciones, confessiones frequẽtare illis periucundum est, tam boni sunt animorũ suorũ moderatores, tam seduli perturbationũ domitores, vt si viris omni fide dignissimis fides habenda, totis oppidis graue nullum crimen sit auditum, vel patratum: quod equidem litteris istis minimè inferi paterer, nisi assensũ extorqueret magnitudo testimoniorũ, suaderétq; mite gentis ingenium, & loci situs procul

cul ab vrbano ſtrepitu. Sunt hîc non paucæ Virgines, quibus præter clauſtrum & votum nihil deeſt, quominus Sanctimonialium nomen mereantur. Pertinet ad hoc Collegium Domus S. Martini, quemadmodum & S. Gregorij ad Mexicanum. Licétque annus hic præſens ſterilior fuerit reliquis, aluit nihilominus Olomitanæ iuuentutis capita quinquaginta, Dynaſtarum flores. Pueri ſunt ob innatum gentis ingenium dociles, & prę omnibus in Americâ in omnem formam ſequaces. In lanâ, quod dici ſolet, linguam & mores bibunt Hiſpanos, edoctíq; primas litteras & Muſicen, vel vitam priuatam arte agũt, vel ad Rempub. accedunt, ad eum prorſus modum, quo & illi, qui in reliquis huius prouinciæ Seminarijs educantur. Nam nec octoginta illi, qui in D Hieronymi ædibus degunt, minùs faciunt, in quorum ſacello domeſtico cœleſte ferculum hoc anno ſummâ celebritate collocatum, & aſſeruari cœptum eſt.

X. ANGELOPOLI Concio domi habita, in primariâ Baſilicâ, in cœnobijs virginum, in parœcijs, in foro mercatorio ad Indos diebus Iouis totius anni; ad Hiſpanos forenſes præcipuè iiſdem diebus, Aduentûs Domini, & Quadrageſimæ tempore. Sodalitium VIRGINIS ex Indigenis ſupplicatióq; ſanguinea ad feriam quintam maioris hebdomadæ cum Mexicanis & Tepotzotlanis eiuſdem omnino inſtituti ſunt pompæ & progreſſus. Domeſticis Noſtrorum curis accedunt vrbanæ. Textrinis tamen maior pars laboris impenditur, vti opis indigentiſſimis.

In-

Digitized by Google

In ſpecus abditos ſe charitas penetrat, vbi longus pedor accensâ tędâ in meridie, morbi, & cõtagia Confeſſarium officinæ alicuius vulcaniæ, aut ſtygij antri commonefaciunt.

COLLEGIVM GVADALAXARENSE.

XI. AD TRIPLICIS generis homines Guadalaxarenſium curæ ſe extendunt, Hiſpanos, Indos, Æthiopas, fructu vberiore, lætioréq;, quam tellus ſuppeditauit corporibus, quæ aduerſo ſidere tacta parcam admodum hoc anno Noſtris dedit annonam. Reſarſit damnum matrona nobilis, villam donando poſt obitum ſuum poſſidendam, quatuor millium pondo. Frontali pretioſo altare, veſte Sacerdos ab alio quodam indutus. Exutus corpore Ioannes Verutia Nauarrus Coadiutor in munia domeſtica formatus: venit in has oras Marchionem de Falces, Proregem nouæ Hiſpaniæ comitatus: nec multò poſt Mexico digreſſus Angelopolin, in vaſtâ ſolitudine vocem ſibi audire viſus eſt, aut Religionem, aut æternas pœnas indicentem. Luſtrat circùm omnia Ioannes, nec vllum hominis veſtigium veſtigando deprehendit: regreſſus eandem vocem eodem loco audit: ſed nempe vnicum habendi deſiderium, alia omnia ex animo illius ſemouerat. Tertiùm denique interpellatus, aures habuit apertas, & animum paratum. Inde ſtatim Tirocinio noſtro adſcriptus, B. VIRGINEM inter duos venerabiles ſenes meruit intueri:

Digitized by Google

tueri: quæ placidè ac blandè Tironi renidens, vadem se obtulit pro eo nouam filij sui militiam ingresso. Hoc visum ita roborauit Ioannem, vt triginta sex annos in viâ perfectionis defatigatus fractúsve nunquam fuerit; quem si ad Regulam nostram, aut perpendiculum Euangelij examinâsses, nihil in eo obliquum, nihil extans, aut curtum reperisses. Fuit in oratione assiduus, in opere indefessus: Domesticis facilis, cum externis seriùs, in prosperis cautus, in aduersis lætus, ad obsequia promptus, ad honores tardus; humanorum contemptor, diuinorum amator: verbo, talis, qui fratribus nostris forma, & exẽplar virtutum potuisset proponi. Horum omnium testis est locupletissimus non solùm Mexicani Collegij Rector, qui eius arcam ex contubernio vndeviginti annorum sat nouerat, sed vrbs hæc tota & prouincia ipsa, cui cùm tristissima tanti viri mors acciderit, iucundissima remansit recordatio gestorum.

COLLEGIVM VALLISOLETANVM CVM SEDE CACATECANÂ.

XII. VALLISOLETI domus ipsa laborauit hoc anno, inundatione videlicet, & alluuie aquarum sex continuis diebus, ita vt desertis habitaculis superioribus scholæ fuerint inhabitandæ; comperto tamen Patres Meræcenarios maiori periculo expositos, in suum eos quacunq; contubernium inuitârunt Nostri receperúntq;, angustum

gustum id quidem pro loco & incolis, pro charitate verò sat amplum hospitium. Partheniò sodalitio noua accessit auctoritas pompæ, frequentiæ, cantûs ex munificentiâ Parochi D. Michaelis Torresij, qui octingentos argenteos numos impensis Partheniis assignauit in singulos annos. Sacerdos è Nostris vnus Tarascis omnia facit, quæ seduli Curionis forent: ludum puerorum è Fratribus domesticis quidam administrat, quod hominum aptorum penuria diuersas personas, atque ab se nonnunquam alienas induere cogat actores CHRISTI.

XIII. IN CACATECANA sede templi area olim angusta & continens, nunc denuo laxata, & vtrinque excurrente columnâ, in triplicem explicata est nauim; tricliniû à fundamentis extructum. Scholæ ab imbriû illapsu defensæ. Accolarum erga nos studium ex eleemosynis cõijcias facilè: quippe omnia vitæ præsidia hîc, vt in fodinis longè dissitis, pretiosa nimis; abundat tamẽ DEI & bonorum hominû beneficio domus non obærata, & templum minimè obscurũ. Summa eleemosynæ sponte oblatæ duo millia facilè & quingẽta põdo superauit. Indi isti naturâ feroces ferróq; assueti, vix Dñm aut Iudicem agnoscunt nisi Hispanos, quorum argenteas venas moliuntur: paulatim tamen mores feros exuunt, & in homines mansuescunt; adiuti plurimùm misericordię MATRE; cuius Sodalitiũ frequentes ambiũt. Zacatecis hoc anno magnâ põpâ & fructu promulgatum est primum ad Bacchanalia Iubilæũ. Adita deniq; oppida, ad quæ multis lustris

Digitized by Google

verbum diuinum ne leui quidem susurro penetrauit.

SEDES ZINALOENSIS.

XIV. SILVAM hanc vastam, ac barbaram magnâ solertiâ constantiáque excaudicant Nostri, tametsi eorum conatus fortunam aduersam nõ rarò experiantur. Præsens autem annus calamitosus illis triplici ex capite potissimùm fuit. Exordium mali à turbine ita rapido, vt proceras annosásq; arbores auulsis radicibus loco moueret, segetem ex glebâ raperet disturbarétque. Hinc rara messis, frequens fames Neophytos relictis sedibus in auia egit, vbi radicibus, herbis, pomis siluestribus pascerentur. Fluuij deinde assiduis imbribus, hybernáque niue turgidi, in campos se effuderunt, oppida, tecta, homines in summas angustias coniecerunt. *Nihil simile* post hominum memoriam *hîc accidisse testantur* indigenæ. Pestilitas alterum fuit malum, eò tolerabilius, quod oppidatim iret, vulgatísq; pedetentim mortibus, spatium pro viatico sumendo Christianis plerísque concederet.

Tertia calamitas, quæ famem & pestem communiter sequi solet, bellum erat, quod equidem terræ huic, & velut in crepundijs adhuc vagiēti Ecclesiæ perniciem vltimam allaturum fuisset, nisi ille, cui proprium est misereri, & parcere auctoritatem suam misericordiámq; interposuisset. Semina belli Neophyti transfugæ sparserant: quos cùm Dux Didacus Martines Hyrday dein-

Digitized by Google

dein non magnis copijs eductis à Iaquimis, ad quos confugerant, repeteret, tandem accepit: qui mox ad præsidium reuersus de fœdere ac societate cum Iaquimis ineundâ agere statuit, eâq; super re Tebuecos aliquot legatos mittit. Eos pagani, violato gentium iure, sagittis excipiũt, vno confosso. Secunda igitur de pace suscepta legatio est, adiunctis ijs, qui mittebantur duabus feminis Iaquimis CHRISTO Domino initiatis: illi retentis feminis ambitiosa respondent, & minis plena. Itaque ad arma deuentum est, Nostris infelicia, tum ob loci iniquitatem, tum ob militis paucitatem, barbaris infinitâ ferè hominum multitudine ferocientibus. Finis diuturnæ pugnæ fuit auxiliariorum nostrorum omnium (qui indigenæ erant) fuga, plurimorum vulneratio, aliquorum internecio. Hispani seruato agmine, ad signum se, conniuentibus Iaquimis, sub noctem receperunt. Dux dedecoris ac damni impatiẽs, paucis pòst diebus nouâ contra eosdem instruit aciem, priore fortunâ. Illud tamen posteritate dignum, quòd vigesimus non amplius Hispanus, equorum dorso pigro iam, & inutili relicto, glomeratus sustinuit fortissimè barbarorum impetum, tota die lapidès sagittasque condensantium, ne vno quidem vulnerato, nedum desiderato. Inde hostibus non paruus iniectus terror, socijs Neophytis propriam ignauiam expertis quies & fides, vt iam suscepto pacis & otij consilio, noua machinari supersedeãt, iugum ferre parati, & sacra suscipere Christiana, dummodo ab Hispano clypeo obumbrentur.

Digitized by Google

XV. SVNT vero (vt ad lætiora veniamus) in hoc Zinaloënsi tractu plusquàm viginti hominum millia, qui tam in diuinis, quàm humanis Nostrorum operâ fructuosè & libenter vtuntur. Sacrum fontem hoc anno susceperunt adulti (nam infantes non numeramus) mille, nongenti quadraginta quatuor. Quàm sint Christianæ scientiæ amantes, documento sit gens Guazabensis, quæ vltra mille quadringentos focos tectáque censet. Hæc examen de Catechesi subire iussa, ita exactè satisfecit, vt ne vix vllus puerulus esset, qui inter tot barbaros barbarismum faceret. Voluptati erat intueri circulos diurnos, nocturnósque sedentium, comparantiúmque sese ad reddendam rationem de præcipuis fidei nostræ mysterijs; quòd si quis minùs sibi fideret, doctiorem munusculis demerebatur, vt iteratione improbâ infidelitati memoriæ subueniret. Ceterùm prouinciam totam octo omnino pagi discriminant, pagos ipsos plura subinde oppida vicique.

XVI. IN OPPIDO, cui nomen Domina nostra Zinaloënsis, obseruantia aduersus DEIPARAM mirè creuit. Nouum hic VIRGINIS Sodalitium coiuit, cuius institutum peculiare est, vt præter sacrificia Sabbathina statósque cantus, primâ cuiusque mensis Dominicâ templum supplicabundi circumeant. Æthiops vernaculæ ignarus mortique vicinus, per quietem à viro quodam corpore & ornatu planè cœlesti admonitus est de *regenerationis lauacro* suscipiendo, vt quem post triduũ cœlitum aula operiretur.

Digitized by Google

riretur. Expergefactus æger nihil priùs habuit, quàm vt Sacerdotē obtineret: præsente eo quo poterat gestu & affectu rogat maturari baptismū, ipse maturat discere, quantùm ex Christianâ Catechesi tempus & ingeniū admisit. Suscepto baptismo, gratabundus coronam precatoriam posuit; partemq; orationis Dominicæ, quam solam imbiberat, sæpius in orbē decursis globulis tamdiu iterat, donec in cœlum auocatus est Æthiops omni cygno candidior. In templo nostro tacta fulmine sacra pyxis, & illæsa permanens, fumi duntaxat vestigio relicto, magnam Neophytorum animis iniecit religionem.

XVII. TRES alij pagi adiacent fluuijs SS. Philippi & Didaci; nec non Eborēsi & Ocoronensi. His locis magna suæ castimoniæ specimina dant feminæ. Videas item crebra, nec obscura effecta, quibus deprehendas æternū DEI circa istorum hominū salutē, & immutabile cōsilium. Chiroroti vetula quædam cum filio ad Baptismum delecta: vix mundi erant, cùm è cœlo tactum tuguriū ambos secum in ignem, & interitum traxit, seruatâ interim aliâ paganâ feminâ, cui vnus hic ignis ad perniciem non suffecisset. Ex febri phreneticus toro tectóque relicto vagus, cùm interrogaretur, quò tam celer properaret; *in cœlum*, inquit, *iubeor, ego tamen mallem seriùs.* Senex in hisce montibus Christianæ rei vtilis, ex amisso nepote squalidus adhuc cùm reliquus alter in morbum etiam incidisset, ad Patrem nostrum donario vitam illius redemptum venit.

Digitized by Google

Igitur frusto mellitæ radicis Patrem donat, breuique post sanandum quoque ægrotum offert. Pater munere illo ignoranter quidem, nec quicquam tale, vel suspicando, vel promittendo obstrictus, veritúsq; offensionem optimi senis, penes quem arbitrium gentis illius monticolæ, humana & diuina tentat, nepotémque auo suo persanatum DEI beneficio restituit.

XIIX CAHVAMETI adeò tenera fides, vt ex adultis plures quasi modo geniti infantes cõspiciantur candidati: vitrea ampulla puerulo ægro admota, venà scissionem fallente, carnéq; intumescente, adeò terruit barbaros, nunquam talia intuitos, vt in siluas se abderent, infantésq; mortis pestiferæ metu occultarent. Vsus tamen earum ampullarum frequens, felixq; successus, eos paulatim in spem iterum, & tecta sua reuocauit.

XIX. OPPIDVM S. Ignatij nunc primum ex collectis à Sacerdote nostro montiuagis hominibus coalescit; in eo sacellum pœnè in fastigio est: Crux ibidem dicata celebri bombardarum strepitu, ad quem barbari, velut ad tonitrua trepidabant. Matrimonia insolubilia, & singularia principiò huic genti ardua visa; sola enim placebat nulli, secus hodie Nostrorum opera.

XX. ZVHAQVES, Ahomes & Bacurehues vltro oblatis alunt tellus ac mare; hinc incuria & vagatio. Hi iam cunctatione & industria Nostrorum industrij, & sociabiles effecti, coiêre in oppida ad ripas fluuij Zinaloënsis, admisso præterea consilio de ascisendis in id loci peninsulanis

nis vicinis, tametsi diuersæ linguæ hominibus. Ex P. Andrea Perecio per litteras habetur; *gentem hanc in dies mansuescere; adeóque incomitatum se lustrare vniuersam, quam antea non sine magno periculo, & milite stipatus, adire solitus fuerit.* Grassata est per hos quoque pestis, magnâ, tam in pueris, quàm adultis factâ strage. Per id tempus sparserat in vulgus vetula, omnes eos, quos sacer baptismatis fons madefecisset, fato ineuitabili cessuros, suóque mendacio, fidem exemplis quibusdam facere conabatur. Occurrit huic falsissimo rumori cùm ratio multiplex, tum præsertim crebrò sequuta salus baptizatorum, & frequens cunctantium funus. Solemne his populis olim, dum idolis litarent, arcendis morbis pēnata tela foribus præfigere. Ad abolendum hunc morem, præfigunt hodie Cruces præsentius multò firmiusque præsidium. Hîc si alibi veneficorum nidus, eos vulgò Hitebiros nominant; nullis non plena delirijs superstitio: expressum cum Diabolo pactum, quem Reiahuā noto, & familiari nomine appellant. Cuius etiam effigiem ad choreas ostentabundi deferunt. Vni ex his ad Christianos digresso obuius fuit familiaris ille specie solitâ, eúmque perfidiæ incusans, minis inuasit, mortémque breui secuturam defectionis pœnam prædixit. Cui Hitebirus: *defecisse se quidem ab illo in Baptismate, eámq; voluntatem etiam tum ratam habere, vt quem non pœniteret fractæ, sed pactæ fidei: virum nempe se factum ex puero, qui non amplius paueret ad imaginem mortis exanguem & exossem; proinde abiret in malam rem, nosset-*

Digitized by Google

que amicitiam semel rescissam nullo sæculo coalituram, ita Reiahuam ille cum rubore euanescere coactus est.

XXI. MARITIMOS nondum subijt Societatis amor, qui vagi distractique in siluis, aut ad maris littora venatui piscatuique indulgent: tectũ illis frondosum & mobile: torus retia; alimenta, aut sponte suppeditat tellus, aut arcus expedit & hamus. Morbus ergo dispersos offendit & errantes, rapuitq; plurimos omnibus sacris destitutos, quo dolore Nostrorũ, non facilè scripserim: qui tamen ceu prompti quidam venatores, aut piscatores nihil laboribus, nihil periculis absterriti, ad tantam prædam se accinxerunt, siluas illas, saltus & littora peruestigárunt eo lucro, vt multi barbarorum intra eundem diem, & CHRISTVM induerint, & exuerint humana.

XXII. TEHVECORENSES naturà feroces & audaces, mites iam esse hausto Euangelij liquore cœperunt, incestuosa coniugia dissoluunt. Sacramentorum vim miram persæpe experiuntur.

XXIII. BAHVIBIS (vagis item barbaris) communi contagio correptis Nostri vtriusq; hominis subsidia magnà charitate præstiterunt. *Miseris ijs pro* culcitrâ, pro ceruicali, prõq; omni cubitorio paratu arenę cumulus: nec tamẽ torosistos auersatur DEVS. Duo in his agebant animâ omni sensuum officio capti, admotà Cruce Caraueensi mox redierũt ad se, sed non diutiùs, quàm fat effet ad ipsos initiandos, cœlóque transcribendos. Puer quatuordecim annorum, non minùs pietate, quàm arte musicà præstans in-

phre-

Digitized by Google

phrenesin incidérat tam efferam, vt à quatuor lacertosis hominibus teneri non posset, quin erumperet, volucríque cursu ad Patrem nostrum extremò inungendus (sic ipse dicebat) accelararet. Vnctus est puer, & mox ab ipsâ vnctione quietem somno simillimam capere cœpit. Interim allatam effigiem B. P. N. IGNATII familiarem antea sibi, lætus ac venerabundus deosculatur, votísque conceptis salutem implorat. Nec frustra fuit ea pueri pietas: obtinuit, vt celebritati festæ, quæ proximè instabat præsto esse, & accinere reliquis symphoniacis lætus sanúsq; posuerit. Deprehendunt Patres apud hanc gentem subinde idola, quæ dignis modis excipiunt; immò ipsi eorum cultores humeris eadem, quamuis ponderosa, vtpote è saxo figurata, imponunt, atque in excelsam sublata rupem inde in profluentem præcipitant.

XXV. Denique pagus Zinaloënsis dictus (ab ipso oppido, cui nomen Zinaloa, commune iam, vt & fluuio & prouinciæ toti) nulli pietate secundus est. Multa hîc Christianorum consuetudine laudabiliter iam vigent instituta: multa vanissimarum religionum sublata sunt deliria; inter alia superstitiosæ quædam choreæ (Huiacam appellant) in quibus adoptio mutua fieri solebat. Paganum Cacodæmon varijs præstigijs diu exercuerat, specie aliquãdo immanis colubri & venena euomẽtis: suscepit homo Baptismũ, atq; ab eo tempore, nec Draconẽ ampliùs videre, nec beneficij à DEO accepti obliuisci potuit. In hoc pago ad lunæ deliquium & stellam

stellam crinitam, bis tellus cõcussa initium præsagiúmque fecit grassantis deinde morbi. Quæ verò vana à bàrbaris arcendo malo patrata sunt, ea certè risum mererẽtur, nisi stultitiæ mortaliũ commiseratione digniores essent. In oppido, vbi tum fortè Pater erat, ecclipseos lunaris tempore, subitò clamore partim pharetrati, partim ligno obarmati prodiêre incolæ, velut in præsentem hostem depugnaturi. Simul enim luna laborare, ac deficere incipit, inuolare solent noui isti gigantes iactis sagittis in cœlum, multóq; fragore, & collisione lignorũ obstrepentes, opem se ferre lunæ pugnanti existimãt; quippe cui inexpiabiles inimicitiæ cum sebepioui intercedãt, ob quas in certamen istud descẽdere putatur: quę vbi totum lumen deperdidit, occubuisse credunt, & velut interfectam deplorant. Exciuit ergo Patrem quoq; nostrum simile quoddam prælium, qui simul ridens & dolens, ostensis vanissimæ consuetudinis rationibus, illud facilè diremit, barbarósque compescuit. Eidem Patri aliud quoddam oppidum petẽti, obuiam ière primores, senatoriâ grauitate orantes, *vellet, iuberet pestẽ ab eorum finibus abesse, quod si faceret confessionem criminum ab omnibus impetraturum.* Voti cõsilium laudat Pater; ceterũm pesti terminos cõstituere, non suæ, sed diuinæ esse potestatis, illi proinde litandum. Rogantibus modum ac rationem, auctor est secum in templo conueniant, cœleste numen cõmunibus votis implorent, fecerunt, diuinóq; munere saltem id obtinuerunt, vt quãuis à contagione non omnino eximerentur, mi-

minus tamen veneni, quàm alij haurirent.

MISSIO TEPEHVANICA.

XXV. GENS Tepehuanica, si qua inter barbaros, armis pollet: quæ tametsi minùs numerosa, nempe perpetuis velut mortibus exhausta, protendit prouinciæ suæ limites in longitudinem septuaginta leucarum, quadraginta alicubi in latitudinem. Quin & proprijs finibus non contenta, in alienos occupabunda dilabitur. Sic in Acaxes, in Baymoas, in Conchos, in Mexos, in remotissimos alios tractus colonias suas inducit. Cernas illos hodie in nouo regno Legionensi in Saltuto, in valle vitiferâ, in Xiametlâ; ad ripas Oceani australes, apud interiores etiam Cinaloas leucis ducetis dissitos: nec denique finibus Guadalaxarensibus pepercit: vbique tamen sermonis idioma vnum idemque circumfert. Bellum Hispani sustinuit toros triginta annos, mutuis excidijs, nec semel euertit oppida integra: meminerit S. Barbaræ, Gomera, Indehe, & alia vicina oppida, vbi nec stragis quidem nuncius relictus. Eandem fortunam expertum est oppidum aliud, fluuius floridus dictum, & ferè eandem Guanazeui: mitto plures frumentarias villas dirutas, infestationes viarũ, prædas abactas, luctuosa funera, religiosum interdum sanguinem fusum, alia

- - - - - - *Quibus aurea semper*
Pax caret, & ferro mars formidandus abundat.

Porrò genti huic vestis nulla, si in paucis simplicem excipias sindonem: pro tegumento omni, pro ornatu stigmatici vultus, notis inustis in deformi-

formitatem terrificam: itaque solâ pernicitate ictus hostiles declinant, inferunt arcu & volucri telo; rara in manibus claua, & hasta rarissima. Sed tamen vbi placet, hoc quoq; armorũ genere in pugnam prodire, corio se clypeant. Nec toga sago dissimilis, in viris nulla, vt dicebam, feminis omnibus pellis anterior ab vmbilico dependet arcendis duntaxat oculis. Superstitionẽ dicam, an præstigias vanissimum chirurgorũ quorundam hîc curandi modum, qui immurmuratis quibusdam carminibus, suctúq; non tam volũt, quàm fingunt morbos eximere, ostẽtatis ad auctoritatem conciliandam peregrinis calculis, aut pomi corijve frustulis, ac vermibus quandoque, quos morbos à se curatos inaniter iactant. Neq; verò multùm operæ Nostris impendendum ad nugiuendos istos vanitatis arguendos, cum satis arguant crebrò secuta funera, adeóque artem, ipsam suum euertat opus.

XXVI. ERGO frustra pluribus demonstrem, quanti labores in gẽte tam barbarâ & indomitâ Socijs nostris exantlandi: Septem omnino hoc anno nouissimo Ecclesiam istam procurandam susceperunt in nouem iam oppida redactam, totidem constructis sacris ædibus paleatis magnam partem, ex incocto latere reliquis. Sed & ipsos septuaginta leucarum fines transgressi, defluxêre in vicinam vallẽ S. Pauli Tepehuanibus, ac Taraumaris refertam. Actumq; cum illis, vt Christianæ & politicæ rei causâ in vnum coirent, oppidis constitutis. Arrisit consilium, conuentúmque ex æquo est, vt ipsi manus ad opus,

Nostri

Nostri sumptus, & impensas suppeditarẽt. Iacta ergo fundamẽta operis, & vt opportunitas plures alliciat, teneátq; quinq; milliariũ spatio producta fossa est, quâ deriuatũ flumen felicis glebæ subiectos cãpos irriget. Et quidem à Zybolensi Ocotlanensiq; tractu plurimi in hęc Tepehuanica oppida cõmorandi causâ confluxêre; quorum centum adulti ad Baptismum admissi, designati multò plures. Adfuit cœptis nouæ Galleciæ Gubernator D. Franciscus Ordignola, pecuniæque regiæ certam summam decreuit, quæ sufficeret aratorijs bubus, aratris, ligonibus aliisq; rusticanis instrumentis cõparandis. Copiosam iam hodie ibi factam sementem litteræ Patrum testantur, spẽmque faciunt, messem olim animarum vberiorem, quàm frumenti futuram. Vallicolæ enim illi sicut armis, ita indole excellunt vicinos barbaros omnes. Auditâ Euangelij tubâ applausêre; gaudéntque philosophari de vno DEO rerum omnium molitore, déq, bonorum operũ æternis præmijs, quæ pios, ac iustos in cœlis sunt mansura. Suberat quippe iam antea animis illorum suspicio quædam immortalitatis, quid tamen de se futurum esset post compagem corporis solutam, certi quid statuere prę summâ ignoratione non poterant.

XXVII. CETERVM mirè temperare consueuit diuina sapientia labores, quibus Nostri inter hos populos distinentur, ita vt læta & tristia vtili quadam vicissitudine perpetuo quasi alternent. Primi generis sunt illa, cum in viâ quodãmodo publicâ & humi reperiũt gemmas pretiosas,

Digitized by Google

sas, nullo, inquam, thesauro æstimandam plurimorum salutem. In senem decrepitæ ætatis, sub quercu in agro cum morte luctantem, trasiens illac fortè Sacerdos noster oculos coniecerat: miserâs hominem accedit, fidei capita proponit, baptismum suadet. Abnuit tum quidem senex; sequenti tamen die volens baptizatus est, & postridie eius diei in cœlum sublatus.

Alius similiter ex Nostris in duas vetulas ex itinere incidit, sub dio à suis iam depositas, conclamatas & desertas. Properat Catechesin, & vtramque lustratam postero die sacrâ terrâ sepeliri curauit, ne Christianorum corpora feris præda relinquerentur. Centenaria quædam alia, intra quadrantem horæ Christianum stadium cõpendio emensa, & palmam adepta est. Alterius generis, &, quæ Patribus dolores meritò creant, sunt; in tantâ morborum vulneratorúmque copiâ, tantam medicorum penuriam existere, videre nonnunquam *inhumano ritu* sanguinéque infantium stultissimos homines pestilitare. Nata erat in simile quoddam Sacrificium proles à feminâ Tepehuanicâ; quæ cùm primum vidit hanc lucem, præsens pater semianimis in terram prolabebatur; qui aderant rati caussam subiti mali nouum esse partum, pro remedio, velociter infantis fauces inuoluuntque præstringuntq; tam diu, dum strãgulatum credunt. Reuixit interim pater, stetítque in pedes: inde iterum singultus infans, & signa vitæ edere. Properant adstantes iterum, & quidquid animæ supererat, intercludunt penitus, parenti id factum fuisse

Digitized by Google

fuisse diceres, adeò repentè, & ipse relapsus exanimatur, non inutili documento execrandi erroris, quo cœci mortem morte redimi stultissimè censebant. In tristibus denique quendam etiam ex Nostris Sacerdotem ponere venia sit, igne de cœlo dicam, an igneo velut nuncio in cœlum auocatum. Is fuit P. Ioannes Carrascal triginta duûm triúmve annorum vir, vnde viginti in Societate: ei argenti fodinæ Tasci fuêre patria: omni præsidio virtutum ac litterarum illustrissimus Religiosus. Non ita diu ante interitum ipso B.P. FRANCISCI XAVERII anniuersario die super mẽsam pro more Societatis ad nostros verba fecerat de immortalibus tãti viri gestis ac facinoribus. Ibi cùm ad expeditiones Iaponicas, ad consilia iuuandi Sinas feruore orationis deuenisset, seu potiùs DEO intus agente raptus fuisset, deflexit ad suos, adolescentibúsq;, qui spatijs studiorum emensis, vnà cum illo tertium annum in spiritalibus ponebant, suasit, vt tanti Patris virtutem secuti contemptis difficultatibus barbarorum saluti libenter vires omnes suas impenderent, séq; ipse tum publicè exemplum in collegis proponit, orauítque eos, qui & aderant, vt nisi tantis operibus impar videretur, in expeditionem quandam difficilem & remotam legatus ex imperio abiret. Grata fuêre maioribus vota; grata (vt speramus) rerum omnium altori moderatorique DEO, qui intuitus holocaustum ritè paratum (præcesserat enim generalis totius vitæ confessio, & duplex missæ Sacrificium eodem illo die, quo tactus est, celebratum)

Digitized by Google

bratum) DEVS, inquam, holocaustum hoc suum omnibus necessarijs, quàm optimè instructum cernens, ignem de cœlo misit, qui velut alterius Eliæ Sacrificium consumpsit. *Inglorius quidem exitus ab ictu fulminis, sed ijs, quorum ignauia gloriam à pulchrâ morte expectat: qui verò altioris sunt spiritûs, finemque suum ab vili æstimant non tam solliciti sunt, qui moriantur, quàm quomodo viuant.*

VI.

Digitized by Google

VITA MICHAELIS AYATVMI ADOLESCENTIS Indi,

ET

SODALIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

VERE OPTIMVM QVEMQVE diligit DEVS, & ab ipsis statim incunabulis suâ gratiâ, ac fauore impertitur, quos in Beatorum suorum ordinem, ac censum transferre aliquando decreuit. Id olim in multis adolescentibus, tam, qui felicia CHRISTI tempora præcessêre, quàm, qui secuti sunt, demonstratum nouimus; qui certè tales fuere in ipsâ suâ pueritiâ, quales hodie, vel in senectute etiam multos optaremus. Pleni sunt libri, plenæ historiæ eiusmodi exemplorum, vt necesse haud sit, in re adeo cõfessâ, ac manifestâ pro testimonijs diu laborare. Non aliam profecto gemmam in occidente In-

Digitized by Google

diâ nuper repertam, adoleſcẽtem, inquam, omnibus partibus probum Petrus Aunonius Societatis noſtræ Sacerdos auctor eſt. Is litteras dedit Boholio (vbi tum ipſe verſabatur) ad P. Gregorium Lopezium Societatis in Philippinis Inſulis Prouincialem, ſcriptas anno poſt partam ſalutẽ CIↃ. IↃC. X. III. Nonas Martias; in quibus vitam moréſque elegantiſſimos alumni cuiuſdam in Seminario Boholano educati, (MICHAELEM AYATVMVM indigetat) accuratiſſimè conſignauit, vtpote præſens, familiariſque adoleſcenti, & virtutum ipſius oculatus teſtis, arbiter & admirator. Cuius adoleſcentis beata mors, cum in eum ipſum annum inciderit, cuius res à Socijs noſtris geſtas conſcribere aggreſſus ſum, viſum eſt, nec à partibus meis alienum, nec Europęæ, credo, iuuentuti inutile, aut ingratum (ſiquidem hæc audire aliquando contingat) hîc vnius exemplo planiùs paulò facere, qualem & ipſa India iuuentutem habeat, quibus moribus in extremis terrarum delectentur boni adoleſcentes. Fidem autem hiſtoriæ huic deſumpſi tam ex litteris illius, quem ſupra nominaui Patris, quam ex quibuſdam inſularum Philippinarum locis, è quibus non pauca hunc in finem huc reieci, quod eo ipſo anno, quo MICHAEL in viuis eſſe deſijt, contigiſſe reperiantur.

MORES AC RELIGIONES QVÆDAM INDORVM PICTORVM, INTER quos natus MICHAEL.

I. IN-

Digitized by Google

I. INSVLA est in Philippinis *Boholana* antiquitus nuncupata, à qua deinde Boholium ipsum, suam nomenclaturam accepit. Id oppidi inter hanc Boholensem & Banglaënsem insulas situm est, ex eâ videlicet parte, quâ se tellus in angustum colligit sinum: cumq; mos accolarum esset, ex inferiore domuũ parte hostes in suis stratis iacentes, quasi ex insidijs, confodere, Boholani illud reperêre præsidij, vt è mari surgentes arundineæ, seu ligneæ ædiculę aquam ipsam pro solo haberent, vt si quando furtim illuc subreperent latrunculi, vnda gradientium motu turbaretur, strepitúmq; ederet, quo excíti contrà aduersariorum vim ex ædibus se tueri possent. Indigenæ ad reliquorum discrimen *Indi Picti* dicũtur. Gens est, vt à vero DEO, ita à moribus bonis remotissima, leuis, inconstans, ad luxũ profusa, illecebris aliisq; Diaboli laqueis opportuna. Locustas pro gallinis viui cuiusdam Diuatæ seu Idoli (quod Raom nuncupant) habere solẽt, Itaq; cum primum locustas in agris aduentantes vident, vnã ex ijs caplũt, eiusq; collo tantũ auri, quãtum gestare potest, appendunt, remittentes eam ad Laomum, vt pro eo dono suas è satis iubeat facessere gallinas. Ex Idolis in præcipuâ veneratione habent ea, quæ Dalongones appellãt. Sunt autem non aliud, quam molares crocodilorum dẽtes, in quorum parte infimâ caput humanum ex ebeno aliáve materiâ cælatum præfigunt.

Monstra hæc aiunt maiorum suorum repræsentarę similitudines, eáque adeò religiosè co-

Digitized by Google

unt, vt ne tangere quidem ausint, arbitrantes eusmodi temeritatem, aut morte repentinâ, aut membri alicuius iacturâ luendam. Præcipuam horum Idolorum domum cremârunt hoc anno Christiani. Ea erat prægrandis arbor, cuius rotunditas centum ferè superauit palmos. Nonoc appellata, firmáq; apud gentem, & ab antiquis accepta opinio est, protinus malâ morte occubiturum eum, quicunq; vel folium inde carpere, vel tractare stipitẽ auderet. Ignis ergo admotus triduo arsit: missi deinde viginti quatuor Christiani, quod supererat inuisi ligni præciderũt. E quibus vnus, nullo quidem Magistro, Crucem in fidei suæ testimonium ibidem erexit. Porrò hę gentes de inferorũ pœnis nihil, de futurâ gloriâ & felicitate non nisi ridicula quædam credũt, & obseruant. Quo quisq; nobilior crudeliórq; hoc eum altiùs in suo cœlo collocant. Telis seu sagittis confossi subsultantibus in ipso iaculi ictu præ trepidatione animis sursum ferri dicuntur, vbi inempto scilicet cibo potúq; perennes saginentur. Patibulari; & laqueo suffocati in medià aëris regione, absq; vllâ ascendendi vel descendendi facultate, hærere censentur. Reliqui omnes quocunque sint scelere obstricti, ab ipso interitu locum quendam, occidentem versus, petere creduntur, Colondam dictum, in quo ludis nescio quibus, tibiæque cuidam arundineæ operam æternam dare consueſcant.

FIDEM CHRISTIANAM A PATRIBVS SOCIETATIS IESV DOCETVR.

II. Ad

11. AD ISTAS igitur miseras gentes, ab his aliisq; sexcentis delirijs ad sapientem sobriámq; CHRISTI legem, reuocãdas Patres Societatis IESV iam multis annis laborârunt, ingẽti conatu, pari fructu. Sunt hodiéq; in insulis istis ex eadẽ Societate homines nonaginta duo, locis decẽ manipulatim distributi, quò faciliùs in omnẽ quasi partẽ se vertere, & capitali salutis humanę hosti occurrere possint. Stragem iam magnam auctore DEO fecerunt, multáq; millia animarum ex potestate tanti Tyranni gladio verbi DEI, & inuictâ potissimùm S. Crucis virtute extorserunt. Neq; enim vllum armorũ genus est Patribus, vel contra hostem tartareum potentius, vel circa quod diuina vis, ac cœlestis sæpius certiúsq; operetur, quàm trifida illa salutaris ligni romphæa; confirmárique hoc posset multis & illustribus argumentis, sed vnum iam sufficiat, quod hoc anno cõtigisse litteræ Taytayenses prodiderũt Iter est Taytayũ ex fluuio Manilano per riuulum angustũ, in cuius ingressu nodosa crux vexillum paruũ rubrâ cruce aliâ decoratũ in summo apice ostendit. Ad hoc cùm adiecissent oculos quidam locum non procul dissitum petituri, illud pro nauiculæ suæ ornamẽto è cruce tollunt, moxq; lacui se credẽtes cœlum nubilum, ventos contrarios, imbrem effusum, aduersa omnia experti totâ ea nocte frustra laborant, adeò, vt summo manè in ipsa lacûs orâ defessi reperirentur. Quare religione tacti, ne maiores aliquando temeritatis suæ pœnas dare cogerentur, vexillum pristino loco cum verecundiâ & damno reposuerunt.

Digitized by Google

Non multò pòst alius etiam Indus, belli huius vexilli tactus desiderio, sacram arborem furtim conscendit, cumque iam ad illud sacrilegas manus extendisset, pedes eius ita nodis, seu stolonibus illis sunt implicati agglutinatique, vt nec sursum eniti, nec deorsum posset, trunco ipso magis truncus. Pœnitere itaque cœpit, veniamque poscere in eo ligno, per quod vniuerso mũdo venia impetrata est; sicque descendit. Dum hæc in vulgus sparguntur, accidit, vt quàdam die vexillum idem à valido vento in flumen deturbaretur: sed ita ferebatur super aquam erectum, quasi in terrâ fixum foret, aut à manu sustentaretur. Quod cum illac transeuntes vidissent Pinagbaotenses, non minore gaudio, quàm reuerentia, ac veluti triumpho illud è flumine sublatum in oppidum suum asportauerũt, quod & ijs quasi vicinis, nec non affinitate coniunctis Taytayenses permiserunt. Crucis itaque potissimùm auxilio, quam his gẽtibus prædicant Patres, tantam prædam agunt, & à tyrannicâ Cacodæmonis seruitute in libertatem CHRISTI vindicant: itaque in istis quidem spolijs MICHALEM quoque AYATVMVM non postremò numerauerunt, talem Indum, qui, si de virtute certetur, posset cum quouis Europæo componi, multis etiam præponi.

BAPTISMVS, INDOLES, FORMA, ET MATER PVERI.

III. MICHAELEM è sacro suscepit Baptis-

mate

mate P. Gabrial Sanchez è Societate IESV Sacerdos, anno proximè sæculari, septennem id temporis puerulum, vt ad sextumdecimum ætatis annum peruenisse colligatur, cùm obierit anno CIↃ. IↃC. IX. Facie, vt scribunt, erat liberali, frõtéque explicatâ, ex quâ non rarò diuinæ consolationis vis ac virtus, velut è sole radij promicabant. Comem se & affabilem dedit omnibus, ita vt nemo eum oderit, amarent vniuersi, nec dubitarent *Sanctum* eum vulgò dictitare: quamuis ille seipsum ad B. VIRGINIS patronæ suæ exemplum, quæ Ancilla audire voluit, non aliter, quàm *ferum* appellitârit. Mater eius germana (nam aliam habuit, à quâ adoptatus in filium erat, cùm mos sit apud hos Indos superstite etiam tum vtroq; parente naturali, in filios sibi nominare quoscunque) testata est, quòd cùm adhuc paruulus esset, flagris corpusculum suum concidere, & ieiunijs macerare consuêrit. Eadem matrona (vt cum filio suo mater quoque in partem aliquam commendationis veniat) multorũ sanè bonorũ in insulis istis caussa fuit & auctor. Nam cùm Sacerdos quidam de Societate IESV ad Siquirensem insulam peruenisset, & incolas ad optimos Boholanorum mores flectere nullâ ratione potuisset, huius quasi vnius industriâ, ac labore perfectũ est, propositis tum rationibus, tum exemplis, vt barbara ea gens manus Sacerdoti daret, & è lapide cera fieret. Sed & DEVS ipse conatus piæ huius fœminæ adiuuisse, eósq; qui vel restiterant, vel minùs promptè sequerentur bene suadentem, puniuisse visus est.

Digitized by Google

Cuius rei exemplum hoc fit. Inda quædã ſtimulis animi occultis & arcanis ad Confeſſionẽ ſuper totâ vitâ peragendam identidem impelli ſe ſenſit; adit parentes, quorſus à DEO ageretur, aperit: illi in aliud tempus cõſilium differri voluerunt. Dilata Confeſſio eſt, non vindicta; paulò pòſt enim à tanto femina obſeſſa eſt morbo, vt euocatus Sacerdos audire eam, vtpote elinguem & mutam, nequaquam poſſet. Creuit eum tempore malum, nec aliud loqui, vel voluit, vel potuit vnquam, niſi hoc: *Auferte hinc feles has; quid ſibi volunt, qui in inferiore huius domûs parte morantur? Heu! heu! me miſeram quidam abripiunt Æthiopes.* Hæc ingeminando parentibus manus dabat tremens, velut auxilium poſtulatura. Domeſtici, viciniáque tota his verbis territi, malum neſcio quod ſuſpicari, timore pauoréque in diuerſa agi, diuinam implorare clementiam: muliere interim ab ignibus ſe torqueri exclamante, horrendúmque vociferando ſpiritum inexpiatum elidente. Nec inanes fuiſſe eos queſtus, aut de nihilo vanóque ſomnio, exitus declarauit. Cùm enim pòſt paulò eius cadauer linteo, vti mos eſt, inuolueretur, illud denigratum *iam* & quaſi igne toſtum apparuit; quæ res *non modò* terrorem incuſſit ſpectantibus, verùm etiam alijs deinde fuit exemplo, ne DEO vocante obſurdeſcerent. Tantæ demum virtutis, támque bonæ indolis iam inde à cunabulis fuit MICHAEL, vt altera eius mater aliquoties narrare ſoleret, illum, vel è ludo litterario, vel è templo redeuntem quotidie conſuêſſe ſe domi precibus dare

Digitized by Google

dare; quem dehinc morem grandior factus (priùs etiam, quàm seminario nomen daret) semper conseruauit.

SEMINARIVM BOHOLANVM INGREDITVR.

IV. DVODECIM ferè annorum fuit, cùm in seminarium receptus est. Ac primò quidem visus est ab eo velut carcere abhorrere, puerili quodam timore, teneróq; parentum dulcissimorum amore, à quibus auelli, & abesse puero durum videbatur: quare primis quidem diebus non semel lachrymari deprehensus est, & exilium suum deplorare. Non tamen diu factum est, cùm puduit verecundum adolescentulum eiusce modi doloris; quem breui ita deterfit, vt iam nullus in Seminario libentiùs lætiúsque viueret ipso MICHAELE, sæpiúsque Patri, cuius patrocinio Alumnis aggregatus erat, gratias ageret, quòd tam sancto cœtui fuisset adscriptus. Habet enim Boholanum illud seminarium viua omnium virtutum exẽpla, quæ ingenuam MICHAELIS indolem ad æmulationem facilè accendebant. Sunt ibi adolescentes, qui oblatas honestissimarum nuptiarum conditiones magno animo respuunt; sunt, qui ad feminas ne propiùs quidem accedũt. Audierat quidã eorũ, olim à D. Francisco omnia paupertatis amore in mendicos erogata: pari ergo feruore accensus vestes suas, quas tum nouas gestabat, cum attrito mendicabuli cuiusdam centone cõmutauit. Qui-

Digitized by Google

Quidam ex Alumnorum famulis, audito cuiusdam monachi exemplo, qui absconditum panem Præsidi suo patefecisset, adijt Patrem socijs comitantibus, eique ad genua proiectus supplicauit, vt pro ablato quodam exiguo pomo pedibus aliorum super se impositis calcaretur. E Zebuanâ vrbe cornutus vitulus huc delatus erat, mandatúmque Alumnis, cum eo vt lusitarent aliquantulum, & cum vitulo animi gratiâ quodammodo vitularentur, (plures enim ex illis nè semel quidem tale animal aliunde aduectum viderant:) at ex omnibus natu minimus puer, eo neglecto ludo, se interim ad sanctissimum Sacramẽtum furtim abstulerat: quem cùm ibi deprehendisset Pater, ad ludum ire iussit: ille D. Hermanni, aut Edmundi exemplum sequi cupiens; *bene*, inquit, *Pater mecum agitur hîc, ni tibi aliud placet.* VIRGINEM DEIPARAM impensè omnes amant, à quâ cumulatè recipiunt pro suo erga illam obsequio, quidquid illis non modò vtile, sed etiam iucundum est. Quidam Sodalis iter ad montem quendam faciens incidit in feminam grauiter dolentem, quam statim humeris impositam suo prætermisso negotio detulit ad templum, vt ibi à Confessione remedium doloris acciperet. Cantorum magister natum iam morientem deplorare cœperat, sed quamprimùm voto emisso illum D. Iosepho Seminarij Patrono obtulit, sanum vidit: quo exemplo inducta femina idem pro puerulo suo recens nato fecit, idem effecit: adeóque consuetudo illa, quæ in Europâ est liberos offerendi alicui Religioni,

Digitized by Google

gioni, apud hos Indos est dicandi seminario, in quo ita instituuntur, vt non rarò parentes ipsi à suismet filijs Christianam legem edoceantur.

PRECATIONIS IN PVERO CONTINVVS VSVS.

V. PRECIBVS, quas Vocales nominant, à puero studuit: *præuenit namque illum Dominus benedictionibus dulcedinis. Testis ipse sum* (scribit in suis litteris P. Petrus) *illum singulis diebus, decimo tertio, aut quarto ætatis anno in more habuisse, Sanctissimam Eucharistiam inuisere, manè ac vespere; vel audito Sacro, vel decantato Salue Regina, non minore reuerentiâ, atq; animi demissione, quàm perseuerantiâ ac studio, reliquos in hoc Alumnos superans, qui hoc prætermisso bono domum petebant lusitantes.* In ipso autem seminario præter alias sibi preces familiares, nouies quotidie recitauit B. VIRGINI corollam; donec instructior, doctiórque mente etiam precari nouit. Et quotidie quidem eâdem, quâ Patres Societatis horâ, ipse quoque lectulum suum deseruit: immo horam consuetam sæpiusculè anteuertit puer; ita tamen præseruens hæc eius precandi industria à Maioribus temperata est, vt Sanctioribus tantùm B. VIRGINIS aliorúmque Diuorum peruigilijs meditationis tempus ipsi liceret non præuertere, sed producere. Quod quidem & domi fecit & foris: in excursionibus namque frequens fuit Patrum nostrorum comes: in quibus cum somnum quandoq; puerulo suaderent longiorem ætas & defatiga-

tio,

Digitized by Google

tio, ne fortè statam precandi horam negligeret, P. Petrum persæpe rogauit, sibi vellicaret aurem: quod vt libentiùs certiúsque faceret, artificio quodam monitorem sibi obstrinxit, pollicitus, toties ei, vel vnum, vel plura rosaria dicturum, quoties operâ illius, & vigilantiâ expergefieret. CHRISTI Domini vitam, VIRGINISQVE MATRIS res gestas argumentum cõtemplationi sumpsit, nec stetit in solâ ac nudâ tantarum rerum admiratione, sed ea, quæ animo ac cognitione sapienter tractauit: opere deinde vitâque ipsâ diligenter expressit. Rogatus aliquando à Patre, quidnam inter precandum meditaretur? Respondit; *idipsum, quod ante duos menses in Fuborensi excursione sibi Dominus concessisset precanti.* Itaque eæ erant cogitationum eius reliquiæ, quæ non modò *diem*, aut dies, sed etiam *menses festos* illi possent *agere*.

DIVOS TVTELARES SINGVLARI CVLTV PROSEQVITVR,

VI. PATRONORVM suorũ, ac præcipuè D. VIRGINIS, SS. Ioseph, Michaëlis Archangeli *festas* luces pluribus, issq; feruẽtibus pietatis *exercitijs* anteuertere studuit. Eum in finem preces, vigilias, ieiunia, verberationes creberrimè vsurpabat; atq; vt nihil negligeret, aliorum preces ad id emẽdicabat, vicissim pollicitus operam, cùm Patronorum suorum anniuersarios dies religiosè essent acturi. Et profuisse videtur hæc mutua pietas MICHAELI, vt sine viatico ex hac vitâ non

Digitized by Google

discederet. Licet enim repentina mors vsum linguæ illi ipsámq; adeò vitam, vt infra demonstrabimus, eripuerit, pridie tamẽ sacro CHRISTI Corpore præmunitus erat, quòd ex Alumnis amicũ haberet, cui Martino nomen, & tum ipsa D. Martini dies octaua celebraretur; qua occasione vsus Michaël cœlesti ferculo se refecisset.

IN SACRAS IMAGINES SVMMA EIVS REVERENTIA.

VII. IMAGINES Diuorum in primis honoribus habuit. Insignia CHRISTI passi, pueri IESV, MATRISQAE illius effigiem à D. Luca expressam in testudinatâ capsulâ à seipso confectâ secum semper gestabat, ne videlicet oculi priuarentur, quo animus pasceretur; aut locus esset, in quo delicias suas non videret. Adeò enim iucunda illi MARIÆ, adeò IESV dulcis fuit memoria, vt ab eorum se laudibus ne in turbâ quidem, aut ludo abstineret, illa verba identidem vsurpans; *Laudetur vbique* IESVS CHRISTVS, *eiusque Mater Sanctissima* MARIA. Suâ sibi manu CHRISTI Domini è Cruce penduli scalpsit effigiem, cuius intuitu considerationéque ad similia quædam pro suo Seruatore perferenda accenderetur.

ET sanè *mortificationem IESV CHRISTI in suo corpore assiduè circũtulit*; sæpe scisitatus à Patre; *quanam sibi posset ratione* DEI *præsentis imaginem animo velut insculpere?* Atq; hoc eum desiderio frustratũ minimè fuisse, inde deprehẽsum est, quod apud

apud omnes ea fuerit semper illius hilaritas ac modestia, vt aut cum optimo aliquo amico suo, aut cum grauissimo morum Magistro versari videretur.

TEMPERANTIA ET CORPORIS DISCIPLINA.

VIII. SEXTAS ferias CHRISTO Domino ceu Patri, Sabbathum MARIÆ Virgini, ceu Matri ieiunus consecrauit: præterquam, quòd huius dies sacratiores hebdomadario ieiunio aliisque corporis macerationibus, & antecederet & sequeretur. Magnum ieiunium, quod Ecclesia quadraginta diebus continuat, sanctissimè obseruauit; idque cùm semel à P. Rectore ipsi denegaretur, non quieuit ante, nec à latere sui *Præfecti* discedere voluit, quàm facultatem tanto tempore à cibis abstinendi obtinuisset. Idem obijt aliquot ante obitum hebdomadis in honorem Archangelorũ Principis ac Patroni sui Michaëlis. Quot diebus semel (nisi aut morbus obstaret, aut imperium) vbi primùm cubitu se leuauit, funiculis se cecidit. Publicè ab alio flagellari sæpenumero postulauit; immò non semel à Sodalibus singulis malè plecti, colaphis onerarari, sputis fœdari, quo vel innatam sibi verecũdiam DEI amore temperaret, vel CHRISTI à Iudæis tam crudeliter habiti dolores, ac cruciatus aliquo modo sentiret. Postremis vitæ suæ diebus enixè petijt, vt liceret sibi seminudo per publicas oppidi plateas flagellis cædi: quare biduo

ante

Digitized by Google

ante eius mortem, MICHAELI adiuncti sunt quatuor collegæ, à quibus eam pœnam à Seminarij domo ad vsque templum nostrum sustineret. Depositò igitur indusio vmbilico tenus vni propriâ dat manu chirographum; in quo quidquid Præconis voce publicè recitari vellet descripserat; alteri tubam porrigit, tertio flagellum; ipse lætus flagrionis habitu incedere gestit, ad eum omnino modum, quo vno abhinc anno publicè plecti viderat Balanas quasdam Idolorum Sacerdotes. Stantem ita in procinctu militem, & iam ad vulnera excipienda paratum, pedè subitò reprimere iussit Pater, piam illam voluntatem DEO Opt. tantisper satis fore persuadens, dum commodiore tempore factum ipsum concederetur. Difficile ac durum fuit hoc imperium MICHAELI, sed cessit indignum se compellans, qui CHRISTI caussa plagas acciperet. Sub noctem apud Patrem iteratò institit, vt die sequenti (quę sexta erat in hebdomada) tunicato saltè per oppidum ad sanguinem vsque cædi liceret; *è re sibi & æquo videri, quidquid ad extremam salutem faceret, extremo vitæ potissimum tempore fieri.* Negatum est etiam hoc illi, idque iterum; cumq; incertitudinem mortis caussaretur, ac postremum vitæ diem præclaris factis anteuertendũ pugnaret, assensum est eius voluntati; quæ tamen posterâ die ab insperato mortis superuentu denuò est impedita.

OCVLORVM MODESTIA.

Digitized by Google

IX. SENSVVM exteriorum sedulus moderator, diligénsque velut in specula semper obseruator fuit MICHAEL, ne qua audaciùs liberiúsque diffluerent. Oculos verecundè demissos ita regebat, vt non modò feminarum illis, sed ne virorum quidem aspectum (nisi quantum necessitas exigebat) cõcederet. Sed nec sibimetipsi satis fidebat, quin corpus tectũ perpetuò haberet. Cùm è lectulo surgeret, talari veste pedes occulebat. Quod si in modestiæ leges à se dormiente, vel paululùm notàsset peccatum, dolenter tulit, eíq; incõmodo remedium adhibuit saccum linteũ, quo incluſus etiam volens non posset reuelari. Deprehensus nocte quadam pedibus tectis quidem, sed varicatis dormire, eáque de re admonitus erubuit, veniámque mox ab omnibus demissè postulauit. Quæ modestia tanto in MICHAELE censenda est admirabilior, quantò maior est in Bisayensi gente denudandi corporis consuetudo.

AVRIVM CVSTODIA.

X. AD AVRIVM portas eâdem diligentiâ, excubitorem egit; illac non Sirenum cantus, non modulos voluptatis, non quidquam Sotadicum, inhonestum vé admisit. Siquid inopinatò fortè ad aures accidisset, quod impudentiam sonaret, ipse verecundiæ suæ statim, vel fugâ celeri, vel caperatâ fronte, vel ad Patrem facta appellatione prospexit. Exciderant aliquando consobrino illius verba quædam minùs decen-

Digitized by Google

decentia, minúsque modesta; quæ cùm inaudiret MICHAEL, apud Patrem precibus institit, sibi vt liceret in reum flagris aduertere, eámque noxam verberibus detergere, quò alij exemplo huius discerent proloqui saniora. Nihil iniquiore animo tulit, quam cùm æquales suos intellexit delectari numeris quibusdam, ac cantilenis Idololatrarum, cúmque per Nostros sæpius illi daretur facultas conciunculam aliquam meditandi, seriò in istiusmodi homines inuehi consueuit, qui vetera atque obscœna falsorum deorum deliramenta iactarent.

LINGVÆ MODERATIO ET IN VERBIS PRVDENTIA.

XI. LINGVÆ pari cautione moderabatur. Prudentiam, quæ in tantillà ætate esse potuit, responsa illius sat produnt. Monuit eum aliquando Frater è Nostris vnus, ne se tantopere affligeret in Patrum opportunitatibus procurandis; siquidem apud eos lege cautum foret, ne commodis proprijs studerent: *Hoc quidem*, inquit ille, *Patribus expedit, qui sibi aßiduè vim faciunt; at verò aliud mihi imperat DEVS, eorum videlicet, vt neceßitatibus quantum fieri potest, occurram, eorundémque vtilitatibus studeam, quàm diligentißimè: itaque sola ad me spectat charitas, non parsimonia.* Ad æquales suos in officio continendos, & salubriter instituendos di-

Digitized by Google

cere solebat; *Exactiorem quandam cum ijs, qui in Seminarijs Societatis forent, initurum DEVM rationem: quod apud eos viuerent, quorum exemplis proficere possent, quoque maioribus, quàm reliqui Bisaye beneficijs cumularentur.* Indus quidam recens ad Christianos aggregatus peccata sua Patri expositurus venerat: *ne quæso* (aiebat MICHAEL) *audias nouitium hunc Christianum Pater: discat prius, quidnam sit peccata ritè expiare: tum enimuero nullo negotio illum à laqueis, quibus adhuc insçius tenetur, explicabis.* Quod consilium non puerile fuisse, experientia deinde ostendit. Iocabantur fortè nimis liberaliter, & verba quædã ab honestis paulò alieniora inter ludendum subinde effutiebant illius coæui: mox curriculò ad P. Rectorem venit MICHAEL, rogat verbis eos acrioribus coerceat; *ne*, inquit, *à modicis exorsi paulatim graviora audeant.* Iussus fuerat aliquando à P. Petro verba de Christianis mysterijs publicè facere ad Bisayas, quippe qui eius gentis mores ritúsq; probè nosset. In eâ concione Bisayarum Diuatas, Tagalorum Bathalas, Mindanaënsium Mahometes, Iaponensium Amidas, Itarum *Bibitas*, Brachmanum Pagodes, Sinensium *Cequias* aliarúmq; gẽtium idola omnia ac singula à CHRISTO Domino superata, eneruata, penitúsque dudum fuisse ex deorum numero proscripta demonstrauit. *Iure merito igitur* IESVM CHRISTVM *solum pro vero* DEO *haberi dicebat, qui omnes vinceret, à nullo vinceretur.*

INDV-

INDVSTRIA IN OMNIBVS ACTIONIBVS.

XII. MIRE induſtrium ac ſolertem experti ſunt MICHAELEM, quotquot eum familiariter nouerunt, ijs potiſſimùm in rebus, quæ ſacrum vſum habebant: flagella pro caſtigando corpore texere, ijſque ſtellulas ad eliciendum ſanguinem inſertare calluit, quàm qui ſcitiſſimè. Et quidem ad ſacram Confeſſionem, quod attinet, ſeu cùm ſeipſum præpararet, ſeu cùm alios eodem in negotio inſtitueret, nemo erat accuratior.

MODVM confitendi, eumq; Biſayas ſuos docendi in propriâ chartâ ſibi conſignârat, quam legendam deinde cenſendamque Patribus obtulit. Viderunt eam legerúntque magnâ cum voluptate; quòd pulcherrimè rationibus, exquiſitis exemplis, & ſimilitudinibus aptiſſimis ſuaderet memoriam, dolorem, deteſtationem, narrationémque peccatorum, ac quidquid demum emolumenti ex eo Sacramento in Chriſtianum hominem poſſet redundare. Quo exercitio duo potiſſimùm conſecutus eſt optimus adoleſcēs, vt & ipſe tranquillam ſibi compararet conſcientiam; & primus eſſet, qui in hac Boholana inſula Confeſſionis generalis vſum inuexerit, quam ipſemet non ſemel vſurpauit.

QVANTVS FVERIT OTII DETESTATOR.

XIII. IAM otio, atque ignauiæ perpetuum

Digitized by Google

quasi exilium, indixit. Ad culinam sæpe ibat eà solùm de caussa, vt si aliquando Patribus comitari necesse esset, ipse coci munere fungi cum dexteritate posset. In nauigijs solus omnia curabat, onera importabat, exportabat: in mortariolo à semet in eum vsum confecto orizam terebat; ex quâ panem deinde Patribus magnâ charitate submini strabat. Et inter has quidem contínuas corporis occupationes animo minimè feriabatur. Tam enim familiarem sibi fecerat precandi consuetudinem, vti nec domi stantem, nec foris ambulantem, aut nauigantem ab eo negotio vacuum facilè deprehenderes. Ita nunquam otiosus minùs erat, quàm cùm erat.

QVOMODO DIES VACATIONVM TRADVXERIT.

XIV. Dies quos relaxandis corporibus, atque animis alij sumunt, MICHAEL labori dedit. Cum omnibus ibat, nec tamen quod omnes exercebat. Quamuis enim ludentibus socijs non facilè abesset, plerunque tamen, aut *acu*, aut calamo, aut scalpello, aut manu aliquid moliebatur, quod pietati inseruiret. A latere nostri Fratris vix vnquam discessit, quæstiunculis eum de DEO rebúsque diuinis assiduè sollicitando consulendóque. Quin & ipse non rarò ad custodiam domi volebat relinqui, non quòd naturâ Timon aliquis, Μισάνθρωπος esset, sed eo duntaxat fine ac animo, vt aut communi se priua-

Digitized by Google

priuaret oblectamento, aut lectitaret aliquid, scriptitaretve, quod Numinis cultum, VIRGINIS honorem, hominum salutem promoueret: videlicet modum examinandi conscientiam; litaneuticas preces; Diuorum res gestas, aliaque huiusmodi, quæ non minori cum voluptate domi exercuit, quàm æquales sui, qui foris per prata campósque discurrendo vires animi corporísque impigrè restaurarent.

AB OMNIBVS DISCERE STVDVIT.

XV. CVM ipse exemplo omnibus esset, ab aliis tamẽ exempla virtutum sumere nunquam intermittebat. Lectoris munere in triclinio nostro perfunctus diligenter obseruauit eos, qui ad abiectum aliquod officium virtutis ergò se demisissent: cumque conspiceret aliquem, vel humi accumbentem, vel reliquorum pedibus oscula defigentem, vel in ipsâ ianuâ se prosternentem, illum ipsum deinde in suo cœnaculo imitari curauit. Audierat, Societatis nostræ parentem IGNATIVM per integram aliquando hebdomadam cibo, ac potu abstinuisse: ne nihil ergo in hoc quoque genere virtutis præstaret, egit sæpiùs cum Nostris, vt sibi permitterent, diurnum saltem ieiunium absque vllo pastu, aut potu transigere; nam solo pane & aquâ viuere, consuetudo ipsi iam leue negotium fecerat. Potitus est voto aliquoties, tantáque voluptate à mensâ

Digitized by Google

abfuit, quanta alij acceſſerunt. In memoriam venit illi aliquando CHRISTVS Dominus ad columnam à Iudæis immaniter alligatus: petijt ergo, vt & ipſe per noctis interuallum erectus manibus, pedibuſque adſtringeretur. Sæpius illud ſollicitauit, vt ob eiuſdem Domini memoriam in Cruce quàdam extenſus, ligatúſque pernoctaret.

ANIMI DEMISSIO IN EO SINGVLARIS.

XVI. VERAM animi demiſſionem ſtuduit in primis ſibi comparare. *Vidi illum noctequadam,* (inquit P. Aunonius) *dum Seminarium inuiſerem, ſub lectulo in terrâ cubantem, quem è me reprehenſum audiui reſpondentem; ſe illud humilitatis magiſtrâ didiciſſe, quippe quæ doceret in terrâ terram ſternendam.* Veſtitu vtebatur paupere, ſed mundo, & quamuis pretioſis veſtibus non careret, induci tamen vix potuit, vt ſaltè cùm CHRISTI Corpus ſumpturus erat, cultiore paulùm amiculo integeretur. Vltimum in ſedendo eligebat vbique locum. Interrogauit aliquando, *quænam maior cenſeretur humilitas, an Patrem in itineribus comitaretur, præcedere, an ſequi?* Volebat enim id, quod abiectius eſſet, eligere. Deſignatus ſubinde reliquis Alumnis ſuperior, in eam deuenit triſtitiam, vt morbum aliquando contraxerit, quo liberari ante non potuit, quàm in ordinē redactus eſt. Adeò à propria, vel laude, vel exiſtimatione abhorrebat, vt vel vmbram honoris non ferret. Perſona

Digitized by Google

sona CHRISTI Domini in dramate quodam ipsi agenda erat; eam ille tanta verecundia fuscepit, tanta sui despicientia egit, vt thronum, cui insidere, maiestatémque, quam repræsentare cogebatur, deserere, quàm ocyssimè curaret. Illam, quam tantoperè B. Bernardus virtutem deprædicat, perturbationum, inquam, aliorúmq;, quæ in animo sunt, arcanorum proditionem ita obseruauit, vt quidquid malus suggereret Genius, quantumuis fœdum & abominabile, illico Patri expositum iret: maluit enim cum rubore hostem prodere, quàm in occultò perire.

CASTIMONIÆ AMOR.

XVII. ET hæc potissima MICHAELIS fuit baliſta, quâ igneas sagittas contra castimoniam à Cacodæmone immissas potenter retorsit. Tribus enim ante mortem annis coram CHRISTI in Cruce pendentis imagine florem pudicitiæ deuouit, quem ad vitæ finem vsque sanctum illibatúmque conseruauit, quamuis non à Diabolo tantùm & carne, sed à parentibus etiam laquei tenderentur. Vocarat ad se puerum aliquando Inda illa, quæ ipsi ius filij iam dudum dederat. Vocato auri magnam vim ostendit, &, *En tibi, fili mi*, inquit, *iam parta res est, nihil porrò deest, quam sponsa te digna, cum quâ inter nobiles lætus viuas & felix. Itaque elige tibi, vel Baclaini, vel Roboci æqualem formâ et diuitijs, duc domum: ipsa ego nuptijs tuis præero, nullis sumptibus, nullis laboribus parcam.* Ad has feminæ voces, ceu serpentis alicuius sibilum

Digitized by Google

exhorruit castus animus; & cessa, aie, *cessa mater mea eiusmodi mihi facere cogitationes: pro hoc consilio nec ætas mea apta est, nec voluntas opportuna.* Dato hoc matri responso continuò ad Patrem Societatis adnolat, & *quàm callidè*, inquit, *ô Pater me aggressus est hoc vesperi antiquus hostis! DEVM immortalem! quam fallax & vafer est piscator ille animarum, qui mortiferum hamum speciosâ escâ obductum pueris quasi piscinulis in æternum igne exequendis amat obtrudere! aduersus quem sicut diuinam in me expertus sum clementiam, sic & hoc tibi, vt pro me grates vna mecum DEO persolnas, volui significare.* Sed nec multò pòst periculosiori impetitus est iaculo. Adijt illum Nostris inscijs frater germanus, iam à parentibus in hanc expeditionem subornatus. *Rogat sibi in re graui credat, parentibus senio confectis id beneuolentiæ ne deneget, vxorem ducat: nihil suis posse fieri gratius, nihil ad splendorem generis illustrius, nihil ad rem familiarem augendam locupletandamque vtilius, aut nobilius: siquidem ille inter Biscayenses reliquos antecellat, qui plurimùm affinitate sit auctus.* Respondit fratri MICHAELE; *Quin tu potius parentes nostros admone, idem mecum vt sentiant, CHRISTVM Dominum, vt veri Christiani colant, in eo spes suas collocent: quod si quis eis molestiam creet, illam æquo animo ob eiusdem amorem perferant, sciántque atque iterum intelligant, me nolle vllo pacto de matrimonio quidquam statuere.* Circa vltima vitæ tempora inuisit Nostrorum iussu parentes suos, quò illos salutaribus monitis imbueret. Simul verò tecto subijt, ecce tibi lamenta & gemitus. Hinc ma-

ter ca-

Digitized by Google

ter cadentibus lachrymis, inde pater ætate grandæuus, vtrinque consanguinei reliqui vno quasi ore exclamant; *Heu te perditum* MICHAEL! *resipisce quæso, vxorem accipe, Bisayas reliquos imitare: Virginitatem, inauditum hunc morem Hispanis, & Patribus relinque.* Vix hæc audierat adolescens, cùm sibi magis, quàm suis timens initâ statim fugâ ex ædibus paternis sese proripuit, nec ab eo tempore vnquam, vel parentes, vel consanguineos conuenire voluit, tanquam certos castimoniæ suæ & capitales hostes. Quin & munuscula ab ijsdem subinde missitata velut irritamenta malorum non modo respuit, sed cùm quid fortè illo absente ac nesciente à ianitore fuisset acceptum, statim expediuit ad parentes aliquem, qui diceret, ne donationibus illis porro molesti essent; ni faxint, fore, vt quæ acciperet, protinus porcis abligurienda obiectaret. Atque hæc quidem minabatur MICHAEL: bellaria interim aliásque id genus delicias, quæ ipsi paratæ erant, æqualibus suis hilari, ac liberali vultu distribuit.

STVDIVM PAVPERTATIS.

XIIX. PAVPERTATIS verò eam rationem habuit, quæ religiosum etiam virum ornare posset. Ne pomum quidem ex horto, vel ipse attigit, vel ferre potuit, cùm ab alijs furtim legerentur; ideò submonere solitus est eos, penes quos erat talia, vel prohibere, vel castigare, ne quid scilicet à quoquam impunè in tam-

Digitized by Google

ſanctam virtutem peccaretur. Paucis ante obitum diebus linteum à parentibus ipſi dono miſſum, remiſit; ſiue quod affectui, qui in eiuſmodi munuſcula facilè intemperans eſſe ſolet, timeret; ſiue quod redundantia penes ſe eſſe nunquâ pateretur, adeò vt nec ſumptus propter ſe fieri, nec occupari opifices ſui cauſsa vellet: vnde & togulam, in qua deinde ſepultus eſt, ſuapte ſibi manu concinnauit.

ALACRITAS OBSEQVENDI.

XIX. DE ALACRITATE eius in obſequendo, & ad nutum quemuis parēdo quid dicam? Tam parui curam ſui, tam magni DEI, & maiorum ſuorum voluntatem duxit. Non fuit inter tot eius collegas, qui celeritate obtemperandi MICHAELEM vinceret; proinde expeditum, & in quæuis mandata paratum reperit eum ſuperior & inferior, cum non à quo, ſed quid præciperetur, attenderet. Ipsâ illa luce, quam vltimam vidit, miſſus cum aliquot alijs puerulis ad ientaculum, vt inde ad flumen aliquod pannos elutum ſe conferret, *quin potiùs*, inquit, *prætermiſſo ientaculo DEO parendum priùs, deinde corpori ſuo faciendum ſatis?*

ÆQVABILITAS VITÆ.

XX. MAGNO animo tulit, ſi quid humanitus accidiſſet, & ad omnes caſus, & fortunæ viciſſitudines ſolerte curâ ſe præmuniuit, illud frequēs ſecum

secum reputans, patientiâ ac longanimitate innumeris superiorem fuisse incõmodis celebratissimum illum virum Iobum, & ex infirmiore sexu Beatissimam Virginem DEIPARAM, propter Crucem demortui filij, inter acerbissimos animi dolores longo silentio inuictáque constantiâ perdurantem, nec ad instar præficarum cæterarúmve mulierc ularum, aut humi corruẽtem, aut vnguibus faciem fœdum in modum laniantem, ac deturpantem. Hæc cogitatio MICHAELI pro clypeo & præsidio fuit, quo facilè tantillus etiam adolescens omnes humanos casus, aut elusit, aut repressit. Diem supremum clauserat auunculus ipsius, quem vnicè MICHAEL diligebat. Comploratio erat inter affines & consanguineos ingẽs facta, more antiquo Biscayensium, qui suorum funera non lachrymis tantùm, sed magno etiam vlulatu ac gemitu die noctúq; insomnes prosequuntur: solus MICHAEL animo immoto, ac imperturbato occulisque siccis dilecti funus spectauit, non quòd sensu careret adolescens cerâ liquidior, sed quia lugendum adeò non videretur ob id, quod non sine diuinâ prouidentiâ factum credebat.

CHARITAS ET BENEVOLENTIA IN OMNES.

XXI. CHARITATE cùm in omnes, tum in æquales maximè, & Patres Societatis IESV erat prorsus singulari. Aquam ad eos refocillandos sæpe hauriebat ipse è fluuio, eamque lætus iuxtà

ædes

Digitized by Google

ædes paternas transiens, neglectis eorum reprehensionibus, domum deportabat. Aliorum vices in muneribus exequendis libenter agebat; in verrendâ culinâ, vasis tergendis, ollis eluendis, lancibus ac scutellis expurgandis promptissimè operam suam posuit. P. Petri verba illa sunt: *Stupeo, cùm ea, quæ in itineribus, in quibus mihi associatus est, in memoriam revocare soleo: ipse me pedibus iter facientem præcedebat, gladiolo præcidebat ramos arbustáque, quæ iter impediebant aut retardabant: cumque per montium abrupta scandendum esset, fluviúsque traijciendus, ipse mihi pro scipione erat: si quæ sensim acclivia, seu etiam arduæ cacumina subeunda erant, pedem supponebat, ne ipse fallente vestigio in præcipitium delaberer. Ad oppidum me conferebam aliquando, cum lutosâ viâ defatigatus in cœnum me pœnè insciùm demersi, è quo statim* MICHAEL *contempto suo periculo me apprehensum in tuto collocauit.*

VBI diuersandum aut pernoctandum fuit, se neglecto solum Patrem curauit: qui vt securè dormire, & sine periculo posset, quidquid cuiusquam, aut tabularum habere ad manus poterat, id omne Patri substernebat, nihil sibi reseruans. Mos namque (vt primo capite iam monuimus) apud hos Philippenses est, de nocte, vel hostes, vel hostium loco habitos in suo lectulo quiescentes ex inferiore domûs tabulato acutis lanceis conficere, id ipsum ne contingeret Patri, sedulò aduigilabat; ac si fortè ianuà careret cubiculum, ex arundinibus repentè conficiebat; dictitans; eâ potissimùm de causâ P.

Digitized by Google

sa P. Rectorem quoque superioribus annis ab Indis alijs ad mortem fuisse quæsitum : quod si ipse in tam pio opere occumberet, paruam eam se existimaturum iacturam, dummodo salno & incolumi Patre id fieret.

ALIENÆ SALVTIS STVDIVM ET VERVS IN PARENTES AMOR.

XXII. Nec propriæ duntaxat, sed alienæ quoque salutis studium cordi iugiter habuit, & cùm omnibus iuuandis intentus semper esset, popularium tamen Bysayarum curam præ se singularem tulit. Hæc illius identidem vota & verba erant; *Ista & illa Indos meos monete, Patres; hæc cùm peccata eorum auditis, docete: è suggestu velim hæc moneri: credite mihi, Bisayas nouis nouis, quo claudicent pede. Talia non alia omnino sunt illis inculcanda.* Si quid, quod Christianos mores non saperet, in oculos illius aurésve incurrisset, id absq; cunctatione ad Patrem nullâ habitâ vllius ratione detulit, nec eâ in re proprijs quidem parentibus pepercit. Cùm enim videret eos in funere patrui pristinis vti ritibus, extemplo Nostrum adijt, rogauítque, vt parentibus suis increpitis veteres illos, & à religione Christianâ abhorrentes ritus penitus abrogaret. Ceterùm parentes eo amore, qui ex DEO est, prosequebatur. Vtrumque eorum, vna cum totâ propinquitate ad Confessionem super omni vitâ faciendam induxit.

Verùm

Verùm cùm patrem suum duriorem aliquanto nihilominus animaduerteret, egit cum P. Rectore, sibi vt liceret illũ in Seminario per mensem informandum retinere, quo ipse tam grandis natu, iuniorum exemplo molleſceret, & ad eam, quâ videbatur carere, pietatem, facilitatémque perueniret. Obtinuit quod petijt: ſed quem non licuit videre in terris immutatum patris animum, licuit videre è cœlo. Nam bonus ſenex mortuo filio vnà cum vxore totius anteactæ vitæ crimina non ſine magno fructu explicauit.

PERSEVERANTIA IN BENE CŒPTIS ET CONSTANTIA.

XXIII. HAS omnes MICHAELIS virtutes, quas modò commemorauimus, illuſtriores reddidit perſeuerantia, quâ ab incœpto ſemel bono opere deflecti ſe nunquam permiſit. Puer cùm eſſet, in morbum incidit, in quo animæ ſalutem cõrporis valetudini anteponens, parentes obteſtatus non ſemel eſt, ne ea in domo, in quâ decũbebat, Baylana vlla ſeu Idolorum Sacerdos cõpareret; à DEO ſperandam, non à *vetulis illis* ſalutem; ſecus ſi facerent, ſcirent, ſe etiam humi rependo ad noſtrum Patrem eos delaturum, de tanto ſcelere caſtigandos.

PORRÒ, cùm die quâdam nondum à morbo illo recreatus, ſuperioribus ſcalarum gradibus inniteretur, videretque Baylanam ſibi ſuiſq; notam contra ſe aſcendere, elatâ voce ingeminare cœpit:

cœpit: *Exesto Diabole, apage te hinc Diaboli amica, ne mea per te mater peccet & pereat*, neque enim latuit sapientem adolescentem Bisayarum inconstantia, qui vel tantillum apertâ ianuâ ex ouili CHRISTI pedem statim referre consuêssent. Die Veneris quodam apponebât ipsi domestici suillam, eâque, vt vescereturinuitabant. *Se verò Christianum esse respondit* MICHAEL, *proinde talem sibi cibum câ die ab Ecclesiâ suâ esse prohibitum.* Vrgent illi magis, ibique neminem arbitrum adesse dictitant, qui eâ de re Patri indicium faciat: *Non equidem* (subdit rursus ille) *ob Patris, vel amorem, vel metum à carnibus mihi tempero, sed quòd Ecclesiæ præceptum est, diuinæque consonum voluntati.* Superioribus annis celebris quidam Baylanus in his partibus fuit, Paroham nomine, graphicus sanè impostor. Is vniuersos ferè Indos ad maritimam oram adduxit, vbi facto Idolis Sacrificio assueueranter dixit, eâdem luce illuc maiores eorum omnes in aureâ naui aduehendos, atque à præsentibus spectandos. Credidit vanissimo oraculo multa hominum turba, solus pœnè MICHAEL noster, etsi tunc puerulus tantum, impostori fidem negauit, alijsque deinde, vt vano euentu decepti, stultéque à Baylano delusi cum Catholicis potiùs saperent & sentirent, auctor fuit.

OBITVS.

XXIV. DENIQVE vt multa alia præclara, quæ

Digitized by Google

diuina bonitate in hoc innocentissimo adolescente operata est, præteream, ipsâ, quâ obijt die, hoc est XIII. Calendas Decembres anni CIↃ. IↃC. IX. primo diluculo sacrum vestiarium ingressus, candido amictu ad ministerium Sacrificij se accinxit: sociis renitentibus, & pro sacro officio hoc ius illius diei sibi vendicantibus; *parcite vel hodie*, inquit, *ô socij, & hoc tantillum boni vestro* MICHAELI *cedite: vestri hæc est iuris dies, non diffiteor: attamen parcite, & vel huic me Sacrificio ministrum indulgete, vt hoc denique lucelli pusillo tenuique meo thesauro superadijciam.*

Astitit ergo tum sacrificanti, (vt aliàs semper) non tantùm ad officium sacrum oculis, sed & mente ad singula, quæ Sacerdos tractabat, attentissimus. A sacro ad ientaculum, à ientaculo ad fluuium mittebatur, sex pueris pannos abluturis præfuturus. Vix vnum alterúmve passum è ripâ descenderat, labentibus statim gradibus pronus, fallente vtroque pede in fluuium cecidit, elisо ad cymbæ ibi hærentis proram pectore. Ingeminantem lamentabili voce Sanctos suos, quos in vitâ colebat tutelares, IESVM, MARIAM, IOSEPHVM &c. socialis non procul pannos ad ignem exsiccantes exaudiunt, adsunt, extrahunt, illóque postulante Sacerdotem vocant. Reperit Pater iam elinguem ac pœnè exanimem in infimo scalæ, ex quâ præcipitarat, gradu, sacro oleo inungit: inde ad cubiculum relatus paulò pòst cùm iterum familiarissima illa nomina inuocâsset, pijssime

Digitized by Google

sime obdormiuit. Neque repentino aut periculoso fine diem suum clausisse adolescentem hunc dixerim, qui se ad mortem tot virtutibus ac continua ferè extremorum meditatione præparárat. Pridie quàm moreretur, Pœnitentiâ primùm, atque Eucharistiâ sanctissimè se communierat: solitus antea tertio quoque die conscientiæ suæ maculas Sacerdoti, quàm exactissimè aperire. Præsensisse eum vitæ suæ terminum non obscurè tum ex his, quæ modò ostēdimus, tum verò hinc colligitur, quòd germano suo fratri dixisse memoratur, in animo sibi esse à Patribus chirographum postulare, quo ipsi cauerent, ne ex oppido maritimum aliquod iter susciperé cogeretur, quòd obitûs sui tempus instaret, adeóque tutum non videretur, à Sacerdote longiùs remoueri.

SEPVLTVRA ET LACHRYMÆ.

XXV. DE MORTVI cadauer nouus vestitus, dextram palma, caput florea corolla exornauit. Eius funus ab vtroque Beatissimæ VIRGINIS Sodalitio (nam & ipse Parthenius erat) cohonestatum est. Tantus fuit dolor tantúsq; gemitus comitantium, vt vix Concionatori dicendi, vix Musicis canendi datus fuerit locus. Flebant Parthenij Sodalem optimum, Alumni socium chariſſimũ, Patres Societatis comitem fidelissimum, Bisayenses popularem vtilissimum, pueri ac puellæ Catechistæ gratissimum, parentes

Digitized by Google

filium dulcissimum, omnes exemplo virtutum notissimum; qui Paganos ad fidem, ad constantiam & verbis & factis animaret; qui Præsidibus parêre, æqualibus se accommodare, inferioribus se demittere posset. Bisayensium mos est, plurimùm serici ac bombicini panni in defunctorum sepulchra congerere: hunc cùm parentes MICHAELIS religiosissimè obseruarent, ideóque non parum pretiosi fili in eum vsum cõferrent, intercessum à Patribus, atque impetratum est, vt ijs sumptibus pauperes aliquot vestirẽtur; quod opus summâ omnium commendatione, atque approbatione est exceptum: nec dubium, in cœlesti gloria istud ipsum placuisse Michaëli, qui pauperibus semper melius esse, quàm sibi voluit.

FRVCTVS QVI EX MORTE MICHAELIS CONSECVTI sunt.

XXVI. TRIA porrò præcipua emolumenta ex beatâ huius adolescentis morte cõsecuta fuêre. Primum, vt iam in pretio sit castimoniæ virtus apud has gentes, quæ priùs ab eius etiam nomine abhorrebant. Nam non solùm Seminarij Alumni, sed eorum etiam necessarij, ac propinqui virtutem hanc & laudant & commendant, & imitari ipsi etiam coniugati desiderant. Alterum est, metus quidam ad præcauendum malè moriendi periculum. Etenim cùm videant

deant atque agnoscãt, quàm vtilis fuerit, quamque necessaria illa adolescenti huic quasi perpetua ad mortem præparatio, quòd ita repentè sublatus sit, exemplum sumunt, & depositis criminibus, initàq; meliori viuendi ratione mortem sibi amicam facere, & quacunque hora seu momento obeundum sit, propitiam habere conantur. Tertium illud est, quòd cùm ad hoc vsque tempus multi adolescentes egregij à Seminarij nomine abhorrerent, nunc demũ viso MICHAELIS obitu, certatim in Alumnorum censum venire cupiunt: ipsiq; adeò parentes filios suos, quibus per ætatem his connumerari nondum licet, simili veste indutos ad Seminarium deducunt, vt ibi grandiorum velut magisterio & exemplo ad virtutem proficiant, & disciplinæ paulatim assuescant.

VATICINIVM DE INDORVM AD CHRISTVM REDVCTIONE, & lamenta Diabolorum.

XXVII. TAM ergo huius nostri MICHAELIS, quàm reliquorum Christianorum in his extremis terrarum oris degentium mores, vita, & quotidianus in virtute progressus, sat ostendunt & super, quàm non vani aut falsi fuerint illi eiulatus & lamenta, quæ Idola, seu potiùs Diaboli in primo Hispanorum in has insulas ingressu proferre auditi sunt. Quæ omnino læ la-

Digitized by Google

mentationes, quia hoc ero. 1oc. IX. anno primùm, quo scilicet MICHAEL è viuis abijt, euulgatæ sunt, & ad Patres Societatis Boholium allatæ, visum non abs re est, eas vitæ huic inserere, præsertim cùm ab insigni quodam, & fideli interprete Baylano (qui in sacro fonte Philippi nomen accepit;) sint profectæ. Boholani duos quondam habuerunt Duces, Thrasones superbissimos: vnum *Manaquior* dixêre indigenæ; qui neminem suâ sententiâ habuerat secundum; vnde etiam per antonomasiam appellari voluit *Valay tung pung*: hoc est, *absque æquali*. Fuit huic filius, *Dayliſan* nomine, eius in officio, ambitione, atque audaciâ successor: qui quoties iter faceret, lanceam manu gestabat, quâ obuios quosque, ni recederent, confodiebat: hic bella quædam atrocia exercuit, in quibus nonnulla è vicinioribus oppida solo æquauit, vnde illud sibi nomen assumpsit: *Macabuenaag*, quod idem est, *ac solo æquans*, vel *Euersor*. Isto ergo tyrannidem exercente sub auroram diei cuiusdam Baylana quædam vates seu Sacerdos, Cariapa nomine, hæc cecinit carmina.

Bayabaico ha nag banua
Bulungco ha nacubayon
Maga cali valiura ang banua
Maga cabuerra ang cubayon
Mabual agra qui ning runſor
Mabuen cagra quin Cubayon.

Horum

Horum carminum, quæ solis Baylanis intelliguntur, si non litteram, sed rem vertimus, hic ferè sensus efficitur.

Me mea mens agitat: stetné hoc, quòd terra dehiscet.
Ictáque ab Auctore hæc sit peritura citò.
Sed surget felix alijs calcanda Colonis,
Queis dispar cultus; mos peregrinus erit.
Insula chara vale: vos oppida grata valete:
Vos teret Hispanus: vos DEVS vsq; beet.

Carmen primum, cum secundo hoc dicit: *Dubia sum, & anceps, num destruenda sit terra hæc, nec ne ab eo, qui eam primò creauit.* Tertium cum quarhunc habet sensum: *Terra hæc immutabitur, aliæ eam gentes possidebunt, alio cultu alijsque moribus vsentur.* Quintum verò & sextum istud innuunt: *Destruendum nimirum omnino hoc oppidum, hanc prouinciam cum reliquis insulis subuertendam.* His auditis Dayliſan reliquique Boholanorum primores Baylanam Sacerdotem contumeliosè acceperunt, iactantes: *se à nemine posse superari in terrâ: è cælo tantùm descendere posse ipsis fortiorem.* Sed illam excusationem ostendit vates Cariapa, sibi à Diuatâ ita imperatum, vt ne sileret, sed caneret. Anno insequenti huc appulerunt armatâ manu classéque prægrandi Terrenatenses, vindicaturi facinus à Dayliſan patratum: siquidem oculos effoderat Terrenatensi cuidam, nobili,

Digitized by Google

qui cum Boholanâ muliere rem habuerat: & quidem Dayliſan ex inſidijs captum occiderunt, oppidúmq; quàm plurimis demptis vaſtárunt: qui verò ſuperfuêre Indi, ſe ad eius inſulæ ſinum contulerunt, vbi eos elapſo anno repererunt Hiſpani noſtri, cum primò ad has inſulas acceſſerunt: quorum deinde ſermonibus, ſacríq; Euangelij prædicatione, eæ ſubſecutæ ſunt mutationes, quas ſuperiora carmina prænunciauerunt. Addunt hi Indi, ſe aliquot poſt annos audiſſe ſæpius à Baylanis prædicatum, eorum Diuatam à Chriſtianorum DEO eſſe ſuperatum, ſéque iam nullo pacto poſſe illi vel Sacrificium, vel munera offerre, niſi ſe ab aliorum hominum conſortio ſubducerent, adeóque furtuè tantùm facerent. Denique, quia huic rei non omnino diſſimile quid referunt in hac nouâ Segouiæ prouinciâ Dominicani Patres, illud etiam ſubiungam. Aiunt fuiſſe Indam, quæ haud multò antè quàm huc peruenirent Hiſpani, filiæ recens natæ impoſuerit nomen MARIÆ. Mirabantur quidem omnes hanc nominis inauditi impoſitionem, poſtulantes à matre cognoſcere, vndenam id vocabuli deduxiſſet? quæ reſpondit: *In ſummo cœli vertice conſidere nobiliſſimam quandam Matronam eo nomine inſignitam, in cuius honorem illud idem natæ indidiſſet.*

VIVIT adhuc puella, licet nondum, quòd conſtet, baptizata ſit, eâ appellatione nota, quiſnam verò huic Indæ tam pretioſum nomen ſuggeſſe-

Digitized by Google

gesserit, incertum est: quemadmodum & illud necdum sciri potuit, vnde ortum ille honor ac reuerentia duxerit, quâ complures eius prouinciæ pagani Beatam VIRGINEM prosequuntur: nisi fortasse inde fluxerit, quod sæpius ab hac Sacratissimâ VIRGINE suum contritum esse caput multis audientibus Diabolus vociferetur.

ATQVE hæc sunt, quæ de hoc Picto Indo dicere habui, qui si non humano, patrio certè more potuisset perire; sed NVMINIS prouidentiâ maturatus, & sicut passer ereptus de laqueo venantium in cœlestem paradysum auolauit, *ne*, credo, *malitia mutaret intellectum: placita enim erat coram DEO anima illius.*

Ergone non solas orbi dabit India merces?
Atque opibus maius quiddam habet illa suis?
Venit ab extremo nitidissima gemmula sole:
Nil habuit magnas pulchrius inter opes.
Ite alij, & fuluo classes onerate metallo;
Impleat innumeras Indica gaza rates:
Gemma mihi cuncto pretiosior vna metallo est,
Charior hac gazis Indica terra tuis.

Tu MICHAEL, tu magne puer, pulcherrima gemma es,
Diuitijs patria pulchrior vna tua.
Per te iam virtus alio sub sidere nasci
Cæpit, & è quouis surgere posse loco.
Te licet occiduo solis vicinia curru
Tinxerit, & pictо raserit axe cutem:
Tu tamen obscurum solem eluctatus & astra,
Candidius cygni vellere pectus habes.
Nil tibi, nil Phœbus nigræ caligine pellis
Obfuit, imo animus clarior inde fuit.
Ille per vmbrosum, ceu flamma refulserat orbem:
Sed tamen, heu! nimium fax fuit illa brevis.
Spargere vix radios & sacrum cæperat ignem,
Cum tantum extinxit mors violenta decus.
Si tamen hæc mors est, melius quâ viuere primum,
Et superas MICHAEL cæpit habere domos.
Certè non aliud credit Boholana iuuentus,
Ipsáque non aliud sidera, credo, scivit.

O mi-

O nimium cito rapte mihi puer optime! quanquam
Non meruit vultus impia terra tuos.
Monstra & mentitos dudum tulit illa Dianas,
Qua modò tam paruum ferre recusat onus.
Crimen, aquæ, vestrum est, celeri quòd morte dolemus;
Vos, vos, erepti crimen habetis, aquæ.
Heu malè crudeles quòd tunc accesserit undas:
An non sic magnæ sæpe periêre opes?

ET

ET quia in vno hoc Puero, omnes propè Gratias, hoc est, Germanas Pueritiæ Virtutes, Virtutúmq; Gemmas amisimus, nihil in tristi Fortuna hac seueriùs accusamus, quàm quòd tardiùs non acciderit.

Plus nempe dolet, quicquid inexspectatum sauciat. Interim, ne indecoro duntaxat Lessu elegantissimum eius tumulum inquietemus, Næniæ ecce in plausum conuersæ, castissimis MANIBVS eius, hanc perpetui Honoris tabulam suspendimus.

MICHAELEM AYATVMVM

HIC VIDES
IMMORTALIS EXEMPLI
PVERVM
QVO
NEMO VNQVAM
ANNIS IVNIOR
VIRTVTIBVS SENIOR
PROVIXIT.
NVNC
INTER ANGELOS
HOC EST
SVI COMPARES
SCRIPTVS

Digitized by Google

ÆVVM SINE ÆVO
FRVITVR.
CECIDIT
FELICI FATO.
MORS NAMQVE.
QVVM DIV.
CIVEM
COELO IDONEVM
IN PVERIS MVLTIS
QVÆSIIT,
IN HOC VNO
REPERIT.

INDEX

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

Adolescentis lapsum B. IGNATIVS innoxium fecit fol.39
Adriensium ludicra certamina B. IGNATIO instituta fol. 7
Æditui Mariani munus vouens graui morbo eximitur f.150
Æditui Mariani munus Dux belli obit. f.553
Aglaiensium piscatorum in B. IGNATIVM iucunda pietas f.7
Agni cerei multiplices effectus f. 305.312.214 290.201.236.401.590.136.279.
B. Aloysius ægroto studioso medetur f.176. alijs opitulatur f.212
Alumni quidam seditiosi contra Societatem infamia notantur f.80
Alumnorum Boholanorum virtus f.635
Amissus puerulus sub carri rota, B. IGNATII ope, seruatus f.42
Anagramma pulchrum de B. Ignatio fol.29
P. Andreæ de Zea religiosissimæ virtutes fol.504. & seqq.

Digitized by Google

Animus malus ad pœnitentiam monetur à B. IGNATIO. *f.*61

Apostata à Religione & fide malè habetur ab Hæreticis. *f.*275

Aquæ lustralis vis. *f.*158.164.290.573

Arbor pro Numine habita à Nostro succisa et cremata. *f.*444

Artopæo materia panibus coquendis incantata, & emendata. *f.*163

Austriacorum in B. IGNATIO *colendo studium.* *f.*30

B.

Bacchanalium furorem instituta oratio infregit. *f.*65 448.

Baptizati Mahumetani reditum ad parentes recusant. *fol.*70

Baptismum duo Reguli plectendi B. Virg. ope suscipiunt. *fol.*88

Baptismo vt tingatur, mortuus reuiuiscit. *f.*604

Barcinone B. IGNATIVS *splendidè cultus.* *f.*30

Beata adolescentis mors. *f.*97.120

Beatificati IGNATII *passim solemnitas.* 2. *seqq.*

B. Virg. auxilio inter globos hostium illæsus illabitur. *f.*458

B. Virgo incurabile malum à puero pellit. *f.*187

B. Virginis in ægros medica manus. *f.*188.202.208

Belgarum piæ pompæ B. IGNATIO *ductæ.* *f.*26

Blasphemæ voces, & sacrilegæ manus punitæ. *f.*390 *seqq.*

Blasphemus in DEVM *et* DEIPARAM *prædicans apoplexiâ corruit.* *f.*430

Blasphemi diuina pœna. *f.*99

Bœtica honoris B. IGNATII *admodum studiosa.* *f.*31

Boho-

Digitized by Google

Boholanorum Alumnorum virtus f.635
Borienſium pro B. IGNATII *cultu affectus* f.7
Bracarenſium in B. IGNATIVM *ſenſa ingenioſo apparatu declarata* f.20
Brachium ſideratum B. IGNATIVS *curat* f.47
Brigantinorum ludi B. IGNATIO *conſecrati* f.22
Bruxellenſium pulcherrima ſupplicatio B. IGNATIO *ordinata.* f.26

C.

Cæremoniarum Cathol. ſannio obrigeſcit f.456
Caſariem reſectam moribundus iuuenis Confeſſario in manus tradit f.179
Calaritanorum in B. IGNATIVM *liberalis animus.* f.24
Callißienſe incendium. f.417
Caluinianus Miniſter eiuratâ hæreſi alios rectè ſentire docet. f.171
Caluinum exuit, ante CHRISTI *imaginem, equo deiectus* f.321
Campani æris ſigno inhibito, molendinum conflagrat f.386
Candidatus Societatis in ædificij ruina ſeruatur. fol. 215.
Canis, obiectâ & contactâ Euchariſtia, rumpitur. f.83
Cantabrorum ſumptus in B. IGNATII *cultu.* f.38
Capitis dolorem lenit B. IGNATIVS. f.46.57.60
Charitas Noſtrorum in contagioſorum cura. f.86
Caſum puellæ B. IGNATIVS *mitigat.* f.40
Carnes ſibi oblatas à patre nouennis puer reſpuit. f.151
Catharinæ Indicæ hiſtoria multis ſalubris. 184
Catechiſmi miro tenetur deſiderio puerulus parentum Caluinianorum. f.378
Catechiſmus numeroſißimus Olyßipone, f.68

Digitized by Google

Chirographum B. IGNATII *fœtum viuum propellit.* fol.48
Chirographo eiusdem plures iuuantur f.40.50.51.56
Chirurgorū querelæ propter pacifica Bacchanalia f.68
P. *Christophori Brauij laudabiles virtutes.* f.594
Christus apparens malam conscientiam ad pœnitentiam vulnere impellit. f.486
Christus luxuriam mirè execratur. f.470
Cinguli pars B. IGNATII *moribundæ sensus restituit.* fol.43
Claudis pedes erexit B. IGNATIVS. f.59.60.61
P. *Claudij Ponceoti virtus, atque sub mortem visio* f.205.
Concio audita capitales inimicos conciliauit. f.66.129
Cœna hæretica mulierem mortaliter furiauit. f.390
Confessionis differendæ consilium misere punitur. f.634
Confessio generalis diabolum sæpe obuium pellit. f.316
Confessionem vouens seruituti Turcicæ eripitur. f.422
Confessionem, septeno regressu, subterfugiens amicè adducitur f.503
Confessionis desiderium visio homini injicit f.507
Confessiones puerorum elementariorum duntaxat vtiliter Noster excipit f.96
Conimbricensium festiua gaudia in Beatificatione P. IGNATII. f.12.*seq.*
Consilium malum, B. IGNATII *precibus, viro eximitur* f.60
Constantia adolescentum ab hæresi abductorum. f.157 301.346.
Constantinopolim profecti PP. *à præsenti periculo seruantur* f.128
Conuersi Capitanei casta causa. f.209. *alterius conuersionis*

Digitized by Google

sionis notabilis causa f.389
Conuitiator B. IGNATII *dicta febri luit.* f.52
Conuiuantes hæreticos collapsum ædificiũ obterit. f.215
Corporis malum B. Virgo adolescenti aufert, vt Societatem possit ingredi. f.136
Crucis signo femina stygios procos abigit. 440
Crucis signum ex alto cadentem seruat. f.474
Crux à S. Thoma erecta aquam facit salutiferam. f.158
Cunabula Christo nato extructa adolescentem à Lutheranismo retrahunt. f.346

D.

Deiparæ beneficio, laqueo innexus, seruatur f.142
DEVM inuocans vndis eripitur. f.585
Discipulus defes graui morbo corripitur ante literarias ferias, ante quas æger cupiebat esse. f.225
P. *Desiderij Colini amor in B. Virginem.* f.207
Dæmon sub alieno schemate afflictum virum aggressus repellitur f.210
Dominicanorum PP. in B. Ignatio honorando sedulitas. fol.23.33
Dominici Oliuerij charitas in peste laborantes f.81
Dorotheæ à Lotharingia munificentia in templũ. f.142
Duacensium supplicatio B. Ignatio instituta f.28
Duello certantes à Nostris in mutuum amplexum flectuntur f.125
Duellum duorum Hæreticorum disturbatur. f.162

E.

Eborenses B. Ignatio obsequium & honorem, præconis voce, spondent: eorundemque apparatus in colendo B. Ignatio f.18.19
Ebrij debita ignominia affecti f.537
Ecclesiense Collegium Sciamachiæ B. Ignatio dedit. f.23

Digitized by Google

Emmanuelis Consalui laudes. f.65
P. *Emmanuelem Pererium denunciata mors mirè solatur.* f.84
Encomiastis B. IGNATII *præmia proposita.* f.33
Epistolæ B. IGNATII *de obedientia commendatio.* fol.576
Equi duo concidunt, quos Nobilis in B. IGNATII *honorem alnuit vsurpare.* f.55
Exercitiorum fructus. 106.238
Extremæ vnctionis salutiferi effectus. f.250.330

F.

Faber graviter lapsus in subiecta tigna à reliquo seruatur, manibus B. IGNATII. f.39
Factiones à Nostris sedatæ. f.84
Femina extatica in hæresin lapsa eruitur. f.116
Festi diei transgressio cæcitate punitur. f.568
Fidei occasionem negligens se suspendit. f.456
Filius confoditur, à Religione inhibitus. f.121
Filius sub plagis parentem docet rectè credere. fol. 338.
Filius amanter patrem hæreticum ad confessionem permouet. f.357
Filius matrem feriens morte luit. f.409
Flagellatio communis Conimbricensium ob Beatificationem B. Ignatij. f.12
Fœtum viuum enititur mulier ope B. Ignatij. f.44
P. *Francisci à Trento baptismalis innocentia.* f.594
Frater, vota Societatis, sorori moribundæ vitam impetrat. f.99
P. *Friderico Bartscio à Principibus iusta peracta.* fol.441
Funchalensium celebritas B. Ignatio exhibita. f.22

Digitized by Google

G.

P. Gauini Casagiæ ob virtutem illustre funus. fol. 103
Genu tabidum curatur, medico B. Ignatio. f. 40
P. Georgij Colibrant laudata viuendi norma. f. 230
Globus in nostrum explosus petulantiorem puellam ferit. f. 412
Gratus in nos animus pro virtutis & eruditionis beneficio. f. 447
S. Gregorij Thaumaturgi tiara anginam propulit. f. 69

H.

Hæreticus adolescens moribundus ad sanam mentem reductus. f. 66
Hæretici Caluiniani disputationem cum Nostro subterfugiunt. f. 135
Hæreticum adolescentem Dæmon lacessit, ne à fide deficiat. f. 258
Hæreticorum molitiones in Catholicos Commotouienses. f. 305
Hæretici contumacia damno punita. f. 385
P. Hieronymi Moralis defuncti laus. f. 65

I.

Iconoclastæ diuina pœna. f. 416
Idololatricæ impietas punita. f. 582
Ieiunium annuum Sabbathinum vouet quis B. IGNATIO, vt amicus Societatem ineat. f. 177
IGNATII Beatificatio passim splendidè celebrata: igneis spectaculis, ludis &c. fol. 2. seqq.
Ignatius de Borgia B. Ignatio principes honores exhibet. f. 29
B. IGNATIVS Cuzohensium patronus. f. 52
IGNATII inuocatio salutifera. f. 175. 468. 39. 40. seqq. 59.

Digitized by Google

B. IGNATIVS *masculam prolem post multos abortus impetrat.* fol.548
B. IGNATIVS *viro nobili diem extremum prænunciat fol.43. alij ægro sanitatem.* ibid.
Imago B. IGNATII *in laterna papyracea conflagrante flammam elidit* f.48
Imago eiusdem Dæmonem ab homine pellit. f.46
Imago eiusdem calumniatorem torue intuetur f.52
Imago eiusdem affixa tumultuosum spectrum proscribit. fol.271
Imago B. V. conceptæ à lecti capite sæpius reuulsa obscœnum viri amorem notabat. fol. 107. *quem cum non corrigeret, nusquam apparuit.* f.108
Imago B. Virg. mœcho peccandi voluntatem infregit. f.466.
Imago eiusdem applicata gutturi spinam excutit. f.582
Impietas in B. IGNATIVM *exitio quibusdam fuit.* f.54
Imprecatio materna in immorigero filio effectum habet. fol.475. *&* fol.97.
Incendium Callisiense. fol.417
Indi Picti locustis aurum appendunt. 629
Indus adolescens nouas vestes cum mendico commutat. fol.635
Infans bimula diem B. IGNATIO *Sacrum prædicit.* fol.53
Inimico egregiè benefecit Sodalis. f.314
Inimicos capitales concio audita conciliat. f.66
Inimicitias quidam ab vxore defuncta iubetur ponere. fol.97
Insulæ Philippinæ B. IGNATIVM *mirè coluerunt.* f.35
Iniuriæ generosè condonatæ. f.79.487
Ioannis Garciæ à parentibus abstracti illustris ad Societatem

Digitized by Google

cietatem reditus. fol.95
Ioannis Rogerij in B.V. amantißima pietas. f.104
Ioannis Dudeti virtutes. fol.116
P. *Ioannes Raſtellus vitam ſuam pro P. Hoſſæi DEO obtulit.* f.330
Iudicium publicum & pœna in adoleſcentem, qui ſcholarum Præfecto colaphum impegit. fol.160
Iurandi conſuetudinem ſeruus, quam emendare noluit, ſubita morte expiauit. f.100
Iurgium inter coniuges de filioli nomine puer trimeſtris loquendo diſſoluit. fol.44

L.

Lapillus inter glareas ripæ repertus, adoleſcentem furiat, ſpectris turbat &c. f.199
Latronis ſtratagema in plurium cædem. f.67. *eiuſdem pœnitentia.* f.68
Leodienſium in D. Virginem pius amor f.242
Leopoldi Archiducis Religionis feruor f.300
Lethali in cranio plagæ B. Ignatius medetur f.272
Limenſium in Beatificatione. B. IGNATII *gaudium & pietas.* f.32. *&* f.93
Literas humaniores 50. alius 39. annis vtiliſſimè docuit
Locuſtis collo aurum appendunt Indi. f.629
Ludis taurinis neglectis Sodalis orat, & ſportulas in ergaſtula defert. f.94
Lupiorum ſolertia & pietas in BEATIFICATIONE B. IGNATII. f.9
Luſitaniæ ora à 14. Regulis oppugnata, B.V. auxilio ſeruata eſt. f.86
Luxurioſi hominis ad pœnitentiam mira cõmotio. f.107
Luxuria Chriſto abominabilis. f.470

M.

Digitized by Google

Machina aquæductibus ingeniosa B. IGNATIO *extructa.* f.3.seqq.
Maleficium ab innocente puero, cælestiope, absterſum. f.152.
Maris tempeſtas, appellato Loyola, deferbuit. f.40
Maſculum B. IGNATIVS *impetrat.* f.57
Mater à B. Virgine filio ſanitatem exorat. f.175
Maurorum Neophytorum feruor. f.70
Mauram feminam viſio ad Baptiſmum ducit. f.96
Membris captum ſe ſimulans, horrore templi, oſſa lethaliter conuellit. f.585
Michaelis Ayatumi adoleſcentis Indi vita. f.627. & ſeqq.
Miniſter hæreticus in ſuſpenſi os buccam ingerit. f.269.
Miſericors femina Chriſtum conuiuam habet ſub venerando ſchemate. f.350.
Miſſio in Benearnenſem regionem vtilis. fol.153. & ſeqq.
Monaſteria Virginum reformata. f.117
Morbum triennem confeßio diſſoluit. f.270.
Morbi profligati chirographo B. IGNATII, *reliquijs.* f.43.56.61. &c.
Morituri entibus 900. oculos clauſit P. Ioannes Bredanus. f.353
Mors beata adoleſcentis. f.120.122

N.

Naufragium ope B. IGNATII *quis effugit.* f.62
Naufragium miſerabile Noſtrorum. f.561
Nauis miri ingenij per aërem lapſa, B. IGNATII *laudes aduexit.* f.8
P. *Nicolai Serarij induſtriæ, virtutes.* 371
Nomen Ignatij trimeſtris puer ſibi deligit. f.44

Obſer-

Digitized by Google

O.

Obseruati Tyronum mores laudabilem censuram tulerunt. f.108
Oculis malè affectis B. IGNATIVS medetur. f.44.47 52.55
Odia capitalia in templo pugnæ proxima, precibus B. Ignatij inhibentur. f.51
Oetingæ malus genius ab homine exactus. f.345
Officium B.V. intra digitos sodalis orantis, & immorientis hæret. f.284
Opus aggrediens, Diuatà fortunante, digitum sibi abscindit. f.586
Oratione impetratum, vt femina in extremis confiteretur. f.514
Orationi deditissimus P. Andreas de Zea non facile petitionis repulsam tulit. f.504
Oratio impetrat obstinato hæretico lumen fidei. f.336
Os in gutture hærens, ope B. Ignatij, euctatum. f.84
P. Othonis Eisenreich labores & virtutes. f.359

P.

Parturientes ægrè, B. Ignatij reliquiæ adiuuant. f.49 50.54.48.56.57
Pater à defuncto pædagogo monetur, vt nato aleatori prospiciat. f.162
P. Pauli Hoffæi dotes & laudes. f.327
Paupertatis amor. f.98
Peccati lethalis conscius ab ignoto in dolium aquæ plenum missus. f.423 (101.151
Peccata suppressa per visionem iubentur detegere. fol.
Perfidus fit crocodili esca. f.589
Pericula corporis B. Ignatij ope amota. f.49.53 54.55. a

Digitized by Google

Peste laborantibus impigrè succurrit Dominicus Oliuerius. f.81
P. *Petri Canisij rosarium parturientibus vtile.* f.352
P. *Petri Sancij maximi viri compendiosa vita.* f.598
Pistor aqua lustrali maleficium à massa pellit. fol.164
Platijs Baronis aream nec gutta tempestatis tetigit, post votum B. Ignatio factum. fol.40
Pœnitentia seria latronis. f.68
Pœnitentiæ & Eucharistiæ vsus Dæmonem à corpore exigit. f.442
Potosinorum expensæ in B. Ignatij honorem. f.32
Pragensium PP. grauis tempestas & proscriptionis periculum. f.291
Prænunciat B. Ignatius viro nobili diem extremum: alij sanitatem. f.43
Prouidentia DEI in Nostris seruandis, et sacra supellectile f.297
Pudicitia adolescentum inter verbera, minas etc. f.496
Pudici adolescentes inter Turcas lacessiti. f.486
Pudicitiæ certamen fortissimum. f.487
Pudicitiam morti præhabet. f.176
Pudicitiæ causa Sodalis vultū vnguibus deformat. f.172
Pudicitiam delibandam proco negat. f.83.532
Puer Hibernus à latronibus occisus, Sanctimoniæ signa edit. f.233
Puerulus afflictus morbo in templo præ reuerentia stare noluit, sed flexis genibus hæsit. f.138
Pyratæ Hæretici mira conuersio. f.83

Q.

Quitensium PP. *Dominicanorū in B. Ignatiū veneratio.* f.33

R.

Raymundi Gual adolescentis Nouitij in tuenda castitate apud

Digitized by Google

apud Turcam fortitudo. f.486
Redempti è seruitute 7. Nostratium. f.502
Reguli barbari ante supplicium, ope B. Virginis, baptismum suscipiunt. f.88
Religiosæ familiæ B. Ignatium piè coluerunt. f.3.24.34
Rosarium B. V. è collo pendulum ter dissolutum docet dominam scelus confiteri. f.107
Rosarium recitans scortum ante mortem pœnitet. f.473
Rusticus à B. Virgine distinctè docetur confiteri. f.135

S.

Sacerdos animarum curam, ex viso desidum supplicio, detrectat. f.141
Sacerdoti tormenti & lætitiæ loca exhibentur. f.139
Sacerdos impurus, nihil emendatus, fulmine semiustus animi malum pandit. f.512
Sacerdotium opimum Laicæ potestati subductum f.171
Sacrilegè communicans, seruatam in in linteo hostiam, euanuisse deprehendit. f.102
Sacrũ festis diebus subterfugiens, ex casu moritur. f.585
Salutat Ionis Angelicæ signum fatalem cultrum à gula deducit. f.289
Sanguinis fluxum Reliquiæ B. Ignatii sistunt. f.49
Sanitas, ope B. Ignatii, recuperata. f.57.58.59
Sanitatem recipit, facto B. V. voto Confessionis et communionis. f.129
Sassaritanorũ varius apparatus pro B. Ignatio. f.25
Scomma in piam defunctam matronam sparsum morte castigatur. f.399
Scortũ B. Virg. amans, ante mortẽ peccata expiat. f.482
Seruituti Turcicæ subiectus Tyro heroicè tuetur castitatem. f.586
Societatẽ deserens amico suo odiosus esse cœpit. f.241

Socie-

Digitized by Google

Societatis reprehensor subitò moritur. f.475 (493
Socij 10. capti, seruituti subditi, venditi, durè habiti. f.
Sodalis B.V. imagine munitus, inter sicariorum ictus illesus. f.487
Sodalium Olomucensium in pauperes liberalis misericordia. f.284
Sodalitium subterfugiens diu grauiter ægrotat. f.513
Sodalis, B.V. ope, Christi fauori redditur. f.82
Sodalium Toletanorum pietas & misericordia. f.94
Sodalis, pudicitiæ gratia, vultum vnguibus deformat. f.172
Sodali secundum pectus transfossò vita 7. dierum conceditur. f.174
Sodalis pallium mulierculæ impudicæ dimittit. f.511
Spectaculum illustre Christianissimo Regi Henrico IV. à Nostris exhibitum. f.177
Spiritus vxori molestus suffragia exquirit. f.334
Sponsaliorum fidem violantem militem diabolus abducere nititur. f.337
Stolam B. Ignatij osculata mulier, caduco morbo liberatur: alius alio. f.46
Supplicatio Duacensium. f.28
Supplicatio Bruxellensium pulcherrima in honorem B. Ignatij. f.26
Supplicatio instituta locustas per agros enecat. f.110
Supplicatio hæreticis non impunè irrisui. f.183
Syngraphen dæmoni datã cremari Noster suadet. f.312
Syracusanorum inuisa et inaudita pompa pro B. IGNATII honore. f.5

T.

Templum B. Ignatio à Mexicanis extructum, & dedicatum. f.36

Tempe-

Digitized by Google

Tempestas, appellato Loyola, deferbuit. f.42.48
Thesaurum puella erutura ab infernis larvis cruciabiliter habetur. f.302
P. Theodori Buscei commendata virtus. f.310
Tirones Societatis cum suo Magistro pauperum ministros agunt. f.157
Toletum B. Ignatium pretiosè coluit. f.22
Trimestris puer Ignatij nomen deligit, quem pater Irenæum nominatum voluit. f.44
Tumultus mutuæ cædi proximus in templo B. IGNATII intercursu sistitur. f.52

V.

Vadimonio apud summum Iudicem promisso Noster hæreticum ad meliorem mentem traxit. f.66
Valetudinem impetrant B.B. Ignatius & Xauerius Patri ad missionem eunti. f.172 (f.151
Veneficus studiosus plures inficit, quos purgant Nostri.
Veneficia supplicationibus auerruncata. f.243
Venefici insignis pœnitentia. f.529
Veneficus stabularius Senatoris filium venenat, & bis elinguem facit. f.152
Vestes nouas cum lachrymis deprecatur. f.98
Veste feminea indutus iuuenis, libidinis causa, confoditur. f.605
Veternus cuidam, B. Ignatij manu, excussus. f.44
Vexillum rubra cruce decoratum temerarias manus castigat. f.631
Vinum è Crucifixi vulneribus copiosè fluere iusserunt Bruxellenses. f.28
Virgo ex amasij sui occisione DEO se dicat. f.211
Visio errorem hæretico excutit. f.266
Vita Michaelis Ayatumi Indi. f.627 seq.

Voca-

Digitized by Google

Vocationem ad Societatem eludens, geminum pugionem non eludit. f.153
Voto concepto Societatis ineundæ, febris adolescentem dimittit. f.124
Vox mulieri ab Ignatio reddita. f.56
Vulnera, ictusq; hostiu B. Ignatius à Nostro auertit. f.61

Z.

Zebuana ciuitas in Aquila B. Ignatium cum primis PP. repræsentauit. fol.35

Præcipua errata sic emendanda.

Pag 7. v.7, Catanzarij. ib. v.13 Barij. 10. v.15. adnauigaret, 11 v 2. summa. ibid v 17 pompam. 16. v.6. Conchas 18. v. 4 admisso, 19. v.22 vrbis. 21. v.7. illustrem. 27. v.19 Beatæ 33 v.7. Sanctorum. 36. v. vlt. aræ. 51. v. 2. animâ. 56 v.15 Perrochorij. 60 v 20 trophæa. ib. v 27. mæream. ib v 28 ipse 62. v 20. saltu. 72. v. pen. scholastico 76. v. 21. quæ B. P Ignatium, de Beatificatione illius nuncio accepto. 77. v. 7. verborumque. 99. v 2. fortunam. ib. v. 11. antequam. 106. v. vlt. consultum. 107. v. 25. hæc. 115. v. 21. formantur. 119. v. 4. densisset. 121. v. 5. ipsos 122. v. 2. non abhorrentem. ib. v 21. veneficos. 126 v. 1 arcto. 127. v. 17. tanta. 133 v. 26. hominis petitionem 154. v. 31 hominum 186. v 6. publicum. 192. v. 20, Nostris 226. v. vlt. erit. 229. v. 17. semetipsam. 241. v. 1. parētes 249. v 3. postulārat. 252. v. 7. Nostrorum operā 264 v 2 aliquanto. 265. v. 15. Minister. 606 v. 21 Mamalucas. 313. v. 12. alloquebatur. 343. v. 2. habuit. 392. v. 18. scalas. 409 v. 12. se. ib. v. 26. vitæ. 449. v. 1. actas. 469. v. 15 Serrato. 497. v. 9. cucurbitulas. 522. v. 1 militem, 541. pudicissimam. 581. v. 17 earum. 630. v. 1. colunt.

Omnia ad maiorem DEI gloriam.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google